This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com

Princeton University Library
32101 076460763

Library of




Princeton University.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# EPHEMERIDES LITURGICAE


PUBLICATIO MENSILIS

CURA ET STUDIO PRESBYTEROR. CONGREGATIONIS MISSIONIS

DIRECTIO . . . . . Via della Missione, 2
ADMINISTRATIO . . . Piazza Grazioli (Palazzo Doria) } ROMAE.

PRETIUM SUBNOTATIONIS ANNUAE
Pro Italia, Lib. **10** — Pro exteris regionibus, Lib. **11.**
Pro unoquoque numero, Lib. **1.**


Fili hominis, pone cor tuum, et... auribus tuis audi omnia, quae ego loquor ad te de universis caeremoniis domus Domini, et de cunctis legibus eius.
(EZECHIEL, 44, 5).

Tanti refert ut, quae Ecclesia de sacra Liturgia decernit, probe cognoscantur et observentur, quanti ut sancta sancte tractentur, et fidelium pietas sacrorum maiestate augeatur.
Br. LEONIS Pp. XIII, 10 Maii 1899.

## Annus XX - 1906




Typis Societatis Sancti Joannis Evangelistae
DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOCII EDITORES
S. Sedis Apostolicae et Ss. Rituum Congregationis Typographi
ROMAE - Piazza Grazioli (Palazzo Doria).


Digitized by Google

Digitized by Google

LVX·ALMA

QVAM

PRIMO·SANGVINE·EFFVSO

SALVATOR·SACRAVIT·SAECVLORVM

FAVSTA · FELIX

EPHEMERIDVM LITVRGICARVM

XX·IAM·ANNVM·AVSPICANTIVM

LABORE · STVDIO · FAVORE · SOCIATIS

VSQVE·REDEAT

PROTINVS·QVE·DONET

CHARITATIS · AVRVM · SVAVITATIS · THVS

INTEGRITATIS·MYRRHAM

5940
.327
v.26
(1966)

Digitized by Google

Digitized by Google

# Acta Sanctae Sedis
## sacram Liturgiam spectantia.

## SS. RITUUM CONGREGATIO

I.

**De Patroni festo a Regularibus celebrando.**

ORDINIS MINORUM CAPUCCINORUM PROVINCIAE RHEGINENSIS.

Hodiernus Redactor Kalendarii pro Rheginensi Provincia Ordinis Minorum Capuccinorum, de consensu sui R.mi Procuratoris Generalis, Sacrorum Rituum Congregationi humillime exposuit, in Decreto Sa. Me. Leonis Pp. XIII, sub die 4 Decembris 1904, inserto in Breviario eiusdem Ordinis novissimae Editionis, ac incipiente « Qui primo », inveniri haec verba: « dimissis quibuscumque aliis Officiis, sive Dioecesanis, praeter Officia Patroni praecipui Loci, Titularis ac Dedicationis Ecclesiae Cathedralis etc. ». Hinc idem Orator sequentia Dubia solvenda proposuit:

I. Utrum in illis locis ubi deest Patronus praecipuus loci, Fratres Capuccini teneantur ad Officium Patroni praecipui dioecesis, et quidem cum onere audiendi Sacrum et abstinendi ab operibus servilibus?

II. Utrum per praefatum Decretum abrogatum fuerit Officium S. Ianuarii Episcopi et Mar-

Digitized by Google

tyris ac Patroni principalis totius regionis Neapolitanae, cuius festum sub duplici praecepto celebratur?

III. Utrum adhuc censeatur vigere privilegium iam obtentum celebrandi supradicta Officia prout extant in Propriis respectivarum dioecesium?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative ad utramque partem.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Affirmative.*

Atque ita rescripsit. Die 22 Augusti 1905.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

## Commentarium.

Ad I. Pluribus S. R. C. Decretis statutum est, ut, ubi non adsit proprius loci Patronus, celebretur festum praecipui Patroni *dioecesis* sub ritu dupl. 1 classis cum octava et feriatione, a Regularibus autem sine octava (S. R. C. 28 Sept. 1658, n. 1095, 2 Dec. 1891, n. 3754 [1], et 9 Iulii 1895,n. 3863 [1]); in casu igitur merito S. R. C. ad I dubium respondit: « *Affirmative* ».

Ad II. Sub eodem ritu solemniori atque cum feriatione recolendum est festum praecipui Patroni Regni, vel Provinciae, vel *Regionis*, si liquido constet de concessione Apostolica (S. R. C., nn. 1708 [4], 2444 [1], 3925 [3] et 3959 [1]); hinc intelligitur, quare ad II dubium in casu S. R. C. rescripserit: « *Negative* ». Imo etiamsi alicubi festum praecipui Patroni Regionis non amplius sub duplici praecepto celebraretur, nihil tamen immutandum esset quoad divina Officia (cfr. *Ephem. Liturg.*, vol XIX, pag. 33).

Digitized by Google

Ad III. Ex responsis ad I et II dubium, patet, Regulares in festo praecipui Patroni loci, fictione iuris, considerandos esse tanquam de Clero saeculari, si octavam excipias; hinc Regulares quoque in casu celebrare tenentur supradicta festa prout extant in Propriis respectivarum dioecesium.

II.

**De diebus Missam exequialem impedientibus.**

BUSCODUCEN.

Quum quaedam difformitas reperiatur in interpretandis Decretis S. R. C., nempe n. 3755 *Missae exequialis pro die obitus* 2, Decembris 1891 ad III, et *Labacen.* 28 Aprilis 1902 ad X, hodiernus Kalendarista dioecesis Buscoducensis in Hollandia, professor in Instituto Surdo-mutorum parochiae *Gestel* S. Michaëlis, de consensu R.mi sui Episcopi a Sacrorum Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem humillime expostulavit:

I. Caius mortuus feria IV in Maiori Hebdomada sepelitur feria VI in Parasceve Domini. Quaenam est prima dies liturgice non impedita, qua eius Missa exequialis solemniter peragi potest; utrum feria IV Hebdomadae Paschalis, an vero feria II post Dominicam in Albis, in qua non occurrit duplex I vel II classis aut festum de praecepto?

II. An Missa exequialis solemnis vel cum cantu, ob impedimentum liturgicum ultra biduum a sepultura translata, celebrari possit in diebus duplicia II classis. excludentibus?

Digitized by Google

III. An Missa de Requie pro prima vice post obitum vel eius acceptum a locis dissitis nuntium, de qua in Decreto n. 3755 ad III, celebrari possit: 1° infra Octavam Epiphaniae; 2° infra Octavas Nativitatis Domini et SS.mi Corporis Christi in locis, ubi haec non est privilegiata ad instar Octavae Epiphaniae?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, exquisita etiam sententia Commissionis Liturgicae rescribendum censuit:

Ad I. Prima dies libera est in casu feria II post Dominicam in Albis, iuxta Decretum *Labacen.* 28 Aprilis 1902 ad X.

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam, excepta tamen die Octava Corporis Christi, uti ex Decreto supra citato.

Atque ita rescripsit. Die 24 Novembris 1905.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*
† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

## Commentarium.

Ad I. Nemo ignorat, nefas esse officium et Missam, etiam solemnem, celebrari pro depositione alicuius defuncti, in sacratissimo triduo Mortis Domini, et in die Paschatis, sicut et in omnibus Duplicibus I classis solemnioribus; ne autem nimis differatur suffragium, pia mater Ecclesia permittit, ut officium cum unica solemni Missa celebretur in Feriis II et III Paschatis ac Pentecostes, licet sint Duplicia I classis (*S. R. C., 2 Dec. 1891, n. 3755 ad 1*).

Pro eo ergo, qui obiit in Feria IV maioris hebdomadae, si nequeat Missa celebrari mane ipsiusmet Feriae, toto sequenti

Digitized by Google

quatriduo procul dubio officium et Missa persolvi non poterunt. Sed neque Feria II et III Paschatis, quia, licet admittant officium et Missam solemnem in depositione alicuius defuncti, vel etiam pro eo qui non ultra biduum obiit (*Decr. eod.*, *n. 2*), in casu nostro, quo Caius Feria IV praecedenti mortuus est, certo certius pro eo officium et solemnis Missa Feria II et III Paschatis celebrari nequibunt.

Quoniam vero officium sequentium Feriarum IV, V, VI et Sabbati, ritu semiduplici recolitur, arbitrari quis poterat in eis licere Missam et officium pro Caio. S. porro R. C. hoc suo Decreto, opportune dubium e medio tulit omnino, declarando: primam diem ad celebrandum officium cum Missa pro Caio, esse Feriam II post Dominicam *in Albis*, dummodo in ea non occurrat aliquod duplex I vel II classis, aut festum cum feriatione, et ad rem remittit ad aliud Decretum 28 Aprilis 1902, ad 10, in quo Missa celebrari post obitum, vel post acceptum nuntium prima die permittitur, dummodo non occurrat festum I vel II classis, aut de praecepto, aut Feria IV Cinerum, Vigilia Nativitatis Domini et Pentecostes, Feria IV, V, VI et Sabbatum Paschatis vel Pentecostes. Igitur, in casu Missa pro Caio defuncto a S. R. C. aequiparatur Missae post acceptum nuncium mortis alicuius.

Neve dicas, in casu nimis differri suffragia, pro anima Caii qui iam ab undecim diebus mortuus est, quia applicatio sacrificii bene fieri poterat pro eo, in Dominica Paschatis et sequentibus feriis.

Ad II. Responsum clare patet per se; si enim duplex II classis impedit Missam exequialem ultra biduum translatam, eo magis eam impediet dies in quo prohibentur ipsa duplicia II classis, ob notam regulam iuris, *cui non licet quod est minus, non licet utique quod est plus.*

Ad III. Item hoc Responsum profluit ex iisdem principiis; prohibetur nempe Missa exequialis post obitum, aut post eius acceptum nuncium, infra octavam Epiphaniae, eo quod dies infra

Digitized by Google

eam octavam excludunt duplicia II classis, dies autem octava etiam duplicia I classis; non prohibetur infra octavas Nativitatis Domini et Corporis Christi, eo quod admittunt duplicia II classis, imo et minora. Excipitur vero dies octava Corporis Christi, in qua permittuntur tantum duplicia I classis.

Cum autem in hoc tertio dubio Calendarista Buscoducensis loquatur de octava Corporis Christi, *ubi non est privilegiata ad instar octavae Epiphaniae*, sequitur, ex responsione, quod ibi Missa exequialis post acceptum nuncium, vel ultra biduum ab obitu, in dicta octava locum non habet, ob eamdem rationem supra dictam pro octava Epiphaniae.

Ita porro nunc regula certa a S. R. C. proponitur per huiusmodi Decretum, et confirmantur ea quae iam dicta sunt in his *Ephem. Liturg.*, vol. XIV, pag. 166, vol. XVII, pag. 178, et vol. XVIII, pag. 254.

## III.

### De paramentis nigris ac palla calicis.

DUBIORUM.

I. Quum in Caeremoniali Episcoporum lib. II, cap. XI, n. 1 legatur: «Omnia paramenta, tam altaris, quam celebrantis et ministrorum, librorum et faldistorii sint nigra, et in his nullae imagines mortuorum, vel cruces albae ponantur», quaeritur: An in dictis paramentis repraesentari possint calvaria cum ossibus decussatis defunctorum?

II. Ex decreto S. R. C. n. 3832, *Dubiorum resolutio*, 17 Iulii 1894 ad IV, permittitur ut palla calicis in parte superiori sit cooperta panno serico, aut ex auro vel argento, et acu depicto, dummodo palla linea subnexa calicem cooperiat ac pars superior non sit nigri coloris, nec cum

Digitized by Google

aliquo mortis signo. Quaeritur: An huiusmodi palla subnexa possit esse linum cruce munitum et subsutum, ad modum pallae, nec amovibile?

Et Sacra Rituum Congregatio pro solutione horum dubiorum rogata, ad relationem subscripti Secretarii, audito Commissionis Liturgicae suffragio, rescribendum censuit:

Ad I. *Negative*, et servetur Caeremoniale Episcoporum, *loc. cit.*

Ad II. *Negative*, et palla subnexa, proprie dicta, sit linea, munda et facile amovibilis.

Atque ita rescripsit. Die 24 Novembris 1905.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*
† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

## Commentarium.

I. Posita coloris nigri, qui extremum luctum significat, in sacris paramentis liceitate, superfluum videtur alia inhibere adiuncta, quae eamdem significationem praeseferunt. Cur igitur vetantur imagines mortuorum, et quod minus intelligitur, cruces albae? Responsio in promptu est: Color luctum significat, quem in casu gerit Ecclesia, non tantum pro vitae hominis cessatione, quam pro anxietate detentionis animae illius in loco purgationis, ex qua supplices et moestas preces et Sacrificium offert, et est aliquid sibi subiectivum; e contrario mortui imago, praeter moerorem, vel significare posset, praesertim coram plebe, honorem in defunctum, vel aliquid permixtum et confusum inter divinum et humanum. Sancta quippe Ecclesia illud solemne habet, ne cultus obiectum proponat aut accipiat quidquid circa mortuorum non canonizatorum in sacris exhibetur. Hinc certa cadaverum eorum ab altaribus praescripta distantia, hinc vetitum ne imagines eorumdem, cultus suspicione, exponantur...

Digitized by Google

Dum dicitur *nullae* imagines, intelligi datur, vetitas esse imagines proprie dictas, scilicet alicuius individui hominis repraesentativas; imagines, ut dicitur, mortis, scilicet osseas figuras; imagines animarum purgantium. Id erui datur etiam ex Decretis, quae eiusmodi imagines super altaribus exponi vetant.

Nunc autem, dum quaerebatur, an calvaria cum ossibus decussatis in paramentis pingi valeant, cohaerenter a S. R. C. responsum est negative.

Verum, notandum ducimus, etiam post hoc Decretum, non esse vetitum eiusmodi calvaria et ossa depingi in extremis fimbriis paramentorum, tamquam emblema, v. gr., Sodalitatis; id enim non est oculos animosque intuentium in illud obiectum advocare, sed tantum proprietatem indicare, ecclesiae, vel sodalitatis.

Quid vero si textile ipsum sit illis figuris opere damasceno, vel aureo aut argenteo, sive lacinioso aut villoso distinctum? Pro aureo vel argenteo inconveniens videmus, ob nimiam figurarum relevantiam, non ita pro ceteris.

Quod autem cruces albas attinet, eas prohibitas esse censemus ob peculiarem sensum illis forte usu tributum, revocandi videlicet ad mentem mortuorum ideam prae potiori quae in Missae Sacrificio retineri debet, divinae Victimae. Ceterum ea locutione minime certo certius prohibentur cruces in stola, manipulo, bursa, et ipsa casula, taeniis sericis effingi solitae, etiamsi taeniae eiusmodi sint tantum albae.

II. Palla, qua calix in Missa operitur, est corporalis appendix, et quemadmodum in illo, ita in ista nulla ornamenta admittuntur. Sed, prout circa albam et rochetum factum est, denticulatum textile ad oras corporalis et pallae apponi coepit, de quo usu non apparet conquesta S. Congregatio. Ipsum textile denticulatum cito introductum fuit argenteum vel aureum. Cum vero, nimis leve ac periculosum visum fuerit linteolum-palla sine artificioso sustentaculo, praesertim post additum textile, usuvenit prius amylo illud durius reddere, ac postea etiam infra duas lini superficies crassiorem chartam introducere, quod vetitum nemo iudicavit.

Digitized by Google

Nec mora, duplicato linteo, superior pars, cum inferior suam functionem operari non prohiberetur, apta retenta est ad ornamenta praeseferenda, ac insuper, cum ipsamet inutilis visa sit, indifferens prorsus habitum est, si alia illi substituta fuisset materia, serica, aurea, etc. Sed Sacra Rituum Congregatio, die 22 Ianuarii 1701 (n. 2067 [6]), declaravit, uti non posse in Sacrificio Missae eiusmodi palla. Hoc Decreto, vel ignorato, vel contempto, pluribus in locis minime desertus fuit mos, de quo est quaestio; ac multis post annis, rursus interrogata S. Rituum Congregatio. Haec autem, die 17 Iulii 1894 (n. 3832 [4]), indulgens tam frequenti usui passim introducto, *permitti posse* rescripsit eiusmodi pallas, sed locutione usa est, quae clare minime indicabat, an linteum posset serico, etc. applicari, quasi subsutum (ital. *fodera*), an tantum subnecti, tamquam separatum obiectum, suam formam non amittens. Hinc novae apud S. Congregationem instantiae, et en novissimum Decretum, rem nulli obnoxiam dubio relinquens. Forma igitur pallae nullimode adulteranda est, et nullimode, quod principale est, reddi quasi accessorium alterius operculi; ita vitatur insuper inconveniens, saepe deploratum, videndi eiusmodi pallas satius immundas, cum difficiliter frequens sustineatur patiens labor necessarius pro earum lotione.

## SECRETARIA BREVIUM

### Pium opus a Praeservatione Fidei pluribus indulgentiis ac privilegiis ditatur.

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Opus a *Praeservatione Fidei*, optimo et peropportuno consilio Nostri Decessoris inclyti institutum, quam valde Nobis cordi sit, nihil attinet dicere. Etenim, quum eo pertineat, ut populum romanum praestet ab haereticae pravitatis contagione liberum, rem persequitur eiusmodi, quae vigilantiae studioque Pontificis Maximi proposita esse

Digitized by Google

in primis debeat. Nequit similiter dubitari quin hoc ipsum provehere ac sospitare opus catholicos omnes deceat. Profecto quisquis catholicum digne nomen gerit, commoveatur necesse est hoc maximo acerrimoque bello quod adversum christianam sapientiam ideoque contra Pontificem Romanum, utpote summum traditae a Christo veritatis custodem, ardet. Iam hic de ipsa sacra potestate Pontificis agitur; quam quidem acatholicarum coniurati asseclae sectarum funditus evertere non dissimulanter contendunt. Iamvero nihil volunt studentve aliud Novatores, summe hi quidem inter se haeresum varietate discordes, in hoc autem uno coniunctissimi, ut Beati Petri Cathedram impugnent. Itaque iamdudum, Romae multo magis quam usquam alibi, postquam scilicet in Urbe catholici orbis principe veritati et errori promiscua sunt publice attributa iura, nituntur, quibus valent opibus, pravisque omne genus artibus, imperitos praesertim egentesque capere: confisi, se posse aliquando in ipso Ecclesiae centro labefactare Pontificis auctoritatem, quo deinceps usquequaque facilius ipsa concidat. Utique haec sunt, Dei beneficio, vota peritura; siquidem *portae inferi* adversus Ecclesiam, quae in Petro et successoribus eius fundata est, sponsore Christo, *non praevalebunt*. Sed tamen haud frustra inimicorum fidei est opera, quod ad perniciem spectat animarum. Quod si dolori Nobis est, quempiam a fide sancta deficere, multo est magis paene in conspectu Nostro id fieri, praesertim quia non sine gravi multorum offensione fit. Quotquot igitur cum proximorum salute honorem Ecclesiae communis omnium parentis diligunt, et Iesu Christi Vicarium colunt atque observant, consentaneum est velle Operi, de quo loquimur, adiumenti aliquid afferre. Equidem novimus in hac re neque studium, nec largitatem usque adhuc nostrorum defuisse; fructusque gratulamur extitisse his paucis annis non exiguos. Verum quia multum etiam conandum restat, ut par sit necessitati remedium, idcirco bonorum magis excitari atque inflammari studia intelligimus oportere; eiusque rei gratia caelestes Ecclesiae thesauros, quorum penes Nos dispensatio est, libentissime reseramus. Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis fidelibus ex utroque sexu,

Digitized by Google

qui tam frugifero pio Operi nomen suum dederint, die prima eorum adscriptionis vel alio quolibet die intra mensem proximum, ad cuiusque lubitum eligendo, si admissorum confessione rite expiati, quovis in templo sive publico Oratorio ad sacram synaxim accedant, et addita salutatione angelica, quocumque idiomate dummodo versio fidelis sit, piam hanc precem devote recitent: *O Maria Immaculata, vosque, Apostolorum Principes, in vera nos fide retinete*: indulgentiam plenariam; ac tam inscriptis quam in posterum inscribendis eodem in pio Opere sociis, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere poenitentes et confessi, ac sacra Communione refecti, vel saltem contriti quatenus id agere nequiverint, nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, ac tanquam peccati stipendium mortem susceperint, etiam plenariam; tandem iisdem nunc et in posterum pariter ipsum in Opus rite adlectis sodalibus, qui item sacramentali admissorum confessione expiati atque angelorum pane refecti, quotannis, diebus: VIII mensis Decembris festo Immaculatae Conceptionis Deiparae Virginis, Operis patronae caelestis; XXIX Iunii festo SS. Apostolorum Petri et Pauli, item patronorum Operis; VI Ianuarii, in Epiphania Domini; XIX Martii festo S. Ioseph B. M. V. Sponsi; XXVI Maii festo S. Philippi Nerii; ac XXIX Septembris quo festum agitur S. Michaelis Archangeli, a primis Vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi, et similiter in utroque festo septem dolorum B. M. V. ab ortu usque ad solis occasum dierum ipsorum, templum aliquod publicumve sacellum visitent, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione ad Deum preces effundant, et orationem de qua supra habita mentio est, ad veram fidem retinendam, salutatione angelica praemissa, recitent, quo ex praefatis die id agant, similiter plenariam admissorum omnium indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. — Insuper iisdem sodalibus dicti pii Operis nunc et in posterum existentibus, quoties conventibus aut communibus Sodalitii aut privatis Comitatus interfuerint, dummodo contrito saltem corde ibi recitent supra memoratam precem cum salutatione angelica, de numero poenalium in forma Ecclesiae consueta

Digitized by Google

septem annos totidemque quadragenas; quoties autem pro fidei praeservatione aut eamdem precem cum salutatione angelica recitent, aut iuxta Sodalitii tabulas pietatis quodvis sive caritatis opus exerceant, toties de poenalium similiter dierum numero in forma Ecclesiae solita trecentos expungimus. Porro largimur sociis ipsis, si malint, licere plenariis supradictis ac partialibus indulgentiis, excepta plenaria in mortis articulo lucranda, functorum vita labes poenasque expiare. — Sacerdotibus autem qui eiusdem fuerint Operis nunc et in posterum participes illud concedimus, ut quandocumque sacrosanctum Missae sacrificium pro animabus christifidelium, quae Deo in caritate coniunctae ab hac luce migraverint, ad quodlibet altare celebrabunt, Missae sacrificium huiusmodi, ter tantum singulis hebdomadis, animae sive animabus pro qua vel quibus celebratum fuerit perinde suffragetur ac si foret ad privilegiatum altare peractum, dummodo tamen alio simili indulto non fruantur. Sacerdotibus vero qui sint, vel in posterum erunt de sodalium *zelatorum* numero, haec quae infra scripta sunt privilegia tribuimus, modo tamen a suo quisque Ordinario, et bene de Opere meriti reapse habiti sint, et licentiam in scriptis acceperint, quae quidem si desit, horum privilegiorum concessionem nullam esse volumus. His igitur damus et concedimus:

I. Ut, si tamen sint ad sacramentales confessiones excipiendas rite adprobati, possint ex ritu praescripto, privatim extra Urbem benedicere Cruces, Crucifixos, sancta Numismata, Coronas precatorias et parvas Domini nostri Iesu Christi, B.mae Virginis Mariae, Sanctorumque ex metallo statuas, cum applicatione omnium et singularum indulgentiarum, quae in elencho, typis edito S. Congregationis de Propaganda fide die XXVIII Augusti anno MCMIII, continentur, et quod ad coronas precatorias attinet, non excepta indulgentiarum applicatione quae a S. Birgitta nomen habent.

II. Ut, si pariter sint confessarii ab Ordinario adprobati, consueto ritu benedicere et fidelibus imponere possint scapularia Confraternitatum SS.mae Trinitatis, B. M. V. de Monte Carmelo, Septem Dolorum, et Immaculatae Conceptionis eiusdem Virginis Deiparae, atque etiam scapulare Mariae Salutiferae, cum communicatione pri-

Digitized by Google

vilegiorum et indulgentiarum, quibus adscripti memoratis Sodalitatibus fruuntur et gaudent, dummodo vero scapularia confecta sint ad normam a Sancta Sede probatam, et iis tantum in locis, ubi non extent domus Ordinum Religiosorum, ad quos ex speciali concessione Sedis Apostolicae pertinet dicta scapularia benedicere et imponere.

III. Ut christifidelibus, in mortis instantis discrimine versantibus, si vere poenitentes et confessi et S. Communione refecti, aut si id facere nequiverint saltem contriti nomen Iesu ore si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, et mortem tanquam peccati stipendium de manu Domini patienti animo susceperint, benedictionem Apostolicam Nostro et Romani Pontificis pro tempore existentis nomine et auctoritate, cum plenaria omnium peccatorum suorum indulgentia et remissione impertire possint, servatis tamen ritu et formula a f. r. Benedicto PP. XIV decessore Nostro praescriptis.

Haec ad incrementum saluberrimi Instituti valere posse confidimus, quod ipsum de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore, statuimus et declaramus esse in suo genere primarium. Propterea dilectis Filiis Nostris S. R. E. Cardinalibus, qui Consilium seu Commissionem Operis constituunt, potestatem iam ipsis a Nobis adtributam confirmamus, similia ex toto orbe Instituta eidem primario Operi, cum communicatione omnium indulgentiarum et privilegiorum, quae sint communicabilia, aggregandi; servatis tamen forma Constitutionis Clementis PP. VIII praedecessoris Nostri f. r. aliisque Apostolicis ordinationibus desuper editis. Non obstantibus constitutione Apostolica de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque contrariis quibuscumque. Praesentibus valituris in perpetuum. Volumus autem, ut harum litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur quae Nostrae voluntatis significationi praesentibus ostensis haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 1 Novembris festo Sanctorum Omnium anno MCMV, Pontificatus Nostri tertio.

L. ✠ S. A. Card. MACCHI.



Digitized by Google

## S. CONGREGATIO INDULGENTIARUM

**Sanantur receptiones hucusque invalide peractae ad Confrat. B. M. V. de Monte Carmelo.**

*Beatissime Pater,*

P. Praepositus Generalis Carmelitarum Discalceatorum ad Sacrorum Pedum osculum provolutus, exponit S. V. non raro contingere ut christifideles, qui ad Confraternitatem B. M. V. de Monte Carmelo admitti postulant, invalide recipiantur, tum ob omissam nominum inscriptionem, tum ob aliam causam. Ne itaque praefati christifideles gratiis et privilegiis memoratae Confraternitati concessis inculpatim priventur, orator S. V. humiliter exorat, quatenus receptiones ad eamdem Confraternitatem, quacumque ex causa usque ad hanc diem invalide peractas, benigne sanare dignetur.

Et Deus etc.

*S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a SS. D. N. Pio Pp. X, sibi specialiter tributis, petitam sanationem benigne concessit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.*

Datum Romae ex Sec.ria eiusdem S. C., die 28 Iunii 1905.

L. ✠ S.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*
✠ D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

## Ad *Motu-proprio* de Protonotariis Apostolicis Commentarium.

(*Continuatio.* V. num. 9, anni 1905, pagg. 524-532).

### De Protonotariis Apostolicis Supranumerariis.

17. Alio autem habitu uti poterunt, Praelatorum proprio, vulgo *piano* (1), in Congregationibus, conventibus, solemnibus audientiis ecclesiasticis et civilibus (2),

Digitized by Google

idest caligis et collari violacei coloris, veste talari nigra (3) cum ocellis, globulis torulo ac subsuto, ut supra, *rubini* coloris, serica zona violacea cum laciniis pariter sericis et violaceis (4), peramplo pallio talari item serico violaceo, non undulato, absque subsuto aut ornamentis quibusvis alterius coloris (5), ac pileo nigro cum chordulis et sericis flocculis *rubini* coloris. Communi habitu incedentes, caligas et collare violacei coloris ac pileum gestare poterunt, ut supra dicitur.

18. Propriis insignibus seu stemmatibus imponere poterunt pileum cum lemniscis ac flocculis duodecim, sex hinc, sex inde pendentibus, eiusdem *rubini* coloris, sine Cruce vel Mitra (6).

19. Habitum et insignia in choro Dignitates et Canonici Protonotarii gerent, prout Capitulo ab Apostolica Sede concessa sunt (7); poterunt nihilominus veste tantum uti violacea praelatitia cum zona sub choralibus insignibus (8), nisi tamen alia vestis tamquam insigne chorale sit adhibenda (9). Pro usu Roccheti et Mantelleti in choro attendatur, utrum haec sint speciali indulto permissa (10); alias enim Protonotarius, praelatitio habitu assistens, neque locum inter Canonicos tenebit, neque distributiones lucrabitur, quae sodalibus accrescent (11).

(1) Huiusmodi habitus praelatorum proprius, quem vulgo dicunt *piano*, ita vocatus est Romae, quia sub Pio Pp. IX ortum habuit, quando ob novum ordinem civilem in Urbem anno 1870 inductum, moderatiori apparatu praelati, Episcopi et ipsi Patres Cardinales uti coeperunt.

Digitized by Google

(2) In congregationibus ergo, in quibus conveniunt Cardinales, hodie Praelati omnes habitu *piano* utuntur. In illis tamen congregationibus, quae coram Pontifice coguntur, habitu praelatitio cum rocheto uti deberent Praelati ac Cardinales, sicut et Summus Pontifex utitur mozzeta. Cum enim, adhuc, Caeremoniarum Praefectus, habitu praelatitio cum rocheto indutus, huiusmodi Congregationibus praesto sit, procul dubio et alii omnes praesentes, ad normam Caeremonialis (*lib. I, c. III, n. 1*) eodem habitu exornandi essent.

Item *in audientiis* sive Summi Pontificis, sive Cardinalium, sive Principum, nec non in conventibus, academiis publicis, tam *ecclesiasticis*, quam *civilibus*, nemo amplius veste violacea induitur, semper vero habitu *piano*.

(3) Vestis talaris nigri coloris, quam adhibent Episcopi, eiusdem formae est qua utuntur Praelati; cum hac tantum extra Urbem differentia, quod episcopalis vestis parvum mantelletum habet, nec non manicas quasdam latiores, sed breviores, aliis solitis superductas quae ad cubitum usque descendunt, nonnullis ocellis ac globulis rubini coloris adornatas. Aliquibus in locis, etiam in Urbe, Praelati quoque simili veste utuntur, si sint curiones, seu curati, aut Collegiorum Rectores, uti Romae usu venit, nullo tamen alterius coloris ornamento decorata.

(4) Zona violacea in habitu *piano* eadem est ac illa quae cum habitu praelatitio adhibetur, nempe violacei coloris, et serica, latitudinis decem vel ad summum duodecim *centimetrorum*, quae per circa quadraginta aut quinquaginta *centim.* pendet super vestem in parte sinistra, sola cum differentia laciniarum (*frangia*) loco flocculorum.

(5) Pallium violaceum, sericum est, usque ad talos pertingens. Ex tela serica non undulata conficitur, quia undulata tela utuntur, ex consuetudine romana, patres tantummodo Cardinales. Item *absque subsuto aut ornamentis quibusvis alterius coloris* esse debet, eo quod Cardinales tempore Adventus et Quadragesimae pallio violaceo quidem induuntur, quod tamen subsuto rubino exornatur; ideoque nulla adesset differentia.

Digitized by Google

Illi ergo extra Urbem Praelati, etiamsi Episcopi, qui pallio utuntur cum subsuto serico, rubini coloris, male se gerunt; neque in hoc laudandi; nulli enim clerico fas est in habitu aliquid proprio marte addere, ut pluries monuit ac decrevit S. Congr. Caeremonialis.

(6) Stemmatibus praelatorum imponitur galerus pontificalis cum lemniscis et flocculis duodecim, sex hic, sex inde pendentibus, hoc modo 1, 2, 3, qui a pileo Episcoporum in colore tantummodo discrepat. Nam galerus Episcopi *viridis* coloris est in alae subsuto cum lemniscis et flocculis duodecim eiusdem coloris; galerus autem Protonotariorum, *violacei* est coloris cum lemniscis et flocculis *rubini* coloris; ideoque et a galero aliorum praelatorum inferioris gradus discrepat, hi enim lemniscos et flocculos adhibent coloris *violacei*.

Antiquitus Patres ipsi Cardinales duodecim tantum flocculis in stemmatibus utebantur, ut videre est in monumentis saeculi XVII et XVIII. Saeculo autem XIX ineunte usus invaluit ut Cardinales stemmata sua triginta flocculis exornarent, quindenis hinc inde pendentibus (1, 2, 3, 4, 5), atque huiusmodi usus a S. Caeremoniali Congregatione decreto suo d. d. 14 Aprilis 1832 adprobatus ac firmatus fuit.

Item Episcopi saeculo XIX suis stemmatibus mitram, baculum pastoralem, ac crucem imponere coeperunt, et bene; nam nisi hisce pontificalibus insigniis eorum arma essent exornata, a stemmatibus praelatorum non discreparent, quando exculpuntur, neque coloribus depinguntur.

Hinc est propterea, quod in hoc Motu-proprio Pius Pp. X interdicit usum *crucis* et *mitrae*, quae iam in stemmatibus protonotariorum interdicta fuerant a decreto S. R. C. d. d. 27 Augusti 1822, n. 2624, § 27.

(7) Protonotarii, qui canonicatum in aliqua collegiata vel cathedrali Ecclesia possident, ut distributiones quotidianas acquirant, insigniis choralibus, *prout capitulo ab Apostolica Sede concessa sunt*, indui debent, non autem habitu praelatitio, uti pluries decrevit S. R. C. nn. 280, 1269, 1299, 1927, 2004 et 2273.

Digitized by Google

(8) Ut plurimum insignia a Canonicis adhibenda in choro, quae a S. Sede conceduntur, sunt mozzeta, vel cappa cum roccheto. Illis ergo in locis in quibus hisce insignibus utuntur Canonici, sive etiam ubi cottae tantummodo usum habent, uti ex. gr. Romae in collegiata S. Mariae *in via lata*, protonotarius sub cotta, vel sub aliis insignibus canonicalibus bene poterit vestem adhibere praelatitiam, prout S. R. C. declaravit decreto suo n. 293.

(9) *Nisi tamen alia vestis tamquam insigne chorale sit adhibenda*; cum enim aliquibus canonicis ab Apostolica Sede concessa sit vestis rubri coloris, in choro, uti ex. gr. Salernitanis (S. R. C. decr. 3610) et Pisanis (S. R. C. decr. 2817) ac Ianuensibus et Clavarensibus etc. huiusmodi vestis integrat habitum choralem; ideoque canonicus protonotarius, non vestem praelatitiam, in casu sed vestem choralem sui capituli induere debet, ne amittat distributiones, ut supra dictum est.

(10) Nonnullis Capitulis concessus est, ab Apostolica Sede, usus Roccheti ac Mantelleti, uti habitus Canonicorum, in choro; ideoque opportune hic adnotatur, ut *pro usu Roccheti et Mantelleti in choro, attendatur utrum haec sint speciali indulto permissa.* Idcirco Protonotarius, in huiusmodi Capitulis locum habens, circa formam et colorem mantelleti choralis, suis collegis conformari omnino debet, ne distributiones amittat. Quod si mantelletum praelatitium violaceum omnibus sit concessum, tunc nulla distinctio inveniri poterit inter Protonotarium et non Protonotarium.

(11) Ut quis in choro distributiones quotidianas lucrifaciat, omnino habitu chorali indutus esse debet; hoc a iure et ab ecclesiarum statutis ubique stabilitum est. Protonotarius ergo Canonicus, qui relicto chorali habitu, functionibus praelatitio habitu indutus interesse voluerit, tunc, in suo stallo, inter canonicos remanere non poterit, atque distributiones quotidianas amittet.

Ita declaratum fuit a S. R. C. in *Mantuana* die 21 Martii 1676, n. 1560: «Privilegia Protonotariorum, servanda sunt: et si quis voluerit uti habitu Protonotarii in Ecclesia Cathedrali in qua habet Canonicatum, debet sedere, stare et incedere in loco

Digitized by Google

non inter Canonicos sed post Abbates; quia reputatur tanquam extraneus et non lucratur distributiones et fructus suae Praebendae ».

Cum autem hic dicatur *neque locum inter Canonicos tenebit*, quaeri potest, quo loco Protonotarius in choro sedebit. Uti videbimus in sequenti § 21 huiusce *Motu-proprio*, Protonotarii supranumerarii *non antecedunt Canonicis Cathedralium collegiater sumptis*, ergo post ipsos sedere debent. Ita S. R. C. declaravit *in Tiburtina* d. 23 Martii 1686, n. 1762: « Canonico incedenti in habitu Protonotarii deberi locum post omnes Canonicos ». Si vero agatur de Protonotario, qui sit Canonicus in aliqua Collegiata, tunc praelatitio habitu indutus, primum locum in choro habere poterit, et praecedere omnes Canonicos collegiater sumptos.

Ratio est, quia in citato paragrapho Protonotarius dicitur non antecedere *Canonicis Cathedralium*, et tacetur de Canonicis Collegiatarum, ergo iis praeferendus est Protonotarius licet Supranumerarius aut *ad instar*. Et sane, quia inferius § 66, ubi agitur de praecedentiae iuribus, quibus gaudent Protonotarii Titulares, aperte legitur hos praecedentiam habere super Canonicis *singulariter* sumptis, non vero Canonicis etiam Collegiatarum, collegialiter convenientibus. Ergo.

Doct. Petrus Piacenza.

Digitized by Google

# Acta Academiae Liturgicae Romanae.

Ineunte anno academico 1905-906, exeuntibus duobus Censoribus a Consiliis, R. P. D. *Ioanne Strozzi*, et R. D. *Aloisio Oreste Borgia*, hi suffecti sunt, ad proximum quadriennium: R. P. D. *Alexander Verde* et R. D. *Philippus M. Difava*.

Vita vero functo R. P. D. *Hilario Passerini* (quem Consociatorum suffragiis commendamus), eius loco electus est R. *Felix Ravanat*.

Munere Secretarii, electus est R. D. *Carolus Respighi*.

Inter Censores honoris causa adlectos connumeratus est D. *Ioannes Baptista Agnolucci*, P. C. M., Florentinae Academiae Liturgicae Moderator.

Academici tandem nuncupati: DD. *Iulius Rossi* et *Alfonsus M.ª De Sanctis*.

*Die 15 Novembris 1905*, in S. Aede Congreg. Missionis, prope Curiam Innocentianam, habitus fuit Conventus Academicus, in quo Rev. D. Aemilianus Cagnoni, Almi Collegii Capranicensis alumnus, quaestionem enodavit:

## De festo Sancti Malachiae Prophetae instituto ab Ecclesiae Rectore.

Post Censorum animadversiones et placita, alter ex illis, Rev. D. Philippus M. Difava, S. R. C. Substitutus, epitomen resolutionum fecit, quam excepit pia, nobilis atque eruditissima dissertatio E.mi ac Rev.mi D. Card. IOSEPHI CALAS. VIVES Y TUTO.

Absolvit Coetum Praemiorum distributio, quibus benevolentissimus Pontifex Pius Pp. X Academiam Liturgicam donavit, sive pro merito peritiae de re liturgica disserentium, sive frequentiae ad eiusdem Conventus accedentium, anno academico 1904-905.

Digitized by Google

Ex disserentibus, primum praemium tulit Rev. D. Iulius Rossi. Tulit alterum Rev. D. Leo Gromier. Tulit tertium Rev. D. Ioannes Canfora, e Pontif. Seminario Vatic. Tulit quartum Rev. D. Aemilianus Cagnoni, ex Almo Collegio Capranicensi.

E diligentioribus in frequentia, quatuor sortiti sunt praemia, merito pares: RR. DD. Philippus Martini, Ioannes Traversa, Camillus Gidoni, Antonius Rodriguez, Thomas Frioni, Michael Roxas, Petrus De Maria. Tulerunt tres priores et penultimus.

**Quaestionis propositio.**

In Ecclesia quadam Tusciae servatur superior pars brachii S. Malachiae Prophetae, a Iudaea inibi relata a Crucigeris saeculo XI. De eo tamen nunquam celebratum fuit officium, sed huiusmodi reliquia, simul cum nonnullis aliis, exponitur in solemnitatibus. Opilius autem novus Rector illius Ecclesiae sciens S. R. C. suo Decreto 27 Iunii 1899, n. 4041, declarasse, uti reliquiam insignem habendam esse, antibrachium et superiorem brachii partem, et ex alio Decreto in principio Breviarii posito, sciens officium duplex institui posse de Sancto, cuius habeatur reliquia *insignis*, dummodo nomen eius in Martyrologio sit descriptum, hoc anno festum S. Malachiae Prophetae proprio marte celebravit die 14 Ianuarii, qua in Martyrologio recensetur, cum officio de Communi Confessorum. *Quaeritur:*

1. *Quae praxis fuit in Ecclesia Orientali et Occidentali circa cultum Sanctorum antiqui Testamenti?*

2. *Quid hac de re statuit S. R. C.?*

Digitized by Google

3. *Qua de causa in Ecclesia latina non agitur memoria nisi de Ss. Machabaeis?*

4. *Utrum recte egerit Opilius vel facultas ab eo erat expetenda?*

**Solutio.**

I. Sancti Veteris Testamenti ii dicuntur, qui tempore Christum Dominum praecesserunt, in venturum Mediatorem et Redemptorem crediderunt, ac virtute aut martyrio illustres placuerunt Deo, qui non modo eos sanctos effecit, sed tales illos ostendit hominibus in divinis Scripturis (Benedictus XIV, *De canonizatione*, lib. I, cap. XIV, n. 2).

Ex hoc clarissime deducitur, eos Sanctos, qui Christum natum viderunt, quamvis ante Christi passionem defunctos, ideoque ante conditam gratiae legem, ad Vetus Testamentum minime pertinere, sed ad Novum, tamquam fidem habentes in Mediatorem ac Redemptorem, non venturum, sed iam manifestatum. Alii quoque Sancti ante Christum mortui, iuxta Guyetum (*De fest. propr. Sanctorum*, lib. I, cap. V, quaest. VIII), inter pertinentes ad Vetus Testamentum non sunt accensendi; iique sunt, qui « ab ipsomet Evangelista commendantur, aut certe... Christum ipsum propinquitate seu carnis affinitate proxime attingunt ».

Ex superius data definitione, quaestio olim tam acriter agitata, de horum Sanctorum canonizabilitate minuitur. Et sane « nemo non videt quam absonum esset, et quodammodo inutile, ut apertae declarationi a Deo factae de eorum sanctitate sententia Summi Pontificis superadderetur, definiens, aliquem ex eis esse sanctum, et idcirco colendum in Ecclesia universali (Bened. XIV, loc. cit.).

Sancti igitur Veteris Testamenti colendi sunt in Ecclesia universali, et cultu liturgico honorantur tam ab Ecclesia Orientali quam ab Occidentali. Invocantur sane in hymno *Te Deum*: « Te Prophetarum laudabilis numerus »; in Litaniis Sanctorum: « Omnes sancti Patriarchae et Prophetae »; in Litaniis Lauretanis: « Regina

Digitized by Google

Patriarcharum, Regina Prophetarum »; in Officio festi Omnium Sanctorum: « Angeli, Archangeli... Patriarchae et Prophetae, etc., intercedite pro nobis »; in *Ordo commendationis animae:* « S. Abel; Omnis chorus iustorum; S. Abraham »; ac in Litaniis SS. Iesu Nominis: « Iesu rex Prophetarum ». Pignatellio asserenti, in Missae Canone Patriarcharum nomina minime exprimi (*Consult.*, 40, t. V), optime respondit cl. Sarnelli (*Lettere ecclesiastiche*, t. V, lett. 35, n. 5): « Non so, se il suo Canone era diverso dal nostro, perchè nel nostro, nell'orazione *Supra quae propitio* diciamo: " Sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, et sacrificium Patriarchae nostri Abrahae, et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech " ».

Martyrologium romanum autem nonnullos ex his Sanctis commemorat. Mense Ianuario habetur Michaeas, Habacuc, die 15; Malachias, die 16; Martio: Amos, die 31; Aprili: Ezechiel, die 10; Maio: Ieremias, die 1; Iob 10; Iunio: Eliseus et Abdias, die 14; Iulio: Aaron, die 1, Osee et Aggaeus 4, Isaias 6, Ioel et Esdras 13, Elias 20, Daniel 21; Septembri: Gedeon et Iosue 1, Moyses 4, Zacharias 6, Ionas 21; Octobri: Abraham 9; Decembri: Nahum 1; Sophonias 3, tres Pueri 16, S. David 29. Nec eiusmodi commemoratio tamquam parvi momenti res est habenda, sed, prout notat Gavantus (Sect. V, cap. 21, n. 3), cum loquitur de Martyrologii origine, rationem habet verae et propriae commemorationis; ex quo argui profecto potest, quam falsa sit accusatio, Ecclesiam latinam Sanctis Veteris Testamenti cultum minime praestare.

Ecclesia Orientalis omnes citatos Sanctos, iisdem aut diversis diebus veneratur. Attamen in suis Menologiis alios quoque praeter illos numerat. Et sane eorum aliquot Loth commemorant, Abrahami nepotem, prout Graveson testificatur (*Hist. eccles. Vet. Tes.*, tom. I, pag. 378), die 10 Decembris. Alii quoque Sancti commemorantur, qui in latinis Martyrologiis desunt: Adam, Eva, Abel, Isaac, Iacob, Ioseph, Baruch, Nehemias, Iesus filius Sirac, Enos, Enoch, Samson, Tobias, Ezechias, Iosias, Mathathias, Iudas Machabaeus, Ruth, Iudith, Susanna, etc.

Digitized by Google

Si praeter simplicem cultum, festa consideremus in honorem horum Sanctorum celebrata, tunc magnam inveniemus diversitatem inter Ecclesiae orientalis praxim et occidentalis. Orientalis festa celebrat horum fere omnium Sanctorum. Gregorius Tauromitanus nos docet, Graecos festum celebrasse Iosue, sub anni initio. De sancto Elia autem, non modo in hac Ecclesia officium celebrabatur, sed Graeci tanta eum veneratione prosequebantur, ut ab operibus servilibus abstinerent, prout eruitur ex Imperatoris Emanuelis Constitutione (Baronius, *Martyrologium rom.*, 20 Iulii) (1). Praeterea Ioannes Nicaenus testificatur, in orientali Ecclesia duplicem peragi consuevisse festivitatem, unam Dominica prima post diem 11 Decembris, in eorum honorem, qui Christum praecesserunt ante Legem, aliam in Dominica sequenti, in *maiorum* Christi honorem, quorum meminit S. Matthaeus. Tandem, apud Waddingum (ad An. 1342, num. 49), invenitur, « Calendarium festorum peculiarium Ecclesie Hierosolymitanae, in quo recensentur plurima festa Sanctorum Veteris Testamenti, hoc est Sophoniae Prophetae, Malachiae, Ieremiae, Oscee et Aggaei, Ioelis et Esdrae, Samuelis, Zachariae, Moysis et Abrahae (Bened. XIV, *De Canoniz.*, tom. IV, p. II, c. XXIX) ». In Ecclesia autem occidentali, nullius Sancti Veteris Testamenti, exceptis dumtaxat Ss. Martyribus Machabaeis, festum celebratur universaliter. « Invocantur quidem, ait Nicolaus Serarius (Litan. 2, quaest. 18), a christianis, qui e prisco Foedere sunt Sancti, minus tamen frequenter nominatim, prout etiam festi dies in latina et occidentali Ecclesia vix unquam aguntur, quemadmodum notat Caesareus ».

Plures rerum liturgicarum scriptores conati sunt rationem reddere huius differentiae, conati sunt scilicet rationem reddere, ob quam in Ecclesia occidentali festa Sanctorum Veteris Testamenti minime celebrentur. Nonnulli auctores (cfr. Cavalieri, tom. II, p. 1, c. 31, n. 4; Bened. XIV, loc. cit., n. 4) hanc rationem ad-

(1) Apud Theodorum Balsamonem, in nomocan. Photii; tit. 8, c. 11.

Digitized by Google

ducunt: « visionem beatificam post obitum iisdem dilatam, et eorumdem descensum ad Limbum ». Verumtamen clarissime patebit, hanc veram non esse, si consideretur, a pari, tunc excludenda fore festa S. Ioannis Baptistae, Machabaeorum, S. Ioseph, S. Annae, etc.

S. Bernardus Claravallensis († 1153) videt adesse rationem, ob quam Sancti (imo quaestionem ad Martyres limitat) Veteris Testamenti in Ecclesia occidentali non coluntur festis in differentia martyrii eorum a martyrio christianorum. Namque « isti passi sunt, quia illam (iustitiam) tenebant, illi quia non tenentes reprehendebant; isti quia eam non desererent, illi quia deserentes perituros esse assererent; et ut breviter totum, in quo differunt, proferamus, hos cultus, illos zelus iustitiae martyres fecit (Epist. 98) ». Ast ratio huiusmodi nihili videtur facienda. Quid enim refert ad martyrii essentiam, an martyr ceciderit, quod vitia reprehenderit, an vero quod iustitiam professus sit? Praeterea, nonne innititur argumentum falsae hypothesi quod nempe generosa vitiorum reprehensio nequeat tanquam actus magis laudabilis haberi, ac proinde magis cultu dignus quam iustitiae professio? Quomodo vero asseri valet, inter Veteris Testamenti martyres, nullum haberi, qui ideo vitam dederit, quod in malum declinare renuerit, iustitiamque deserere? (Cfr. Bened. XIV, loc. cit., n. 6, 7).

Has rationes per extensum habet Theophilus Raynaud (Heteroclita spiritualia caelestium et infernorum, tom. 15) una cum aliis, aeque a Lambertinio minime veras existimatas. Hic auctor opinonem refert Thomassini, eamque verosimilem vocat, quanquam illi non penitus arrideat. Thomassini opinio (*Tract. hist. et dogm. de festis*, l. 1, c. 9) e ratione deduci valet, quam refert ad cultum Machabaeorum specialem cohonestandum, quae haec demum est, ipsos scilicet ultimos Martyres fuisse Veteris Testamenti.

Attamen, si quid rationes eiusmodi valerent, nonne et pro Ecclesia Orientali aeque adduci possent? Nonne et ibi impedirent, quominus solemni cultu colerentur? Aliunde igitur vera ratio est repetenda, quae et peculiaris esse quidem debet, pro

Digitized by Google

Ecclesia tantum Occidentali valorem habens, non vero pro Orientali.

Utraque Ecclesia, iam ab exordio, cultum Sanctorum admisit, tamquam sponte originem ducentem ex necessitate, quam senserunt animae christianorum quaerendi mediatores inter se et Deum (Cabrol, *Le livre de la Prière antique*, Paris, 1900, pp. 273, 289, 290; Dufourcq, *La conversione del mondo pagano*, Roma, 1904, pp. 35. 50). Inter omnes Sanctos, primi qui honorem sunt adepti cultus et festorum, fuerunt Martyres, saeculo II (1) (Cabrol, op. cit., p. 290), deinde Apostoli (Cabrol, op. cit., p. 298; Magani, *L'antica Liturgia Romana*, vol. III, p. 291; Duchesne, *Origines du culte chrêtien*, Paris, 1889, p. 272) et tantum aliquanto serius, non ante saec. IV, Confessores, sed inter eos, celebriores tantum, primus S. Silvester † 335 (Magani, op, cit., p. 312; Duchesne, ibid.; Cabrol, op. cit., p. 301, Innocentius III, *De Myster. Miss.*, lib. III, cap. X).

Cultus Martyrum essentialiter localis fuit. Peregrinationes, Reliquiarum furta de hoc fidem faciunt (Dufourcq, loc. cit.; Duchesne, op. cit., p. 273): « La première étape du culte des Martyres fut, sans doute, leur inscription sur les dyptiques de la Messe, une vigile (post Tertulliani aetatem introducta) et une Messe sur leur tombeau » (Cabrol, p. 292), aut ubi peculiaris eorum fiebat memoria, in crypta, in caemeterio, vel Basilica (Magani, p. 291–293; cfr. Bäumer, *Histoire du Bréviaire*, Paris, 1905, t. I, p. 91). Et re quidem vera, fideles Smyrnaei, in epistola, in qua martyrium narrant S. Polycarpi, propositum annuntiant, Natalem celebrandi sancti Martyris, peculiari conventu, in loco in quo corpus illius requiescit (2) (Migne, *Patr. Gr.*, t. V,

(1) Opinatur Magani, eorum cultum comprobari etiam posse in I saeculo.

(2) « Atque ita nos postea ossa illius gemmis pretiosissimis exquisitiora et super aureum probatiora, tollentes, ubi decebat deposuimus. *Quo etiam in loco* nobis, ut fieri poterit, congregatis in exultatione et gaudio, praebebit Dominus Natalem Martyrii eius celebrare, tum in memoriam, etc. » (*Martyr. Polyc.*, cap. XVIII. ed. Funk, p. 303; cfr. Euseb., *Hist. Eccl.*, lib. IV, cap. 15).

Digitized by Google

p. 1043). Commemorant ipsi quemdam coetum antelucanum, a Synaxi liturgica continuatum, prout in Dominicis (De Rossi, *Roma sotterranea*, III, p. 488; Batiffol, *Histoire du bréviaire romain*, p. 13). Similiter habetur in *Passione S. Cypriani*, et in illa quae habetur de S. Saturnino (Ruinart, *Acta*, pp. 186, 109). Prudentius, saec. IV, pariter loquitur de Missa, die Martyrum anniversaria celebrata, tum in Basilica super sepulcro aedificata, quum immediate ipso super sepulcro in eadem cripta (De Rossi, loc. cit., pp. 488–494; Cabrol, loc. cit., p. 290). Philocalianum Calendarium (1) haec sua auctoritate roborat. Ipsum sane haec continet: 1. *Depositio Episcoporum*; 2. *Depositio Martyrum*. Haec vox *Depositio*, in denotandis festis Sanctorum, relationem evidenter innuit ad eorum corpora, et quasi insinuat, festum ad eorum corpora celebrari. Designatio loci, in quo corpus asservatur, quae nomini Martyris coniungitur, deductionem cohonestat. Dicitur sane: *Dionisii in Calisti*, scilicet in huius Caemeterio, 27 Decembris; *Felicis in Calisti*, 30 Decembris; *Silvestri in Priscillae*, 31 Decemb.; *Agnetis in Nomentana*, 21 Ian., etc. (Cfr. Bäumer, op. cit., pp. 94, 96, vol. I).

Cultus Sanctorum igitur ab initio stricte localis erat. Deinde Sancti celebriores etiam extra eorum patriam, cultum habuerunt; imo eorum nonnulli venerationem consecuti sunt universalem (Duchesne, *Les origines*, p. 273; Cabrol, op. cit., p. 291); Clarus Bäumer (op. cit., vol. I, pp. 272–274) catalogum refert festorum, inter quae nonnulla Sanctorum prope finem VI saec. celebrata vel per totam Ecclesiam, vel in Orientali, vel in Occidentali. « Les translations de reliques, réelles ou représentatives, donnèrent, à partir du quatrième siècle, un grand essor à cette forme

(1) Calendarium Philocalianum antiquissimum quod remanet, recenset anniversaria Episcoporum romanorum, seu Summorum Pontificum, et plurimorum Martyrum qui Romae colebantur. Formam sub qua illud habemus recepit anno 354, sed primo redactum fuit, ut creditur, ad summum an. 336 (BÄUMER, op. cit., p. 93, vol. I; DE ROSSI, *Bollett.*, 1867, p. 40; DUCHESNE, *Les sources du Martyr.* Romse, 1885, p. 30).

Digitized by Google

de culte, et aux fêtes, qui s'y rattachaient (Duchesne, op. cit., p. 273) ». Haec vero cultus propagatio tanto facilius divulgabatur, quanto maior erat Ecclesiae dignitas, quae antea illos honore prosequuta erat per festa; equidem minores Ecclesiae semper sese conformare satagebant Ecclesiae a qua dependebant, aut a qua fidem receperant.

Quod originem respicit ac evolutionem cultus Sanctorum, nulla intercedit diversitas inter Orientalem et Occidentalem Ecclesiam, nisi excipere forte velis quandam originis prioritatem, atque maiorem propagationis facilitatem. Videmus igitur, an quoad Sanctos Veteris Testamenti aliquid inveniatur in una, quod huius cultus evolutionem ac propagationem faveat, et tamen non inveniatur in altera.

Cultus Sanctorum super eorum sepulcra incipiebat, super eorum reliquias: iamvero, Ecclesia orientalis, uti ex Baronii adnotationibus ad Martyrologium, diebus quos supra memoravimus, erui potest, omnia corpora possidebat Sanctorum veteris Testamenti, dum occidentalis nullum eorum possidebat. Hinc faciliter intelligitur, cur in illa colerentur, non in ista. Sed, ex quo fieri potuit, eorum cultus ab Oriente in Occidens nullimode propagatus fuerit? Ex hoc profecto, quod illorum celebritas non adeo magna erat, quae illi adaequari posset, quae christianorum heroum solemniter habebatur in potioribus Occidentis Ecclesiis, in quibus, insuper horum corpora colebantur. Diximus in potioribus Ecclesiis, etenim quanto facilius ab illis ad minores, tanto difficilius ab istis ad illa transibat. Compertum equidem est, minores Ecclesias liturgicis maiorum libris uti consuevisse. Verum negari nequaquam potest, alias adhuc rationes una cum his impedimento extitisse, quominus solemnis horum Sanctorum cultus in Occidens propagaretur. Eo vel magis, quod apud Augustinum invenimus evidentia signa difficultatis, quae habebatur in celebrandis Sanctis non christianis (Serm. CCC, *de Sanctis*, n. 5. Gregor. Nazianz. *Orat. XV*, nn. 1, 2. Chrysost., *Hom. de Eleaz. et VII Pueris*). Hae porro dantur rationes: 1. Si pariter haberentur Sancti novi et

Digitized by Google

veteris Testamenti, non apte significaretur, *Christum Dominum caelorum portas aperuisse, et neminem, nisi per eum consequutum fuisse, aut consequi beatitatem.* 2. Necessaria iudicatur haec disparitas, « ut patens fieret, quod ad adventum novae lex vetus cessavit, quod huius observantia non amplius necessaria erat, contra haereticos aliter sentientes, et ut Iudaei a Iudaismo ad fidem conversi a nimia affectione, quam habebant ad legem veterem, averterentur ». 3. Hanc adducit Serarius (Litan., 2, quaest. 18): « Causa ea vero videtur, quod Christiana libentius in Christo iam nato, et passo, ac resurgente, et in coelos ascendente, patres et filios amplectatur Ecclesia ».

II. Iure putandum est, has rationes, adductas et relatas, unam a Cavalieri (t. II, p. 1, c. 31, n. IV), alias a Benedicto XIV (*De Canonizatione*, l. IV, p. 2, c. 29, n. 4), unicas extitisse, quae S. Rit. Congregationem induxerint ad vetandum, quominus nova Altaria erigerentur in honorem Sanctorum veteris Testamenti Prophetarum, et ad statuendum, esse toleranda, illa tantum, quae iampridem erecta erant (S. Rit. C., Decr. n. 1978, 3 aug. 1697).

III. Sponte exurgit quaestio: Curnam de Machabaeis festum celebratur in Ecclesia universa? Mense septembri 1876, in ecclesia S. Petri ad Vincula, magnus sarcophagus detectus, est, septem habens loculos, sex marmoreis lapidibus efformatos. In his loculis, cineres et ossium fragmenta. Externa pars sarcophagi sculpturis exornatur, quarum ars ad saec. IV medietatem debet referri, aut non ultra V initium. Inventae una simul duae inscriptiones differentis aetatis, revelantes, illud esse Machabaeorum sepulcrum. (De Rossi, *Bullettino*, Ser. III, ann. I, 1876, pp. 73-75. Rampolla, *Del luogo del martirio etc. dei Maccabei*, Roma, 1897). Nunc vero, cum notum sit, Romae antiquum esse eorum cultum, legitime videbatur concludi posse, eorum cultum in Occidente originem duxisse ex Reliquiarum eorumdem translatione, et exinde ad totam Occidentis Ecclesiam propagatum. Sed penitius re considerata, sententia eiusmodi falsa omnino detegitur.

Nilles (Kalend. utriusque Eccles., I Aug., t. I, p. 230) ait:



Digitized by Google

« De Sanctis Machabaeis martyribus Antiochiae in Syria ad hunc diem in antiquissimis etiam Kalendariis relatis (ut in syriaco a Wright edito) post Baronium (Not. ad *Martyr. R.* h. d.) late agunt Bollandiani, Augusto t. I, pp. 5-15,-eorum celeberrimum iuxta ac vetustissimum cultum in universa Ecclesia multis Patrum testimoniis illustrantes martyriique Acta ex ipsis sacris litteris exscribentes ».

At haec et eiusmodi testimonia nimis generalia sunt; quaeramus magis peculiaria. Bäumer (Op. cit. t. I, p. 273), inter festa in universa Ecclesia celebrata prope finem VI saec., ponit festum Machabaeorum. Duchesne (Op. cit., p. 265) ait: Festum Machabaeorum (1 Aug.) videtur universaliter in Ecclesia receptum fuisse saec. v. In omnibus invenitur Calendariis, « depuis la plus ancienne redaction du Martyrologe hiéronymien ». Magani (Op. cit., vol. III, p. 207) generaliter receptum tenet ante saec. v. Galesinus illud putat saeculo IV anterius; id tamen aegre admittitur, si sermo sit de Ecclesia universa (Rampolla, op. cit., p. 14).

Explicita testimonia, de cultu universali, aut saltem in Occidente, haec habemus: 1. In Calendario Ecclesiae Carthaginensis (Mabillon, *Analect. veter.*, t. III, p. 398) ad medium saec. VI pertinente. 2. In Ephemeride Polomaei Silvii, in Galliis Episcopi, Anno 448 edita, quod vestigia sequitur alterius antiquioris (1) (Bolland. *Acta Sanctor.*, t. I, p. XLIV). 3. In Martyrologio syriaco a Wright edito, anno 1865-66. Wright, ad annum 412 illud refert; Duchesne probat, idem continere nominum elenchum, anno 400 anteriorem. Bäumer illud adscribit periodo inter annum 363 et 382 (Op. cit., vol. I, p. 269. Duchesne, *Les sources du Martyr. hieronym.*, Romae, 1885, p. 9-25), Rampolla (op. cit., p. 18) postremis viginti quinque annis saec. IV attribuit. Pars altera huius martyrologii quandam seriem exhibet Martyrum Syriae et Babyloniae ac Persiae, ad persecutionem Saporis pertinentem, saec. IV (Rampolla op. cit., p. 16. Bäumer, vol. I, p. 268) Pars prior, Martyres re-

(1) Etenim laterculum, declarabat, quem priores fecerunt.

Digitized by Google

censens romani imperii, verisimiliter ex Occidente provenit, forte ex ipsa Urbe; festum namque romanum Nativitatis est tanquam illius basis, aut saltem auctorem habet quemdam occidentalem; altera vero orientalem, qui aliquantulum priorem moderatus esset, iuxta Bäumer (l. cit.). Rampolla, e contrario, unum illius esse auctorem putat, antiochenum. In primo casu, huius Calendarii testimonium probaret diffusionem cultus Machabaeorum in Occidente; in altero casu, res ad Antiochiae regionem limitaretur. 4. In quodam sermone quod S. Leoni M. tribuitur († 461) habetur: « Gratias, dilectissimi, Domino Deo nostro, quod quanta sit huius diei solemnitas, etiam si ego taceam, conventus vester ostendit. Tam conspiranti enim studio et devoto animo convenistis, ut festivitatis magnificentiam etsi sermo non indicet, congregatio tamen ipsa testetur. Et recte, duplex enim causa laetitiae est; in qua et natalem ecclesiae (S. Petri ad Vincula) colimus, et martyrum (Machabaeorum) passione gaudemus etc. (Tom. I, col. 453, edit. Baller. aut Migne, *Patrol. Latina*, vol. LIV, col. 518-19). 5. In sermonibus LXXIX, LXXX, LXXXIII S. Maximi Taurinens († circa saeculi v medietatem - Migne, *P. Lat.*, t. LVII). 6. In Hom. XVIII, *De Machabaeis*, S. Valeriani Episcopi († medio v saeculo - Homiliae XX ed. a Sirmondo, Augustae Vindelicorum, 1758, p. 25). 7. In Sermone *de Sanctis* CCC, CCCI, CCCII S. Augustini († 430) (ed. Maurinorum) et Serm. LXXVI (edit. Caillau, t. XXIV *bis*, p. 51). 8. In sermone XV *De diversis capitulis quintus*, die natali Machabeorum S. Gaudentii a Brixia († iuxta aliquos 410, iuxta alios 427 (Augustae Vindelicorum, edit. 1757, p. 148 et segg.). 9. In sua tertia Epistola paschali, anno 404 exarata, Theophilus Alexandrinus Patriarcha asseruit, cultum Machabaeorum diffusum fuisse per omnes totius orbis Ecclesias (inter Epist. S. Hieron., Ep. C., n. 9). 10. Testimonium S. Ambrosii, ex Epistola erutum, quam Theodosio Imperatori misit prope finem anni 388, nos docet, quosdam monachos suae aetatis consuevisse, ex antiquo more, psalmos decantando, processionaliter accedere ad festum SS. Machabaeorum celebrandum (Ep. XL ad Imper.

Digitized by Google

Theod. Aug. n. 16, t. XVI, col. 1107 ed. Migne). Unde iure creditur, festum Machabaeorum natalis iam in Occidens advectum fuisse multo ante aevum S. Ambrosii (Rampolla, op. cit., nn. 14, 15). 11. Ad horum omnium coronidem addimus, quod iam usque a saec. IV, et sub initio V, datur invenire in Occidente Basilicas, erectas et SS. Machabaeis dicatas (Sollier, *Acta SS.*, Aug., t. I, ad diem 1. m., paragr. 11, n. 6), de quo fidem faciunt S. Ambrosius (Epist. XL ad Theodos., n. 16), qui de *memoria* agit Alexandriae illis dicata, quo monachi accedentes ad festum celebrandum, quum a Valentinianis impediti fuerint, ut vindictam sumerent, aediculam Aeonibus sacram incenderunt; et S. Augustinus (*Serm. CCC, CCCI*), qui de Ecclesia loquitur Antiochiae dicata, ac de festis in eorum honorem celebratis (Magani, Op. cit., vol. III, p. 307).

Haec antiochena Ecclesia, ait Augustinus (ibid.), ad quam in solemnitatis die ex omni Syria conveniebatur, in Africa quoque celebris erat, eo quod aedificata inveniretur super Martyrum sepulcro. De hac praesentia Reliquiarum Antiochiae multiplicia habemus argumenta. 1. Ipsi Martyres ibidem necati sunt (Rampolla, op. cit. p. 8), ac proinde ibi eorum corpora asservata. Id legitime consequi eo vel magis manifestum fit, si consideretur, nec Hierosolymis, nec in alia Palaestinae urbe antiquitus ullam servatam fuisse memoriam horum Sanctorum, nec unquam ibi decertatum esse de Reliquiarum possessione. Imo Iudaei parvi eos fecerunt (S. Augustin., *Serm. CCC*, n. 5). 2. S. Hieronymus († 420) ait, sua aetate, nostrorum Sanctorum Reliquias Antiochiae ostensas fuisse (*De situ et nominibus locorum hebraicorum*, Migne, p. 4, t. XXIII, col. 911); et quia ipse, ut notavit Vallarsi (Annot. in S. Hieron., t. III, p. 250), involuntarie cum Mathathia, Iuda ceterisque posteris permiscuit, ait: « Modeim, vicus iuxta Diospolim, unde fuerunt Machabaei, quorum hodieque ibidem sepulcra monstrantur: satis itaque miror, quomodo Antiochiae eorum Reliquias ostendunt ». 3. S. Ioannes Chrysostomus († 407) Antiochiae super eorum sepulcrum praedicabat (ann. 387-397), et ex eius dictis,

Digitized by Google

praeter corporum praesentiam, splendor arguitur cultus illis praestiti (*Hom. I in Ss. Machab.* etc., n. 1). Antiochiae igitur, saeculo IV exeunte, non modo ostendebantur, uti autumat S. Hieronymus, Reliquiae Ss. Machabaeorum, sed ibi colebantur solemnissimo cultu (cfr. *Hom. II in Ss. Machab.*, n. 1, et *Hom. XI de Eleaz.*, n. 1, t. XII). 4. Sed traditio existentiae eorum corporum Antiochiae non coarctatur ad IV saec. et ad V initium, sed ad nos propius procedit. De ea loquitur Itinerarium Antonini Placentini (1), exarati, iuxta Rampolla (op. cit. p. 11-12), super relationibus visitatorum saec. VI, qui ad easdem regiones se contulerunt, inter ann. 543 et 561. Ibi dicitur: « Inde exeuntes venimus Antiochiam maiorem (2), in qua requiescit S. Babylas Episcopus et tres Parvuli et S. Iustina et Iulianus et Fratres Machabaei, hoc est septem sepulcra, et super uniuscuiusque sepulcrum scriptae sunt passiones eorum ». Basilica igitur antiochena, sub medio IV saeculo aedificata, Reliquias horum Sanctorum, usque ad saec. VI asservavit, cum praeter dubium sit, eorum sepulcra Antiochiae a visitatoribus inventa fuisse paulo post terraemotum anni 551, qui gravissima damna aliquibus Phoeniciae, Syriae et Palaestinae locis attulerat (Rampolla, p. 39-40). Sepulcra igitur Machabeorum certe Antiochiae existebant usque ad annum 551. Exinde vero ex hac urbe evanescit vestigium quodcumque, non minus sepulcrorum quam Basilicae in eorum honorem erectae. De Saussay (*Martyrol. gallic.*, ad diem 1 Aug.), documentis innixus quae forte prae manibus habuit, adseruit, Machabaeorum Cineres a Iustiniano Constantinopoli repositos fuisse. Chronicon paschale equidem ait, in Sicae (Constantinopolis regione), anno 626, Ecclesiam extitisse Ss. Machabaeis dicatam, quae nonnisi a Iustiniano aedificari potuit, aut saltem ab immediatis

(1) Quoad authenticitatem huius *Itinerarii*, scripti iuxta Grisar saec. VI (c. 580) cfr. GRISAR, *Zur Palästinareise des sog. Antoninus Martyr.*, in " Zeitschrift für Kathol. Theologie „ XXVI, 1902, n. 4, p. 760-770, et *Civiltà Cattolica*, ser. XVIII, vol. 11, p. 608; PIACENZA in " Ephem. Liturg. „ 1903, p. 338.

(2) Id est: τὴν μεγάλην Ἀντιοχείαν, uti semper eam vocant auctores aetatis iustinianeae.

Digitized by Google

eius successoribus, cum antea in regione sicena una tantum extiterit Ecclesia S. Theclae dicata; huius autem aedificationis facilis invenitur ratio in translatione Reliquiarum, post dirutam Basilicam antiochenam. Constantinopoli vero statim fere Romam translatae sunt. Romanum Martyrologium, die 1 Augusti, Natale commemorat Machabaeorum, quorum Reliquias asserit Romam translatas, ac in ecclesia S. Petri ad Vincula depositas. Inscriptio quaedam in hac Basilica apposita translationis aetatem exhibet:

*Hoc Domini templum Petro fuit ante dicatum*
*Tertius Antistes Systus sacraverat olim*
*Civili bello destructum post fuit ipsum*
*Eudoxia quidem totum renovavit ibidem*
*Pelagius rursus sacravit Papa beatus*
*Corpora sanctorum condens ibi Machabaeorum.*

Et revera Pelagius I vixit Papa ab anno 556 ad 561 (Rampolla, Magani, op. cit., vol. III, p. 308; Grisar, *Storia di Roma* etc. Roma, vol. II, p. 262–291). Rem auctoritate roborat *Sacramentarium Gelasianum* (Duchesne, 1888, illud S. Gregorio M. tribuit Probst. 1892, Gelasio; cfr. Bardenhewer, *Patrologia*, Roma, 1903, vol. III, p. 120), in quo Machabaeorum festum aliud obnubilat Dedicationis Ecclesiae, eodem die recurrens, cum illud solummodo commemoretur; dum in Sacramentario Leoniano (Bardenhewer, vol. II, p. 364–365), sub medietate saec. VI exarato, iuxta Duchesne, et iuxta Probst, saec. V, de sola Dedicatione fit mentio, quamvis, prout novimus ex Oratione S. Gregorii Magni, Natalis etiam Machabaerum commemoraretur. In Sacramentario Gregoriano, posteriore, Dedicatio rursus praevalet, quod videtur innuere tempus translationis et maioris fervoris in eorum veneratione.

His positis, concludere oportet, eorum cultum, Romae, ac proinde in Occidente, originem non duxisse ex eorum Reliquiarum praesentia; festa namque ibi celebrabantur in eorum honorem, magna cum pompa et magno cum populi concursu (S. Leo, l. c.), quando adhuc eorum Reliquiae translatae non fuerant (Magani,

Digitized by Google

op. cit., vol. III, p. 308). Machabaei igitur inter illos Sanctos connumerandi sunt, quorum celebritas tam magni habebatur, ut posset, ut vidimus, eorum cultum e locali in universalem immutare. Haec porro celebritas ipsis certo parta est, quod eorum martyrium in sacris Scripturis commemoratur, et adhuc ex libro « De ratione imperante », qui a pluribus Iosepho Flavio tribuitur, ac ab antiquis *IV Machabaeorum* nuncupatur. Haec autem narratio tam efficax est, ut mirari debeamus exemplum sublimem fidelitatis erga avitam religionem, ac heroicitatis, unde gloriosi effecti sunt Machabaei, adeo ut S. Cyprianus († 258) stupenda eorum texuerit elogia, eosdem praebens tanquam efficax exemplum, christianis ad martyrium hortandis (loc. cit.), id autem, cum nondum eorum corpora possederint christiani (Rampolla, op. cit. l. V); et S. Gregorius Nazanzienus (orat. de Machabaeis), postquam dixit Sanctos veteris Testamenti esse colendos, etsi ante Christum defunctos, promovere studens Ss. Machabaeorum cultum, qui ut superius vidimus, oppositores habebat, ob praedictam rationem, tanquam iustam causam attulerit mirabile exemplum, mirabilemque fortitudinem martyrii eorum, quod, cum in Ss. Scripturis minutim enarretur, quae praerogativa aliis Sanctis veteris Testamenti non tribuitur, specialem constituit causam, cur eorum cultus propagaretur. Hic sponte Antiochiae ortus, ubi Sancti martyrium subiere, ac ubi eorum corpora habebantur, ex hac urbe, per totum Oriens diffusus est, ac deinde per Occidens. Et re quidem vera, horum festum, Antiochiae ad insequentem diem protrahebatur, cum homiliis duabus (S. Ioann. Chrysost., *Hom. II* et *Hom. XI* citt.). Ad festum huiusmodi multitudo magna Syrorum concurrebat, e villis agri antiocheni (id. *Serm. de SS. Martyribus*), ac plura percurrendo stadia, urbanus populus (Chrysost., *Hom. de Eleaz.* etc.), qui potissimum helladicus erat (id., loc. praecit.), Hellenes vero illum forte ad alias ecclesias, quae ritum et sermonem graecum adoptaverant, propagarunt. In fastis Ecclesiae occidentalis, ait E.mus Rampolla (op. cit. p. 16), videtur affirmari posse, hoc festum ad nos ex Oriente fuisse translatum, ac praecise id eruitur ex quodam

Digitized by Google

*Feriali* seu *Martyrologio* Ecclesiae antiochenae. Optimis equidem rationibus a cl. De Rossi demonstratum est, aeque ac a Duchesne (*Martyr. Hieronym.* etc., Paris, 1894), Sanctorum orientalium memoriam, una cum frequenti citatione provinciarum, a hieronymiano relatam (uti fit de Machabaeis), originem agnoscere orientalem.

IV. Aliorum quoque Sanctorum veteris Testamenti, aliquibus locis Ecclesiae occidentalis, « ex permissione Sedis apostolicae, et indulto Congregationis Sacror. Rituum, concessa fuit Officii et Missae celebratio, in Ecclesiis, quae ab antiquo tempore iisdem fuerunt dicatae, et praeterea reservatae sunt antiquissimae consuetudines nonnullarum Ecclesiarum, ut in ipsis Officia recitentur, et Missae celebrentur in honorem eorumdem Sanctorum (Bened. XIV, *De Canoniz.at.*, l. IV, p. II, cap. XXIX, 11) ». In quibus verbis duo considerari valent: 1. Missae et Officii celebrationem pluris valere quam Altaris erectionem, et Ecclesiae dedicationem (Bened. XIV, l. IV, p. II, cap. XXIX, n. 13); cum notum sit, Officium et Missam, ex apostolica venia, concessa fuisse *antiquis* Ecclesiis hisce Sanctis dicatis; quod ex Decr. S. R. C. confirmatur, declarans posse erigi Altaria in honorem Beati, de quo concessum est fieri Officium vel Missam (n. 1156, 17 Apr. 1660), sed non viceversa. 2. Cultum Sanctorum veteris Testamenti semper esse cultum particularem, aliquibus locis coarctatum, quae peculiari ex causa illo gaudent; veluti Venetiae pro Ss. Zacharia et Daniele, quorum possident corpora aut reliquias, et nonnullae aliae civitates, pro S. Elia, cuius cultus in illis forte incoepit ex praesentia Carmelitarum, quibus est facultas eius festum celebrandi. Est autem communis Canonistarum sententia, non posse Summum Pontificem, de potestate *ordinaria*, disciplinae et consuetudini alligata, sed tantum de potestate *absoluta* eorum cultum extendere ad Ecclesiam universam (Benedict. XIV, *De Canoniz.*, l. IV, p. II, cap. XXIX, n. 3). Nunc vero, cum vetita sit novorum altarium erectio in eorum honorem (S. R. C., decr. cit. n. 11), considerari valet differentia, quoad qualitatem celebritatum, quae semper extitit, et adhuc extat, inter

Digitized by Google

Sanctos veteris Testamenti ac novi. Pro his postremis nunquam sane vetita est novorum Altarium erectio, ac eorum cultus extensio ad Ecclesiam universam est de potestate ordinaria Summi Pontificis. Unde concludendum est, Sanctis veteris Testamenti haud posse applicari Decreta S. R. C., n. 1835, 19 Oct. 1691, et n. 2228, 29 Sept. 1714, iuxta quae, in Ecclesiis in quibus Reliquia insignis asservatur alicuius Sancti in Martyrologio commemorati, de cuius identitate constet, de hoc Sancto celebrari valet Officium et Missa.

Praeterea, circa nostrum casum haec alia consideranda veniunt: 1. ex modo quo casus exprimitur, non constat de Reliquiae identitate, deest igitur conditio, sine qua, iuxta citata Decreta, et alia quae in authentica Collectione habentur, sub nn. 1234, ad 1; 1722; 1815, ad 3; 2180, nequit celebrari Officium et Missa. Nec expositio ac veneratio Reliquiarum valere potest pro identitate, cum possint imo debeant veteres Reliquiae asservari, quamvis de earum identitate minime constet, « in ea veneratione, in qua hactenus fuerunt, nisi in casu particulari certa adsint argumenta, eas falsas vel suppositiitias esse ». S. Indulg. C., 20 Ianuar. 1896, et Decr. supr. cit. (cfr. *Il Monitore ecclesiast.*, a. 1904, pag. 322; *Rivista delle riviste*, Genn. 1905). 2. Etiam dato quod Decretum applicabile foret Sanctis veteris Testamenti, et in casu nostro singulae concurrerent conditiones requisitae, Opilius semper debuisset ad Episcopum recursum habere; hic enim est custos a S. Sede delegatus circa ecclesiasticos ritus.

Digitized by Google

# Quaestiones Liturgicae.

## De doxologiae hymnorum mutatione.

Non semel agitata fuit in his *Ephemeridibus Liturg.* quaestio de doxologia hymnorum eligenda in Vesperis, quando plures sunt in concurrentia; sed attenta quadam sententia quae, relata anno 1892 (p. 552) et anno 1905 (p. 434 et 628), videtur minus Decretis consona, ego opportunum duxi principia sub oculis rursum ponere, ut facilius pateat, ubi sit veritas.

Triplicem doxologiae propriae ordinem concurrere posse inter se, vel cum altera doxologia communi, omnes norunt et profitentur, scilicet: 1° festi vel officii votivi, 2° octavae, 3° temporis. Unde mutatio doxologiae evenire valet, vel ratione festi aut officii votivi, cui solummodo adnectitur, vel ratione octavae, per quam diebus octo protrahitur, vel ratione temporis, in quo adhuc diutius perdurat doxologia propria.

Sed cuinam ex eis praeferentia attribuenda est? Distinguendum est.

*a*) Si alterutra doxologia propria, cuiuscumque sit ordinis, concurrit cum altera simpliciter communi eiusdem metri, nulla est difficultas; doxologia propria subrogatur doxologiae communi, et locum eius occupat, dummodo officium ad quod pertinet propria doxologia, commemoretur in Vesperis.

Exemplum: Festum Septem Dolorum B. M. V. in secundis Vesperis concurrit cum primis Vesp. S. Ioseph die 18 Martii; ante huius elevationem ad ritum 1 cl., Vesperae huius S. Patriarchae admittebant commemorationem de Beata, et Roma, nihil dicens de hymno Vesperarum ob diversitatem metri, declarat ad Completorium servandam esse iuxta rubricas doxologiam *Iesu, tibi sit gloria* (S. R. C., 11 Martii 1871, n. 3241, ad 1). — Item, officium votivum, quod propria gaudet in hymnis conclusione concurrit in suis secundis Vesp. cum duplici in primis Vesp. sine

Digitized by Google

doxologia propria, et S. R. C. mandat in hymno Completorii, a fortiori in hymno Vesperarum, si est eiusdem metri, conservandam esse doxologiam propriam officii votivi, quamvis tantum commemoretur in Vesperis (9 Maii 1884, n. 3607 ad 2). — Unde iam resultat, doxologiam propriam in tota sua die perseverare, Completorio non excepto, quamvis in Vesperis II habeat meram commemorationem. Quid dicam? Quando feria V actum est officium votivum de SS.mo, et Feria VI agendum est de Sacra Spinea Corona vel de S. Sindone non habentibus doxologiam propriam, adhuc retinenda est doxologia SS. Sacramenti, licet non in Vesperis commemorati *propter identitatem obiecti*, in hymnis eiusdem metri tam ad Vesperas quam ad Completorium (S. R. C., 5 Febr. 1895, n. 3844 ad VII). Sed praeter hunc casum identitatis obiecti, quoties supprimitur in II Vesp. suis commemoratio officii gaudentis doxologia propria, ipsa quoque doxologia propria non amplius perseverat tam ad Vesperas quam ad Completorium officii sequentis.

Quandonam autem incipit substitutio doxologiae propriae loco doxologiae communis? Incipit cum Vesperis I officii habentis doxologiam propriam, etiamsi Vesperae essent de praecedenti, et ipsum tantummodo commemoraretur. Exemplum habes in decreto 27 Iulii 1901 *in Lauretana*, ad 2. Die 28 Octobris celebratur festum SS. Simonis et Iudae Apostolorum, et in crastino die officium votivum de SS.mo vel de Immaculata. Quaenam adhibenda est doxologia in hymno de secundis Vesperis Apostolorum, si in eisdem Vesperis facienda sit commemoratio respectivi officii votivi? An communis Apostolorum, vel propria SS.mi vel Immaculatae? Et responsum est, exquisito voto Commissionis Liturgicae: dicetur doxologia *Iesu, tibi sit gloria*, iuxta rubricas generales Breviarii, Tit. XX, n. 4. Et de facto, ait Rubrica, « Quandocumque fit officium B. M. tam novem quam trium lectionum, etiam tempore paschali, . . . . . dicitur *Iesu, tibi sit gloria, qui natus es de Virgine etc.*, ut in eius officio per annum, etiamsi dicantur hymni de Sanctis, qui infra Octavas praedictas celebrantur ».

Digitized by Google

*b*) Si doxologia propria concurrat cum altera doxologia propria, et *utraque sit eiusdem ordinis*, uti est doxologia pertinens ad duo festa vel duo officia votiva, tunc attenditur solum ad celebrationem officii; incipit in primis Vesperis, et perseverat in secundis Vesperis doxologia alterutrius, prout habet vel non Vesperas integras vel a Capitulo.

Exemplum: In concurrentia duorum festorum, nempe Domini nostri et Beatae M. V. habentium conclusionem hymnorum propriam, « erit retinenda, ait Roma, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, conclusio hymni illius festi, de quo Vesperae integrae recitantur (S. R. C., 3 Aug. 1901, ad III *in Tropien.*). — Item, quando officium votivum de Passione concurrit cum votivo de Immaculata, doxologia ad Completorium erit *Iesu, tibi sit gloria*, et non *Sit laus Patri*, quia iam a Capitulo fit de Immaculata, et si quaestio ibi non est de hymno Vesperarum, hoc est quia hymnus *Ave, maris stella* non est eiusdem metri (S. R. C., 16 Nov. 1898, n. 4003, q. 3). — Si vero officium SS. Sacramenti, quod semel in singulis hebdomadis ex indulto recitatur, habet secundas Vesperas integras, concludendus erit hymnus Completarii cum stropha *Iesu, tibi sit gloria* (S. R. C., 6 Feb. 1858, n. 3064, ad III), et ideo non erit quoque mutanda in stropham *Sit laus Patri*, quando ob identitatem obiecti cum Passionis officio votivo concurrente relinquuntur ei Vesperae integrae.

*c*) Si doxologia propria unius et alterius concurrentium non est eiusdem ordinis, uti est doxologia festi vel officii votivi cum doxologia Temporis v. g. paschalis, tunc non attenditur ad celebrationem Vesperarum, sed praelatio conceditur doxologiae magis propriae, ea conditione sola quod officium ad quod pertinet, saltem commemoretur.

Exemplum: Si infra tempus paschale, a Dominica in Albis usque ad Ascensionem, occurrit officium votivum de Immaculata cum primis vesperis Dominicae, quae celebrantur a Capitulo, conclusio in hymno *Ad regias Agni dapes* et in hymno Completorii erit *Iesu, tibi sit gloria* loco doxologiae propriae temporis (S. R. C.,

Digitized by Google

6 Sept. 1890, n. 3735, ad II). Et haec regula non unice restringenda est, ut insinuat cl. P. Brugnani (pag. 238 praeteriti anni), ad casum ubi Vesperae forent de aliquo duplici incidente in Dominica, sed etiam extendenda est ad casum ipsius Dominicae propriae concurrentis; aliter non postularetur expresse, quaenam doxologia dici debeat in hymno *Ad regias Agni dapes*, quoniam ille non posset recitari, si concurreret festum duplex in Dominicam incidens.

*d*) Si doxologia propria festi alicuius concurrit cum altera alicuius Octavae propria, numquid adhuc praeferenda est magis propria, etiamsi non pertineat ad officium quod habet Vesperas integras aut potiorem partem seu a Capitulo, dummodo tamen in Vesperis commemoretur? Casus non differt a praecedenti, et ideo non aliter solvendus est, quoniam ubi eadem est ratio, ibi eadem dispositio. Porro magis propria est quae uni convenit, quam quae convenit octo diebus, et magis propria quae convenit alicui octavae, quam quae convenit pluribus hebdomadis. Hinc dubium non est quod doxologia festi propria praevalet super altera propria Octavae, si festum saltem commemoretur, quamvis Vesperae integrae vel pars nobilior Vesperarum pertineret ad Octavam. Eadem doctrina valet ad determinandam praelationem doxologiae octavalis super doxologia Temporis.

Neve obiicias cum cl. solutore dubii (p. 434 et 628) Octavam habere rationem festi seu nihil aliud esse quam extensionem festi. Hoc non est ad rem, quum nimis probet. Si enim valeret, decreta non dicerent, omnes dies infra octavas habendos esse tanquam secundarios, et diem ipsam octavam esse primariam vel secundariam, prout festum ad quod illa pertinet, primarium vel secundarium est (S. R. C., 21 Febr. 1896, n. 3886). Deinde hymnus Vesperarum Nativitatis S. Ioannis Baptistae, deficientibus Vesperis, deberet coniungi cum hymno Matutini, non solum in festo, sed pariter infra Octavam et die octava, si eodem modo absque Vesperis celebrari contingeret: quod respuit decretum *in Lauretana* 27 Iulii 1901 ad 1. Praeterea si doxologia infra octavam esset proprie festiva, auctores tantum locuti fuissent de doxologia festi

Digitized by Google

et doxologia Temporis. Unde superest ut pro certa teneatur nostra doctrina, quae distinguit doxologiam octavae ab aliis.

Si nunc habeatur specialis eius applicatio ad festum B. M. V. titulo *Auxilium Christianorum*, licet Vesperae sint integrae de die octava Ascensionis, attendendum est, ut diximus supra, non ad celebrationem Vesperarum, sed ad doxologiam magis propriam, quoniam una pertinet ad ordinem festi, et altera ad ordinem octavae. Sed octava reputari non valet tanquam magis propria, quia se extendit ad octo dies, dum altera respicit tantum festum particulare B. M. V.; ideo doxologia erit *Iesu, tibi sit gloria, qui natus es de Virg.*; sicut in officio Immaculatae ante Dominicam III, tempore paschali, cuius sunt Vesperae a Capitulo seu quoad partem nobiliorem, praefertur doxologia B. M. V. quatenus pertinens ad festum particulare, dum altera pertinet ad tempus complectens plures hebdomadas, et ideo minus propria est.

A. FOURNERET
ex Acad. Liturg. Rom. Censoribus.

# Consultationes.

## Dubiorum liturgicorum solutio.

EX URBE.

**Dub.** – Sacerdos cantans solemniter Martyrologium in Vigilia Nativitatis Domini, potestne sub pluviali violaceo deferre stolam?

**Resp.** – Iuxta Rubricas et Decreta S. R. C. stola adhibenda est in conficiendis et administrandis Sacramentis ac Sacramentalibus, et etiam in Concionibus, si adsit consuetudo (S. R. C., 26 Sept. 1868, n. 3185, et 11 Mart. 1871, n. 3237[2]); Hebdomadarius autem in decantandis Horis Canonicis, itemque Celebrans, etiam ubi non est obligatio chori, in Vesperis solemnibus sive festivis sive votivis, quamvis persolvantur coram SS.mo Sa-

Digitized by Google

cramento exposito, non debet nec potest uti stola, contraria consuetudine haud obstante (S. R. C., 4 Aug. 1663, n. 1275 [3], 11 Sept. 1847, n. 2956 [5], 29 Nov. 1901, ad II, et 30 Maii 1905, ad I, apud *Ephem. Liturg.*, vol. XV, pag. 698, et ann. curr., pag. 401). Nihilominus potest Sacerdos ad Vesperas defunctorum accipere stolam cum pluviali ab initio Vesperarum (S. R. C., 12 Aug. 1854, n. 3029 [8]).

Ex his principiis inferendum videtur, stolam adhiberi non posse ad solemnem Martyrologii cantum in Vigilia Nativitatis Domini, prouti docet cl. A Carpo (*Caerem.*, part. I, n. 117) et praescribitur in Caeremoniali Romano-Seraphico ad usum FF. Capuccinorum a S. R. C. approbato die 2 Aug. 1892 (part. V, n. 1247).

Dicimus tamen, Sacerdotem cantaturum Martyrologium in Vigilia Nativitatis Domini, probabiliter incedere posse indutum stola sub pluviali violaceo, saltem ubi eiusmodi viget consuetudo, quae implicite probata videtur per Decreta S. R. C., 27 Mart. 1779, n. 2514 [1], et 12 Nov. 1831, n. 2684 [21] (cfr. Index Decr., pag. 276, et Merati, sect. VI, cap. IV, n. II). Quod autem pluviale pro canendo Martyrologio in Vigilia Nativitatis Domini, debeat esse coloris *violacei*, aperte constat ex Decreto S. R. C., 22 Martii 1817, n. 2573.

NOTA. - Dubium quoad Calendarium adhibendum in Oratoriis piarum Communitatum, solutum est in his *Ephem. Liturg.*, vol. XVIII, pag. 120.

## PRO DIOECESI N.

1. Dum feretrum vel tumulus aspergitur aut incensatur, huiusmodi aspersio et incensatio fieri non debet in capite atque extremitate feretri vel tumuli. Rubricae enim Missalis Romani (*Rit. celebr. Miss.*, tit. XIII, n. 4) ita loquuntur: « Celebrans circumiens tumulum, aspergit illum aqua benedicta, ter *a parte dextera*, et ter *a sinistra*..., et eodem modo, quo asperserat, incensat ». Item Caeremoniale Episcoporum (lib. II, cap. XI, n. 18 et 19) statuit: « Praelatus asperget lectum circumcirca, ambulans, inci-

Digitized by Google

piens a sua parte dextera, ter aspergens quamlibet lecti partem *lateralem*..., et lectum similiter circumcirca thurificabit, ter in qualibet parte *laterali* thuribulum ducens ». Merito igitur cl. De Herdt (*S. Liturg. Prax.*, tom. III, n. 253) docet, feretrum aspergendum atque incensandum esse « non in capite nec in fine feretri..., sed ter ab utraque parte *laterali* ». Consuetudo autem Rubricis contraria tolerari nequit.

2. Ubi in festo S. Nicolai Episcopi Titularis Ecclesiae dicitur ex indulto Officium proprium cum oratione aliquantum diversa ab ea, quae legitur in Breviario Romano (die 6 Dec.), pro commemoratione eiusdem Titularis in Suffragiis Sanctorum, oratio sumitur e die festo, idest ex Officio proprio ibidem concesso, mutato verbo « *Nativitatem, natalitia, solemnitatem* » vel alio simili (si adsit) in « *commemorationem* », et omissis verbis « *haec, hodierna, annua dies etc.* ». Cfr. Decr. S. R. C., 31 Aug. 1867, n. 3157 ad I, et 11 Mart. 1882, n. 3539 ad I; ac De Herdt, *S. Liturg. Prax.*, tom. II, n. 370.

## Pro Philadelphia.

1. Post Litanias Lauretanas B. M. V. semper dici potest ℣. *Ora pro nobis* cum oratione *Concede nos*, uti legitur in appendice ad Rituale Romanum; versiculus autem, responsorium et oratio post dictas Litanias mutari possunt *pro temporis diversitate* (S. R. C., 7 Dec. 1900, *Brunen.* ad I, apud *Ephem. Liturg.*, vol. XV, pag. 265); scilicet sumi possunt vel ex iis quae recitantur post Completorium, vel ex Missa votiva B. M. V., vel e festo Deiparae, quod ea die recolitur; agitur enim de functione extraliturgica, pro qua maior habetur libertas.

2. Ablutio digitorum in Missa fieri solet *in cornu Epistolae*, iuxta communiorem liturgistarum doctrinam, quae confirmari videtur per Rubricam Memorialis Rituum iussu Benedicti PP. XIII editi, ubi pro feria V in Coena Domini praecipitur, ut Celebrans « facta genuflexione, abluat digitos super Calicem, et super Altare de more, et reaccedens ad medium genuflectat ». Nonnulli

Digitized by Google

tamen putant, ablutionem digitorum fieri posse *in medio Altaris*, saltem si in Altari non adsit SS.mum Sacramentum expositum (cfr. De Herdt, *S. Liturg. Prax.*, tom. I, n. 270, editio VIII, et Decr. S. R. C., 30 Dec. 1881, n. 5830 ad XII, in veteri collectione). Quod si forte sacra Hostiae particula in Calice remanserit post primam Calicis purificationem, Celebrans digito ad labium Calicis eam adducat et sumat *ante digitorum ablutionem*, vel rursus vinum infundat et sumat *antequam digitos abluat* (Rubr. Miss., *De defect.*, tit. X, n. 8).

3. Iuxta Caeremoniale Episcoporum (lib. II, cap. VIII, n. 68), in Missa pontificali de festo, dicto *Sanctus*, quatuor, sex, aut ad summum octo ministri, cottis induti, afferunt totidem funalia. Quod si agatur de Missa solemni non pontificali, iuxta Rubricas Missalis Romani (tit. VIII, n. 8) ad finem Praefationis accenduntur *duo saltem intorticia* ab acolythis; scilicet communiter adhibentur duo intorticia, sed in ecclesiis ac festis praecipuis adhiberi possunt *quatuor* vel *sex* acolythi cum facibus (A Carpo, *Caerem.*, par. II, n. 219).

4. Ad solemnes Vesperas in Dominicis et *aliis festis* de praecepto quoad forum, quae explicite non indicantur in Caeremoniali Episcoporum (lib. II, cap. III, n. 16 et 17) adhibentur duo pluvialia, ut ibidem praescribitur, cuiuscumque ritus ea festa sint; sed ob extrinsecam solemnitatem maior pluvialium numerus adhiberi potest. Quoad festa autem duplicia 2 classis, vel maiora, quae non sunt de praecepto, nihil Caeremoniale praescribit; servanda igitur est loci consuetudo (cfr. De Herdt, *Prax. pontif.* tom. II, n. 51 et 52).

5. Si Celebrans, immediate post Vesperas solemnes, benedictionem cum SS.mo Sacramento impertiri velit, debet sub pluviali stolam *eiusdem coloris* induere, quae hoc in casu etiam ante Vesperas indui potest ad mentem Decreti S. R. C., 19 Sept. 1883, n. 3593 ad II. Sacerdos autem vel Diaconus exponens stola *eiusdem coloris* utetur, quam de more osculabitur etsi adsit Sacramentum expositum.



Digitized by Google

# Palaestra liturgica.

## SOLUTIO QUAESTIONIS
## pro mense Septembri 1905 propositae.

### De Festo Annuntiationis B. M. V.

**Quaestio.** – Festum Annuntiatiouis B. M. V. in ecclesiis, quarum est Titulus vel ubi ex privilegio celebratur cum Octava etiam in Quadragesima, estne cum Octava recolendum, quotiescumque transfertur in feriam II post Dominicam in Albis?

**Solutio.** – Ut status quaestionis sit magis perlucidus, plura sunt praenotanda.

Primo, *ratione festi universae ecclesiae*, Annuntiatio non habet ius ad Octavam, sive celebretur die 25 Martii, sive feria II post Dominicam in Albis. *Prior pars* innititur decreto S. R. C. 23 Aprilis 1895, n. 3850: « Festum Annuntiationis B. M. V., die 25 Martii occurrens, in universa ecclesia ritu dupl. I. cl. amodo recolendum esse cum omnibus iuribus celebriorum festorum propriis, *etsi octava carens* ob temporis Quadragesimalis rationem ». Pro altera parte, legimus in eodem decreto: « coeterum, quotiescumque vel feria VI in Parasceve vel Sabbato Sancto hoc festum impediatur, toties feria II post Dominicam in Albis, tanquam in sede propria, ut antea, reponatur: in qua integra cum solemnitate ac feriatione, *sed sine octava*, prouti die 25 Martii, celebrabitur. Quando vero illius tantummodo impediatur officium, ad enunciatam pariter feriam II amandetur, ac nonnisi festo primario eiusdem ritus occurrente valeat impediri: quo in casu, in sequentem diem similiter non impeditam transferatur ». Quod et perfecte quadrat cum specialibus Rubricis tam Missalis quam Breviarii Romani sub die 25 Martii consignatis: « Si hoc festum venerit Feria VI in Parasceve vel Sabbato Sancto, transferendum erit in feriam II post Dominicam in Albis tanquam in sedem

Digitized by Google

propriam, integra cum solemnitate ac feriatione, *et sine octava*, servato tamen ritu paschali ». His autem diebus sepositis, « quod si incidat in hebdomadam maiorem vel paschalem, ad enuntiatam feriam II post Dominicam in Albis amandetur, ac nonnisi festo primario eiusdem ritus occurrente valeat impediri: quo in casu in sequentem diem similiter non impeditam transferatur », et a fortiori caret Octava in casu, quia semper minus privilegiatur officium mutatum quoad chorum quam officium translatum etiam simul quoad forum.

Secundo, *ratione festi localis*, certum est, Annuntiationem veluti ecclesiae Titulum, nisi celebretur in tempore vetito, ius habere ut quotannis recolatur sub ritu dupl. I cl. cum Octava, iuxta Rubricas Titularibus competentes (S. R. C. 5 Iunii 1899, n. 4025, ad 1; et 18 Iunii 1689, n. 1809); imo, ex privilegio peculiari posse cum Octava celebrari etiam in Quadragesima, si reapse huic ecclesiae conceditur (S. R. C. 5 Maii 1736, n. 2319, *reliq. dub.* ad 26; 22 Maii 1894, n. 3826). Sed quando festum recoli non potuerit ipsa die 25 Martii et transferatur in feriam II post Dominicam in Albis, est ne, quaeso, cum Octava recolendum, quum iam nihil amplius remaneat temporis vetiti, quod pridie expiravit (Cf. Tabel. Occur. not. 6)? Ibi est nodus quaestionis quae, quum semper non eamdem patiatur responsionem, solvenda erit per partes.

Iam primum, est clara Rubricae dispositio, quod scilicet festum habens Octavam, si transferatur post suam Octavam vel si celebretur in die eius Octava, tunc *eo anno* illud festum amittit Octavam, nisi quoad hoc habeatur aliquod privilegium, quale habent Monachi Cassinenses pro Octava S. Benedicti et S. Scholasticae, PP. Minimi pro Octava S. Francisci de Paula, ecclesia Barcinonensis pro Octava S. Eulaliae, et dioeceses antiqui Dominii Veneti pro Octava Annuntiationis. « Si festum Nativitatis S. Ioannis Baptistae, ait siquidem Rubrica, Tit. X, n. 1, venerit in die Corporis Christi, transfertur in sequentem diem... Dies autem Octava S. Ioannis, tunc veniens in die Octava Corporis

Digitized by Google

Christi, *non transfertur*, sed de illa *eo anno* fit tantum *commemoratio* in utrisque Vesperis et Laudibus diei Octavae Corporis Christi: et *id semper servetur, quando festum habens Octavam transfertur, ut non ideo dies Octava transferatur*, sed ipsa die de ea fiat commemoratio, quae alias erat Octava, si festum non fuisset translatum. Quod si festum *per totam suam Octavam* transferri contigerit, *illo anno* celebretur *sine Octava*, nisi Titularis ecclesiae privilegio aliter fieri oporteat».

Quid autem agendum, prosequitur Merati, Tom. II, Sect. III, cap. VIII, n. 16, de illa Octava, cuius festum infra ipsam Octavam transfertur? Respondet optime Guyetus, lib. IV, cap. XII, q. 3, et ipsi inhaerens Bissus, lit. O, n. 16, § 10, in tali casu eos dies infra Octavam esse supprimendos qui transacti sunt a die celebrationis festi principalis. Quare si festum ipsum celebratur secunda die infra Octavam, tunc de diebus infra Octavam omittenda erit secunda dies, ita ut dies infra Octavam in hoc casu incipiat a tertia die, sicut et inciperet tantum a quinta vel sexta die, si festum celebraretur quarta vel quinta die infra Octavam. Neque de prioribus diebus sic omissis ulla fieri debet commemoratio, quia Octava, ut bene notat Guyetus, nihil aliud est quam continuatio festi. Ad quid vero facere commemorationem dierum continuationis illius festi, quod adhuc non est inchoatum? Ita quoque sentit Azevedo cum aliis melioris notae, ne uno quidem excepto, in suo opere: *De divino officio*, Exercitatio XVII.

Quibus praemissis et ab omnibus irrefragabiliter admissis, videamus nunc, quomodo Feria II post Dominicam in Albis se habeat relate ad varias hypotheses, quae translationem Annuntiationis exigere queunt in feriam superius enunciatam.

*a*) Si Annuntiatio, exempli gratia, occurrat in maiori hebdomada (exceptis tamen feria VI in Parasceve et Sabbato Sancto, de quibus infra), illa immutatur eo anno quoad solum officium, ut docet decretum n. 3850 supra citatum una cum Rubrica peculiari similiter reproducto, et decreto n. 2240. Ratio est quia non deserens propriam diem, ad hanc servat respectum, et ideo

Digitized by Google

non secum fert octavam, ut liquet ex Rubrica X, *De translatione festorum*, n. 1, quae de Nativitate S. I. Baptistae ita firmat: « Si festum Nativitatis S. I. B. venerit in die Corporis Christi, transfertur in sequentem diem, dies autem octava S. Ioannis tunc veniens in die octava Corporis Christi non transfertur ». Si igitur dies octava adhuc recurrit in die octava Corporis Christi, certum fit quod festa, quae accidentario quoad solum immutantur officium, secum non involvunt immutationem octavae; ac consequenter quod in iisdem locum habet dispositio praefatae rubricae pro festis translatis lata: « Quando festum habens octavam transfertur, non ideo dies octava transferatur... et si festum per totam suam octavam transferri contigerit, illo anno celebretur sine octava ». Cf. Cavalieri, Tom. I, cap. IX, dec. XIII, n. 96.

Superest ut applices regulam Annuntiationi. Porro dies 25 Martii nequit incidere in dictis diebus maioris hebdomadae, quin tota sit transacta eius octava, quando venit feria II, post Dominicam in Albis, ubi est Officium reponendum. Res clarior est luce meridiana; et quisnam nesciat octavas de pleno iure prorsus hodie, etiam maxime privilegiatas, cessare per totam hebdomadam maiorem, et privilegia hactenus ampliora, si quae sint, revocari? (S. R. C. 22 Maii 1894, n. 3826), et imo sine indulto, non obstante consuetudine, excludi a tota Quadragesima? (S. R. C. 12 Sept. 1840, n. 2818). Ergo, etiam ratione Tituli, in casu non potest Octava pollere, quatenus extra totam suam Octavam translata.

Neque obiicias, hanc esse regulam generalem, nempe festum habens Octavam, si transferatur post suam Octavam vel si celebratur in die eius Octava, tunc eo anno amittere Octavam; sed exceptionem haberi pro Titulo ecclesiae, Rubrica dicente: « *nisi Titularis ecclesiae privilegio aliter fieri oporteat* »; et itaque Annuntiationem in casu, quisquis sit terminus *ad quem* translationis, vi Rubricae, suam servare integram octavam debere. Statim reponerem falsam esse istam ratiocinationem. Non enim reapse concedit Rubrica, ut Titulus, licet translatus ultra totam suam Octavam,

Digitized by Google

celebretur tamen de pleno iure cum Octava iuxta solitum; atvero per competentem auctoritatem indulgeri posse autumat huiusmodi privilegium, uti de facto simile indultum est anno 1791 ad preces Archiepiscopi Tarraconen. in Hispania (S. R. C., 18 Iulii 1885, n. 3639 ad 1). Unde, Rubrica non privilegium dictum elargiente, superest ut Titulus ipse Annuntiationis, extra suam octavam translatus quoad officium, semper amittat *hoc anno* memoratam octavam, nisi vere privilegio potiatur speciali. Quod erat probandum.

*b*) Si incidat Annuntiatio in paschalem hebdomadam, non potest ratione Tituli habere plus quam unum aut duos dies de sua Octava. Quid enim oportet ut Feria II post Dominicam in Albis non occurrat extra iam transactam illius Octavam? Necesse est ut dies 25 Martii contingat post Feriam II Paschatis. Porro maturior eius occurrentia in praefata hebdomada est feria II et tardior feria IV, quoniam dies 22 Martii proximior est in qua celebrari valet Pascha. Ergo ratione Tituli, Annuntiatio vere non potest plus quam unum aut duos dies octavales sibi vindicare, quando nimirum Pascha occurrit die 22 vel 23 Martii; si enim eveniret die 24, iam Annuntiatio incideret feria II, et translata celebraretur in sua die octava, cuius hoc anno foret initium et finis.

Et parum refert utrum Annuntiatio ex privilegio celebretur in aliqua ecclesia cum Octava etiam in Quadragesima. Hoc enim privilegium facere nequit, plus quam duos ad maximum dies superesse liberos ad celebrationem huius octavae, et ex omnium confesso; ut res ita se habeat, oportet ut festum in feria II post Dominicam in Albis translatum, saltem incidat adhuc hoc anno in feriam III vel IV praecedentis hebdomadae. Aliter, celebratum extra suam Octavam vel in die eius Octava, prorsus careret Octava eo anno, teste decreto n. 2360, dicente in casu simili: « Si vero infra Octavam Corporis Christi (ubi privilegiatur ad instar Epiphaniae) occurrat festum II cl. nihil de eo fit, sed transfertur post Octavam Corporis Christi, pereunte Octava festi translati, si post

Digitized by Google

octo dies a die eiusdem festi celebretur (S. R. C. 22 April. 1741, n. 2360)».

*c*) Quid vero faciendum sit, quando Annuntiatio, quae est Titulus ecclesiae vel ex privilegio celebratur cum Octava, transit de feria VI in Parasceve vel Sabbato Sancto in feriam II post Dominicam in Albis? Tenent Meratus, *sect. III, cap. VIII, n. 16*, Fagiolus *in Kalen. perpet. ration. in annot. ad mensem Martii lit.* l, *n.* 2, et alii contra Pittonum, quod secum fert Octavam. Et ratio est iuxta illos quia, in quantum translata quoad chorum et etiam forum, in casu huiusmodi deserit omnino et totaliter propriam diem, et in die suae immutationis pro tunc se habet omnimode ut in propria, nec ad propriam ullum servat respectum. Et quidem loquendo de Annuntiatione dicit decretum quod in ea feria celebrari debet integra cum solemnitate ac feriatione, quibus propria die celebraretur. Sed si in nostro casu festum hoc celebratur tanquam in sede propria eo ipso tempore quo non prohibentur Octavae, tunc admittendum videtur in ecclesiis Annuntiationi dicatis non esse tali festo denegandam Octavam, incipiendo a dicta feria II tanquam a die propria (cf. Cavalieri, tom. I, cap. IX, n. 96). Et ita sentit etiam cl. Azevedo in suo libro: *De divino officio*, exercitatio 17, ubi legimus: « Nec audiendus est I. B. Pittonus aiens, ex die fixa non inferri celebrationem octavae in officiis transferendis, quum in nostro casu festum et officium Annuntiationis non sit simpliciter translatum, sed suum mutaverit domicilium, ita ut feria II post Dominicam in Albis tunc sit illi assignata ab Alexandro VIII tanquam dies fixa et propria ». Nec potest esse difficultas, inquit Merati, super Lect. III Nocturni, quaenam nimirum essent recitandae? In Octavario quidem Romano, quamvis habeantur lectiones II Noct. pro quacumque octava B. V., desunt lectiones particulares III Noct. pro solo Annuntiationis festo, quia cum hoc regulariter celebretur tempore quadragesimali in quo omnis octava excluditur, ideo pro octava huius festi nullae reperiuntur assignatae, legendae ad III Noct. Sed ubi ex privilegio celebraretur cum octava, res facile com-

Digitized by Google

ponitur; recursum habes ad homiliam super eodem evangelio festi, quod reperitur in Translatione Almae Domus B. M. V., et in Expectatione Partus B. M. V., et in festo S.ᵉ Gabrielis archangeli, vel si tibi melius placet, sufficientem provisionem habes in Rubrica VII, *De Octavis*, n. 4, quae infra Octavam Patroni vel Titularis ecclesiae disponit esse legendas lectiones proprias, si habeantur, vel esse repetendas lectiones positas in Communi Sanctorum, si de Sanctis fiat Octava. Alioquin lectiones diei festi (cf. Merati, loc. iam cit.; et Caval., tom. II, cap. XIII, dec. 114).

Adversatur autem huic sententiae I. B. Pittonus *in decisionibus* ad S. R. n. 1029, et putat se verum dicere: 1. quia octava nunquam transfertur, etsi festum transferatur; 2. nam Octavarium Romanum alias exarare debuisset lectiones III Noct., uti illas habet pro aliis cunctis festis B. M. V. de Kalendario Romano; 3. si celebraretur cum Octava, unde, quaeso, lectiones desumi possent? 4. Nativitas S. I. Baptistae, quoties in sequenti die immutatur, octavam non amovet, sed adhuc haec die prima Iulii expirat.

Ad 1 et 4 Cavalieri respondet, id verum esse de casu translationis festi, non autem immutationis et immutationis per decretum habitae atque totalis, quoad officium scilicet et forum, ut evenit in casu, quoniam Octava tunc non celebratur extra proprias dies, sed intra, quia propriae dies non incipiunt a die in qua recurrit festum aliis annis, sed a die in qua eo anno est immutatum. Ponderare enim debuisset Pittonus, quod in praedicto casu festum et officium Annuntiationis non est simpliciter translatum, sed suum mutavit domicilium, ita ut feria II, ubi reponitur in tali occurrentia, tanquam dies fixa et propria habeatur ac si esset dies 25 Martii; et si tale tempus non excludat celebrationem octavae cuiuscumque festi, sicut excludit tempus quadragesimale, hinc concludendum est quod in ecclesiis Annuntiationi dicatis celebrari absque dubio debeat Octava. Quod enim, etiam iuxta eumdem Pittonum, ibi fieri nequit tempore prohibito,

Digitized by Google

fieri potest tempore permisso: ob quam rationem idem Pittonus asserit quod, quandò Annuntiatio occurret in feria III vel IV infra Octavam Paschae, celebrabitur 30 vel 31 Martii, et sic continuari poterit Octava per unum vel duos dies. Quod si hoc verum est, addit Cavalieri, quando tale festum transfertur infra eiusdem Octavam et remanent aliqui dies in quibus de eadem octava celebrari potest officium, quodnam erit absurdum si concedatur initium eiusdem Octavae, quando incipit praedictum festum in feria II post Dominicam in Albis tanquam in die proprio et fixo?

Haec argumentatio, quae est recta si agatur de festo translato infra eius octavam, pro reliquo peccat et exploditur. Primo enim decretum generale diei 25 Mart. 1817, n. 4528 ad 3 et 4, et aliud diei 1 Sept. 1866, n. 5370, antiquae collectionis, praescribentia festum Annuntiationis suam octavam servare debere ubi est Titulus vel ex privilegio celebratur cum octava, quando transfertur in memorata feria II cum praecepto audiendi Sacrum et abstinendi a servilibus, abrogantur in collectione nova. Secundo, haec sedis immutatio, quae etiam secum fert officium et forum in feria II supradicta, est quidem, si velis, translatio sui generis ob fixitatem diei in qua facienda est, et feriationem inibi servandam; sed fixitas diei pro translatione non impedit amissionem octavae, si post totam octavam designatur, quando impedimentum ipsius festi est accidentale. Quemadmodum enim Nativitas S. I. Baptistae deperdit unum diem Octavae, quando impedita reponitur in die sequenti tanquam in sua die propria, ita totam octavam deperderet, si reponeretur post eam, ut patet ex Rubrica, tit. X, n. 1. Deinde feriatio non potest translationem mutare in permutationem, et talis celebratio erit semper accidentalis, dum permutatio supponit novam sedem quotannis in posterum servandam. Itaque interrogata: « si accidat ut Titulus ecclesiae vel loci Patronus transferri debeant ad aliam diem, num respective octavam servabunt? », S. R. C. respondit: « Affirmative, si agatur de translatione perpetua; secus, negative (die 20 Iunii 1899, n. 4034) ». Non quod ex contrario aliquid sequeretur absurdi, ali-

Digitized by Google

ter non olim hoc permisisset Roma; sed nova decisio videtur magis Rubricis consona.

Siquidem, octava sequitur sedem festi, in quacumque die celebretur officium etiam cùm feriatione. Sed in hypothesi, Annuntiatio non mutat domicilium in aliud, sed cum obice aliquo recurrens vel non, custodit semper eamdem sedem, et festum diei 25 Martii uniformiter remanet affixum. Qua de causa, si *per accidens* impediatur (et non potest aliter impediri de iure communi), tunc profecto nunquam octava eius computari valet aliter quam a die 25 Martii, et auctores hodie relinquendi sunt qui hucusque non ita senserunt (cf. Merati, Cavalieri et Tetamo, tom. II, p. 263, n. 38), obliviscentes translationem etiam feriationis non idcirco festum a sua sede removere, nec posse mutationi domicilii aequiparari.

Dicet autem aliquis, quomodo conciliare nunc unum aut duos dies de ista Octava admissos cum decreto *Quebecen.* respuente pro S. Silvestro suam diem octavam in tempore iam non vetito occurrentem? En responsio. Hic Titularis celebratur in tempore vetito, et cum per sex dies sequentes celebrari non valeat octava, S. R. C. declarat, nihil fieri debere de ultima die, quamvis in tempore licito adveniente (S. R. C., 13 Dec. 1895, n. 3876, ad 1), quia festum post celebrationem non continuatum, resumi nequit post elapsum tempus vetitum. Infra octavam Paschatis e contra non celebratur Titularis, sed officium fit tantum in feria II sequenti quae, iam tempore licito adveniente, potest octavae continuationem permittere, si aliqui eius dies supersunt, quin tempus vetitum separet octavam a die eius celebrationis.

Ad 2 et 3, Cavalieri merito reponit hoc argumentum ex defectu lectionum in Octavario Romano, nullius roboris esse ad octavam Annuntiationis sic translatae denegandam, quia Titulus semper celebrari debet cum octava, quoties non occurrat in tempore vetito; vel si transferri contingat ante finem octavae in tempore iam licito, non potest expoliari de reliquis diebus Octavae, ut vidimus supra, dicentes modum celebrandi eos et habendi

Digitized by Google

sufficientes lectiones. Atvero exinde nihil quoque concludi potest pro octava computanda a die translationis, et non a die 25 Martii: unde superest primum et quartum argumentum Pittoni valere, et sufficere ad probandum Annuntiationem etiam quoad forum translatam, non recoli debere cum integra Octava in feria II praelaudata: sed ad maximum ius habere ad unum aut duos dies Octavae.

A. FOURNERET
ex Acad. Liturg. Rom. Censoribus.

## QUAESTIO A CONSOCIATIS SOLVENDA pro mense Martio 1906.

### De commemoratione diei infra octavam.

Anselmus caeremoniarius quaerit: 1° An commemoratio diei infra octavam facienda sit in Laudibus ac Missis privatis de festo duplici II classis, iuxta Decretum S. R. C., 2 Decembris 1891, n. 3757 ad II? 2° undenam sumi debeant antiphona ac versus pro commemoratione diei infra octavam, cum occurrit festum eiusdem qualitatis? 3° quisnam ordo servandus sit in plurium octavarum commemorationibus?

Digitized by Google

# Bibliographia.

## I. – Recensio librorum.

**Calendario perpetuo Gregoriano**, con osservazioni e proposte del sac. GREGORIO DE LOTTO, arciprete di Sospirolo. L. 1,50.

**Appendice al Calendario perpetuo Gregoriano**, fatta e pubblicata dallo stesso autore. — Feltre, premiata tipografia Panfilo Castaldi, 1905. L. 1.

Considerat Auctor exponitque differentiam durationis anni tropici solaris pro Calendarii Gregoriani correctione adhibitae, ab illa quae ex novissimis observationibus et computationibus astronomicis resultat; atque appositis tabulis, quae cuiusque intelligentiae sunt aptae, ostendit, unum diem differentiae non post 40 saecula compleri, sicut hucusque assertum fuit ab iis qui de argumento hoc egerunt, sed vigintiquinque saeculorum pro prima periodo, novemdecim pro secunda, sexdecim pro tertia, etc., ac proponit ad unamquamque completam periodum bissextilis suppressionem.

Procedit exinde Auctor ad disquirendum de cyclo Epactarum, et animadvertit, anni epactalis mutationem, quae ad quemdam numerum aureum refertur, ternis, binis aut etiam singulis evenire; id autem vi Metemptoseos et Proemptoseos. Sed cursus haud semper est progressivus, imo interdum est regressivus. Id quidem revelat, vigens systema aliquatenus claudicare. Ad eiusmodi defectum tollendum, proponit Auctor quamdam suam methodum, quam relativis tabulis illustrat.

Enumeratis deinde defectibus et irregularitatibus circa Epactarum usum, proponit Auctor novam rationem, ad obtinenda plenilunia media paschalia, ope duarum tabularum, quarum prima dies plenilunii medii pro annis vicenis describit, altera vero, quae indefinite produci valet, ostendit pro singulis vicenis periodis successivis variationes ad primam inducendas, ut certa plenilunia media haberi possint.

Innuit tandem Auctor ad diversa hac de re quaestiones, de quibus a Suprema Ecclesiastica Auctoritate solutionem invocat, ut Gregorianum Calendarium a defectibus, quae illud labefactant, purgetur.

Digitized by Google

E toto elucubrationis contextu constat, ad aliud non intendere Auctorem, quam ad erigendum Ecclesiasticum Calendarium supra omnem conatum eorum, qui (critici ambitiosi aut maligni) hostes sunt manifesti cuiuscumque rei ecclesiasticam disciplinam pertingentis.

**Synodus dioecesana** Ecclesiae Senogalliensis, anno MCMIV. — Senogalliae, ex Officina typogr. Puccini et Massa, 1904. L. 2.50.

Non sine magna animi exultatione nostris lectoribus annuntiamus Acta huius Synodi dioecesanae, quae ab Ill.mo ac Rev.mo Domino Tito Maria Cucchi, Episcopo Senogalliensium et Comite, celebrata est in sua Ecclesia cathedrali diebus V et VI Septembris, anno 1904, post 113 annos ab ultima habita Synodo. In iis enim, ut pauca dicamus, opportuna monita ac praecepta proponuntur pro Cleri populique disciplina, atque praecipua S. Sedis Decreta, praesertim vero S. Rituum Congregationis declarationes etiam recentiores apte suis locis leguntur, ideoque sperare licet, fore ut universa Senogalliensis dioecesis uberes fructus inde percipiat. Huc accedit extrinsecus quoque valor ob elegantem editionem, qua praefatae synodales constitutiones vulgatae sunt.

## II. – Opera ad nostram Directionem transmissa.

Bargilliat M. **Les honoraires de Messes.** Texte et commentaire du Décret « *Ut debita* » promulgué par la S. C. du Concile, le 11 mai 1904. — Paris, Libraire Berche et Tralin, 1905. L. 1.

Giacomello F. **Pianiga e il suo Comune.** Cenni storici. — Padova, Tip. e Libr. editr. Antoniana, 1905.

Nowowiejski A. **Wyklad Liturgji kosciota katolickiego.** Tom. III. — Plock, 1905.

Ferreres J. B. **La enseñanza del catecismo prescrita por Pio X.** Comentario canónico-moral sobre la Enciclica « Acerbo nimis ». — Segunda edición corregida y aumentada. — Madrid, 1905.

Digitized by Google

# Chronica.

*Die 5 Decembris 1905*, in Palatio Apostolico Vaticano, habita fuit Congregatio Ss. Rituum Ordinaria, in qua, Emi ac Rmi DD. Cardinales Sacris tuendis Ritibus praepositi, infrascriptas Causa retulerunt: D. Card. Ferrata, *Lincien.* Beatif. et Canoniz. Servi Dei Francisci Iosephi Rudigier, Ep. Lincien., *Super Introductione Causae*, in qua E.mi Patres rescribendum censuerunt: *Signandum esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit.* D. Card. Steinhuber, *Ordinis Sancti Benedicti*, Confirmationis Cultus ab immemorabili praestiti Servis Dei: Placido Martyri, et Sigisberto Abbati, Monast. Desertinen. Fundatoribus, sanctis nuncupatis; nec non approbationis Officii et inscriptionis in Rom. Martyrologio. E.mi Patres rescribendum censuerunt *Constare* de casu excepto a Decretis Urbani VIII; et facta de his relatione SS.mo D. N., Sanctitas Sua idem ratum habuit et probavit, die 6, iisdem mense et anno. D. Card. V. Vannutelli, *Fesulana*, Concessionis et approbationis Officii et Missae in honor. S. David, Regis et Prophetae. D. Card. Mathieu, *Cadurcen.*, Concessionis et Approbationis Officii proprii cum Missa, in honor. B. Christophori a Romandiola, Confess. Ord. Fratrum Minor. S. Franc. D. Card. Vives y Tuto, *Santanderien.* Confirmationis seu Declarationis B. M. V., sub Titulo eius SSmi Nominis, vulgo « *Bien Aparecida* », in Patronam Praecipuam Provinciae Santanderien. *De Pouso Alegre*, Confirmationis seu Declarationis S. Sebastiani Martyris, in Patronum Dioeceseos. D. Card. Ferrata, *Tunquinen.* Beatificationis seu Declarationis Martyrii Servor. Dei Iosephi Mariae Diaz Sanjurjo, et Melchioris Garcia Sampedro, Episcopor. et Vicarior. Apostol. in Regno Tunquini, ex Ord. Praedic. *Super Revisione Scriptorum.*

*Die 10 Decembris 1905*, coram SS.mo D. N. Pio Pp. X, in Aula Consistoriali, solemni consueto more, quatuor lecta sunt

Digitized by Google

Decreta in Causis apud S. Rit. Congregationem peractis: 1° *Divionen.* super virtutibus Ven. MARGARITAE a SS.mo Sacramento. 2' *Namurcen.* super miraculis Ven. IULIAE BILLIART, scilicet, primo: *Instantaneae perfectaeque sanationis* ARMANDI HUBIN *a carie tuberculari ossium laevi cruris;* secundo: *Instantaneae perfectaeque sanationis* NATALIS GRÉGOIRE *a chronica inferioris dexterae tibiae conditi osteite, quam chronica praecesserat osteo-periostites;* tertio: *Instantaneae perfectaeque sanationis* LUDOVICI WAELENS *a chronico ulcere et chronica stomachi flogosi, cum gravi anemia et consumptionis ad marasmum usque perductae, phaenomenis sociata;* duo autem reliqua super *Tuto:* in *Parisien.* seu *Bellovacen.* pro solemni Beatificatione VV.um XVI MARTYRUM Carmel. discalc. TERESIAE *a S. Augustino,* MARIAE FRANCISCAE *a S. Aloisio,* MARIAE *a Iesu Crucifixo,* MARIAE *a Resurrectione,* EUPHRASIAE *ab Immaculata Conceptione,* GABRIELLAE HENRICAE *a Iesu,* TERESIAE *a Ssmo Corde Mariae,* MARIAE GABRIELLAE *a S. Ignatio,* IULIAE ALOISIAE *a Iesu,* MARIAE HENRICAE *a Providentia,* MARIAE *a Sancto Spiritu,* MARIAE *a S. Martha,* STEPHANAE IOANNAE *a S. Francisco Xaverio,* CONSTANTIAE MEUNIER, *et germanarum sororum* CATHARINAE *et* TERESIAE SOIRON; et in *Tunquinen.* VV. Martyr. Ord. Praed. FRANCISC. GIL DE FEDERICH, MATTHAEI ALONSO LESINIANA, HYACINTHI CASTANEDA, VINCENTII LIEM A PACE, HIERONYMI HERMOSILLA, VALENTINI BERRIO-OCHOA, PETRI ALMATO, IOSEPHI KANG.

*Die 11 Decembris 1905,* in Aula Consistoriali S. P. Ap., Summus Pontifex habuit Consistorium Secretum, in quo Patres Cardinales alloquutus est de prosperis atque adversis Ecclesiae rebus, et novos creavit S. R. E. Cardinales: *Iosephum Samassa,* Archiep. Agrien. *Marcellum Spinola y Mestre,* Archiep. Hispalen., *Ioachim Arcoverde de Albuquerque Cavalcanti,* Archiep. S. Sebast. Flumin. Ianuar., *Octavium Cagiano De Azevedo,* Pontif. Domus Praepositum.

Deinde novos aliquot Episcopos proposuit, pro vacantibus Ecclesiis:

Digitized by Google

*Die 13 Decembr. 1905*, a meridie, SS. D. N., solemni consueto caeremoniali adhibito, Biretum rubrum imposuit novis EE. DD. Cardinalibus in Curia praesentibus, ARCOVERDE et CAGIANO.

*Die 14 Decembris 1905*, in Aula Regia Pal. Apost. Vatic., a SS.mo D. N. Pio Pp. X habitum est Publicum Consistorium, in quo duo E.mi DD. Cardinales, Arcoverde et Cagiano, Galerum rubrum per manus S. S. acceperunt, praestito prius, iuxta Apostolicas Constitutiones, iureiurando, coram E.mis Cardinalibus ad id deputatis. Dum sacra solemnis evolvitur caeremonia, ab uno ex advocatis S. Consistorii, actum est coram Summo Pontifice de causa. Beatif. Ven. BARTHOLOM. MENOCHIO, *Ep. Porphyreon.*

*Eodem die*, habitum est Consistorium Secretum, in quo, postquam S. P. os de more clausisset E.mis Cardinalibus noviter purpuratis, varias proposuit providendas Ecclesias. Aperuit deinde, sicuti mos est, os praefatis DD. Cardinalibus, et facta S. Pallii postulatione pro aliquibus Metropolitanis Ecclesiis, et pro Cathedrali Quinque Ecclesiarum, quae tali decoratur privilegio, Annulum Cardinalitium S. P. tradidit novis Cardinalibus eisdemque Titulum et Diaconiam respective assignavit: E.mo Arcoverde, Eccles. *Ss. Bonifacii et Alexii*, E.mo Cagiano, *Ss. Cosmae et Damiani.*

*Die 19 Decembris 1905*, in Aedibus E.mi ac R.mi D. Cardinalis Vinc. Vannutelli, Ponentis, habita est Congregatio Sacrorum Rit. Antepraeparatoria, de Virtutibus Ven. Servi Dei BENIGNI JOLY, Can. Eccl. S. Stephani Divionis et Fundatoris Instit. Soror. a Caritate. Aderant R.mi DD. Praelati Officiales et R.mi Consultores Theologi, qui votum emiserunt.

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR.
Fr. Albertus Lepidi, O. P. S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR.
† Iosephus Ceppetelli, Patr. Constant., Vicesgerens.

* AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée, Lefebvre et Soc. Romae, *Sponsor.*

Ex Off. typ. Soc. S. Ioannis Ev. - Tornaci in Belgio.

Digitized by Google

# Acta Sanctae Sedis
## sacram Liturgiam spectantia.

## SS. RITUUM CONGREGATIO

I.

**De benedictione in articulo mortis, ac de recitatione divini Officii in lingua vernacula; de quibusdam abusibus in Missis canendis.**

TERGESTINA ET IUSTINOPOLITANA.

R.mus D.nus Franciscus Nagl, Episcopus Tergestinus et Iustinopolitanus, Sacrorum Rituum Congregationi sequentes quaestiones solvendas humillime proposuit, nimirum:

I. An fideles, absolutione in articulo mortis in lingua vernacula peracta, sicuti modo pluries fit, indulgentias lucrari queant?

II. In Missis de Requie, post elevationem, loco *Benedictus*, Litaniae uti ex Rituali Romano in ordine commendationis animae, vel Lauretanae, canuntur, et huiusmodi Missae fiunt lectae. Insuper in Missis cantatis de die, intonato *Credo*, Sacerdos prosequitur Missam uti lectam usque ad Praefationem. Quaeritur an haec tolerari possint?

III. An Sacerdos lingua vernacula Officium divinum Breviarii Romani, ex. gr. Nativitatis Domini, defunctorum etc., cum populo peragens, vel Litanias Sanctorum in Processionibus Rogationum, eadem lingua persolvens, teneatur has



Digitized by Google

partes Breviarii Romani in lingua latina iterum recitare?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, respondendum censuit:

Ad I. *Negative*, quia haec benedictio in articulo mortis est precatio stricto sensu liturgica.

Ad. II. *Negative*, et hos abusus omnino esse eliminandos.

Ad. III. *Affirmative*; nam qui ad recitationem divini Officii et cuiusque partis Breviarii Romani sunt obligati, tantum in lingua latina haec recitare debent, alias non satisfaciunt obligationi.

Atque ita rescripsit. Die 3 Iunii 1904.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *S. R. C. Pro-Praef.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

## Commentarium.

Decretum hocce, quod nunc primum publici factum est iuris, quia forte esset locale, quamvis de rebus agat aliunde notis, utilissime vulgatur; eoque vel magis, quod in responsionibus a S. R. C. nonnullae rationes redduntur exhibitae decisionis et declarationis.

Et sane, I. Notum est, liturgicas preces numquam recitari posse lingua vernacula, ideoque S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita respondit, die 13 Sept. 1888, in *Sebenicen.*, Officium parvum B. M. V., quod est liturgicum, ad Indulgentias lucrandas, non posse vulgari sermone recitari. Quod si indultum concessum est pro eiusmodi recitatione, ad finem lucrandi Indulgentias, hoc datum intelligitur extra choralem recitationem,

Digitized by Google

quando haec scilicet dici nequit stricte liturgica. In casu autem nostro, cum agatur de ritu in Rituali Romano inserto, et nomine Ecclesiae semper peragendo, ideoque semper stricte liturgico; nequit iste profecto, non modo, ut habet Decretum praesens, ad finem lucrandi Indulgentiam, in vernaculo recitari, sed ne praescindendo quidem, si fieri posset, contradicendo in terminis, ab Indulgentiae consecutione, tamquam actus sacerdotalis ministerii.

II. In Missis cantatis, etiam de requie, peracta ultima elevatione, quam iuxta Rubricas statim *Benedictus* subsequi debet, ad Orationem dominicam usque, aliquod canticulum permittitur, dummodo de iis, quae ex Liturgia canenda sunt, *nihil* praetermittatur, Celebrans a Missa continuanda haud impediatur, et quod concinitur *ad Sacramentum* pertineat (S. R. C., 22 Maii 1894, n. 3827, et *Motu-proprio* Pii PP. X, 22 Nov. 1903, art. 8). In quacumque autem Missa solemni vel cantata, semper cantari debent a Celebrante « *Dominus vobiscum, Oremus* ante Orationes, et ante Offertorium, Praefatio, *Per omnia saecula saeculorum* cum *Pater noster, Per omnia saecula saeculorum* cum *Pax Domini*, et Orationes post Communionem (Rubr. Missal., part. I, tit. XVI, n. 3) »; atque abusus omittendi cantum Orationis dominicalis pluries a S. R. C. damnatus est (S. R. C., 14 April. 1753, n. 2424 [2], et 14 Mart. 1861, n. 3104 [1]).

In casu, praescindendo a cantu *Benedictus* post elevationem, de quo alias in his *Ephem.*, cantus Litaniarum in Missis quid novi praesefert, cum neque rationem habere possit canticuli ad Sacramentum pertinentis, neque patiatur ut Celebrans suo tempore cantet *Pater noster* etc. Quod autem Missam cum cantu prosequatur Celebrans recitando, sub Symboli cantu, iam vetitum fuerat a S. R. C. die 17 Dec. 1695, n. 1936 in *Ianuen.*, et 14 Mart. 1861, n. 3104, in una *S. Iac. de Cile.*

III. Ratio huius responsi, tota est in hoc, quod agitur de recitatione stricto sensu liturgica, et obligatoria, nomine Ecclesiae semper peragenda.

Digitized by Google

II.

**De festis exequias defunctorum impedientibus.**

RHEMEN.

Sacra Rituum Congregatio, per decretum *Parentin. et Polen.* die 8 Ianuarii 1904, rescripsit, dies quibus prohibentur exequiae pro defuncto, cum effertur corpus, esse « omnia festa quae uti primaria sub ritu duplici I classis et quidem de praecepto celebrantur; et si non sint de praecepto, illae Dominicae ad quas praefatorum festorum solemnitas transfertur ». Exorta autem controversia de sensu quo intelligenda et dicenda sint festa de praecepto, R.mus Canonicus Calendarii Rhemensis ordinator, de consensu R.mi D.ni Vicarii Capitularis, Sede vacante, a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii resolutionem humillime flagitavit; nimirum:

I. An festa de praecepto illa sint in quibus, praeter obligationem a parocho adimplendam, adest quoque altera et quidem duplex obligatio parochianis imposita, nempe tum Missam audiendi, tum ab operibus servilibus cessandi?

II. An exequiae cum Missa, praesente corpore, fieri possint in festis suppressis, quorum solemnitas in Dominicam sequentem non transfertur?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative.*

Digitized by Google

Ad. II. *Negative*, iuxta decretum n. 4003 *Carcassonen.*, quaest. 1, ad II et III.

Atque ita rescripsit. Die 1 Decembris 1905.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

## Commentarium.

I Per Decretum *Parentin. et Polen.* die 8 Ian. 1904 (*Ephem. Liturg.*, vol. XVIII, pag. 89) S. R. C. declaravit, exequias pro defuncto, cum effertur corpus, prohiberi in omnibus festis solemnioribus primae classis, quae indicantur in § I catalogi festorum primariorum (S. R. C., n. 3810), et quidem *de praecepto* celebrantur; et, si non sint *de praecepto*, prohiberi in illis Dominicis ad quas praefatorum festorum solemnitas transfertur.

In Decreto autem eiusdem S. R. C., 2 Dec. 1891, n. 3755, declaratum erat Missam exequialem pro die obitus vetari in quibuscumque festis duplicibus I classis solemnioribus, seu universalis Ecclesiae, seu Ecclesiarum particularium, *ex praecepto Rubricarum* recolendis; pro particularibus vero Ecclesiis, Missam exequialem excludi in iis Dominicis, in quas solemnitas festi infra hebdomadam occurrentis alicubi ex indulto transfertur, modo celebretur a populo. Fortasse ob hanc causam nonnulli putarunt, verba « *de praecepto* » in Decreto *Parentin. et Polen.* aequivalere verbis « *ex praecepto Rubricarum* » quae in altero Decreto n. 3755 leguntur, ita ut in festis Titularis ac Dedicationis propriae Ecclesiae, quae *ex praecepto Rubricarum* sed sine feriatione recoluntur, non solum prohibeatur Missa exequialis, quod indubium est (S. R. C., 11 Mart. 1882, n. 3541, et 28 April. 1902, *Labacen.* ad IX), sed etiam exequiae vetentur. At huiusmodi interpretatio illegitima est, omnia enim festa quae in § I catalogi festorum primariorum exprimuntur, *ex praecepto Rubricarum* sunt ritu solemniori recolenda, neque supponi potest, frustra a S. R. C. in Decreto *Parentin. et Polen.* addita fuisse verba « *et quidem de praecepto ce-*

Digitized by Google

*lebrantur*». Patet igitur, quod in Decreto d. 8 Ian. 1904, nomine festorum *de praecepto* intelligenda sunt festa *de praecepto quoad forum*, in quibus scilicet, iuxta Constitutionem *Universa* Urbani PP. VIII (S. R. C., n. 812) et Constitutionem *Commissi Nobis* Clementis PP. XI, Parochi Missam pro populo celebrare (Benedictus XIV, Const. *Cum semper*, 19 Aug. 1744), parochiani autem Sacrum audire atque a servilibus operibus abstinere tenentur, prouti docuimus in *Ephem. Liturg.*, vol. XVIII, pag. 424, et nunc per praesens Decretum *Rhemen.* probatur.

II. Pluries S. Sedes declaravit, per suppressionem festorum *de praecepto* quoad forum, solum eximi fideles ab obligatione audiendi Missam atque a servilibus operibus abstinendi, nullam autem immutationem fieri *quoad caeremonias et solemnitatem*, quae, nisi ex indulto in sequentem Dominicam transferatur, ipsis festis suppressis adnexa manet (S. R. C., 2 Dec. 1891, n. 3754 ad I); quapropter in festis suppressis, sicut animarum Pastores Missam pro populo sibi commisso applicare debent (Pius IX, Const. *Amantissimi*, 3 Maii 1858), ita nisi solemnitas in sequentem Dominicam ex indulto transferatur, non modo vetatur Missa exequialis (S. R. C., 16 Nov. 1898, n. 4003, qu. I, ad II et III), sed etiam exequiae absque Missa exequiali prohibentur. Quod igitur firme saepe antea docuimus in his *Ephem. Liturg.* (vol. XVIII, pagg. 308, 424, 689, et vol. XIX, pag. 636), per hoc Decretum *Rhemen.* plenam assequitur confirmationem.

III.

**De Officio S. Familiae atque Lectionibus I Nocturni iuxta ritum Carmeliticum.**

ORDINIS CARMELITARUM ANT. OBSERVANTIAE

R.mus P. Pius Maria Mayer, Prior Generalis Carmelitarum Antiquae Observantiae, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentium Du-

Digitized by Google

biorum, liturgiam Ordinis respicientium, solutionem humillime postulavit, videlicet:

I. An in festo S. Familiae ad Matutinum ante Lectiones dicendae sint Benedictiones communes, an vero propriae festorum B. M. V.?

II. An in eodem festo ad *Nunc dimittis* in Completorio dicenda sit Antiphona *Alleluia: Verbum caro factum est, Alleluia: et habitavit in nobis Alleluia: Alleluia?*

III. An praeter eas quae in Breviario Ordinis edito anno 1886 iam sunt inscriptae, Lectiones primi nocturni in festis dupl. min. I classis, legendae sint de Communi, vel de Scriptura occurrente?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito suffragio Commissionis Liturgicae, reque accurate perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad secundam.

Ad II. *Affirmative.*

Ad III. *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam.

Atque ita rescripsit et servari mandavit, die 1 Decembris 1905.

L. ✠ S.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

Digitized by Google

## Commentarium. (1)

Ab re non erit tria responsa relativis dubiis, a praefato Carmelitico Ordine exhibitis, breviori calamo commentari.

1. Primum responsum iubet, ut benedictiones praemittendae lectionibus in Officio S. Familiae non sint propriae Deiparae, sed communes. Notandum est enim, ritum Carmeliticum novem possidere benedictionum formulas, ante lectiones dicendas, quae communes dicuntur, et ad Dominum sub diverso respectu pertinent, novem autem quae Deiparam, sub diverso pariter respectu, respiciunt, et ideo illius propriae dicuntur.

Ratio ex qua communes dicendas responsio exigit, una potior est: quia, videlicet, festum S. Familiae cum sit complexum, hoc est tria obiecta contineat, principaliter ad Dominum pertinet, utpote subiectum praestans. Congruum ergo est, ut inferiora subiecta, Maria et Ioseph, maiorem Christi excellentiam, non vero Christus minorem excellentiam Mariae et Ioseph in festo participent. Atqui benedictiones communes sunt de Domino, propriae de Beata Virgine; ergo illae, non istae adhibendae sunt.

Hoc, ceterum, constat ex ipso Officio S. Familiae prout in proprio Breviarii Romani legitur. Namque pro octava benedictione non habetur formula: *Cuius festum colimus, ipsa Virgo virg.* etc., sed: *Divinum auxilium* etc. Etsi proinde superallata ratio tibi non arrideat, factum negare non vales.

Cum autem Carmelitico Ordini *nullum sit ius Officium a Summo Pontifice concessum mutandi, sed tantum proprio ritui accommodandi*, palam sequitur ipsum Ordinem non posse dictam formulam sumere de Deipara propriam, sed aliam de Domino communem. Cumque nequaquam congruat, ut benedictiones partim de Domino, partim de Virgine dictus Ordo in Officio ponat,

(1) Ex Ephem. «*Acta S. Sedis*», a. 1906, pag. 365.

Digitized by Google

manifestum fit, singulas benedictiones in festo S. Familiae esse debere de Communi, et nullam de Deipara propriam (1).

Hinc post praesens Decretum, Rubrica spectans benedictionum formulas, lectionibus praemittendas, quae in dicto Officio S. Familiae legitur, mutari debet: adeo ut non proprias de Deipara, sed communes dicendas esse praescribat.

2. Quod alterum dubium attinet, animadvertendum est, iuxta ritum Carmeliticum, ad Canticum *Nunc dimittis* in Completorio, plures pro diversis anni temporibus et festis inscribi antiphonas, quarum omnium unica, quae festo S. Familiae magis convenit, illa est, quae in dubio proponitur. Ea enim et de Verbo agit, quod caro factum est, habitavitque inter nos; nulla ergo inveniri poterat congruentior, quam quae per affirmativum responsum probata est.

3. Circa tertium responsum animadvertimus, in ritu Carmelitico eamdem ortam esse, successu temporis, inordinationem, quae in ritu Romano. Haec autem est, ut ratione Officiorum potioris ritus et classis, lectiones Scripturae occurrentis rarius legerentur in Officio. Quam inordinationem perpendens Rev.mus Prior Generalis Carmelitici Ordinis, omnino rationabilem proposuit suam difficultatem S. R. Congregationi. Commissio autem liturgica, una cum Officio S. Familiae, et Rubricas perpendens Breviarii praefati Ordinis, optimum duxit Carmelitico ritui applicare Decretum Generale 3923, quo edicitur, lectiones I Nocturni in posterum non esse amplius dicendas de Communi in duplici maiori, exceptis quae iam probatae fuere, sed tantum in duplici I vel II classis. Cumque dupl. min. I classis in ritu Carmelitico idem sit ac ritus duplex maius in Romano, censuit Commissio liturgica respondendum esse: Negative ad primam partem, seu non esse recitandas de Communi, sed potius: Affirmative ad secundam, hoc est recitandas esse de Scriptura occurrente, quod et S. R. C. approbavit.

(1) Cfr. *Ephem. Liturg.*, vol. XIX, pag. 279.

Digitized by Google

# S. CONGREGATIO INDULGENTIARUM

## I.

### De indulgentiis pluries lucrandis et de ecclesia parochiali visitanda.

PATAVINA

Ad S. Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam a Moderatore Archisodalitatis a S. Antonio, erectae in Ecclesia Eidem dicata in civitate Patavina, sequentia dubia dirimenda sunt delata:

I. An qui nomen dedit pluribus confraternitatibus, quae gaudent indulto lucrandi Indulgentias, quas Stationales appellant, eas lucrari valeat tot vicibus, quot sunt sodalitates, quibus est adscriptus?

II. Quando conceditur plenaria Indulgentia pro festo alicuius Sancti, lucranda a christifidelibus in omnibus Ecclesiis alicuius Ordinis vel Dioeceseos, haec Indulgentia acquirine potest tot vicibus, quot visitentur Ecclesiae eiusdem Ordinis vel Dioeceseos?

III. Cum diversi Ordines, ex. gr. Benedictini, Franciscales etc. pro uno vel altero festo gaudeant plenaria Indulgentia, tributa christifidelibus visitantibus proprias Ecclesias, huiusmodi Indulgentia potestne pluries acquiri, visitando singulas Ecclesias eorumdem Ordinum, praesertim si haec Indulgentia dictis Ordinibus fuerit concessa a distinctis Pontificibus?

IV. Quando ad Indulgentias lucrandas praescribitur visitatio Ecclesiae parochialis, haec debetne esse Ecclesia parochialis propria illius qui vult Indulgentias lucrari, an alia quaecunque?

V. An sub nomine Ecclesiae parochialis propriae veniat tantummodo illa domicilii, vel etiam quasi domicilii aut morae transitoriae, uti contingit tempore itineris?

Digitized by Google

Et E.mi Patres in generali Congregatione ad Vaticanum habita, die 31 Augusti 1905, respondendum mandarunt:

Ad I. Negative, iuxta Decretum « Delatae saepius », diei 7 Martii 1678.

Ad II. Affirmative, id est, acquiri potest Indulgentia una vice tantum, sed in singulis Ecclesiis eiusdem Ordinis seu Dioeceseos.

Ad III. Provisum in praecedenti.

Ad IV. Affirmative quoad 1^am^ partem; Negative quoad 2^am^.

Ad V. Negative quoad 1^am^ partem; Affirmative quoad 2^am^ et 3^am^.

De quibus facta relatione SS.mo D.no N.ro Pio PP. X., in audientia habita die 13 Septembris 1905 ab infrascripto Card. Praefecto S. Cong.nis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, Sanctissimus E.morum Patrum resolutiones ratas habuit et confirmavit.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. C., die 13 Septembris 1905.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

✝ D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

## II.

### Indulgentiae conceduntur recitantibus quandam precem in fine divini Officii vel Officii B. M. V.

*Beatissimo Padre* (1),

Gabriele Mallet, Procuratore Generale della Congregazione di Gesù e Maria (Eudisti), prostrato ai piedi della S. V., umilmente implora a favore di tutti quelli che aggiungeranno al *Sa-*

(1) Versio:

*Beatissime Pater,*

Gabriel Mallet, Procurator Generalis Congregationis Iesu et Mariae (Eudistae), ad pedes S. V. provolutus, humiliter implorat, in favorem eorum omnium, qui ad *Sacrosanctae*, post divini Officii aut Officii B. B. recitationem,

Digitized by Google

*crosanctae* dopo la recita dell'ufficio divino o dell'ufficio della B. V. la preghiera infrascritta *O clementissime Iesu*, l'indulgenza di trecento giorni una volta al giorno e la plenaria in ogni mese colle condizioni ordinarie.

Inoltre implora umilmente gli stessi favori per tutti coloro che reciteranno l'altra preghiera *Benedictum sit.*

*O clementissime Iesu, gratias ago Tibi ex toto corde meo. Propitius esto mihi vilissimo peccatori. Ego hanc actionem offero divino Cordi tuo emendandam atque perficiendam, ad laudem et gloriam sanctissimi Nominis tui et beatissimae Matris tuae, ad salutem animae meae totiusque Ecclesiae tuae. Amen.*

*Benedictum sit Cor amantissimum, et dulcissimum Nomen Domini nostri Iesu Christi et gloriosissimae Virginis Mariae Matris Eius, in aeternum et ultra.*

**Iuxta preces.**

**Die 30 Novembris 1905.**

PIUS PP. X.

Praesens Rescriptum exhibitum fuit huic Secretariae S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae, ex eadem Secretaria, die 2 Decembr. 1905.

L. ✠ S. IOSEPHUS M. Can. COSELLI, *Substitutus.*

infrascriptam adiecerint orationem *O clementissime Iesu*, trecentorum dierum Indulgentiam, semel in die lucrandam, et plenariam singulis mensibus, consuetis servatis conditionibus.

Humiliter insuper eosdem favores implorat, pro iis omnibus qui alteram precem recitaverint *Benedictum sit.*

Digitized by Google

## Ad *Motu-proprio* de Protonotariis Apostolicis Commentarium.

(*Continuatio.* V. num. 1, anni curr., pagg. 18-23).

### De Protonotariis Apostolicis Supranumerariis.

20. Cappam laneam violaceam (1), pellibus ermellini hiberno tempore, aestivo autem *rubini* coloris serico ornatam (2), induent in Cappellis Pontificiis, in quibus locum habebunt post Protonotarios Participantes (3). Ii vero Canonici Protonotarii qui Praelati non sunt, seu nomine tantum Protonotariorum, non vero omnibus iuribus gaudent, ut nn. 13 et 14 dictum est, in Cappellis locum non habebunt, neque ultra limites pontificiae concessionis habitu praelatitio et *piano*, de quibus nn. 16 et 17, uti umquam poterunt (4).

21. Habitu praelatitio induti, clericis quibusvis, Presbyteris, Canonicis, Dignitatibus, etiam collegialiter unitis, atque Praelatis Ordinum Regularium, quibus Pontificalium privilegium non competat, antecedunt (5), minime vero Vicariis Generalibus vel Capitularibus, Abbatibus, et Canonicis Cathedralium collegialiter sumptis (6). Ad Crucem et ad Episcopum non genuflectent, sed tantum sese inclinabunt; duplici ductu thurificabuntur: item si sacris vestibus induti functionibus in choro adsistant (7).

22. Gaudent indulto Oratorii privati domi rurique, ab Ordinario loci visitandi atque approbandi (8), in quo, etiam solemnioribus diebus (exceptis Paschatis, Pente-

Digitized by Google

costes, Assumptionis B. M. V., Ss. Apostolorum Petri et Pauli, nec non loci Patroni principalis festis) (9) celebrare ipsi Missam poterunt, vel alius Sacerdos, in propriam, consanguineorum, affinium, familiarium et cohabitantium commoditatem, etiam ad praeceptum implendum (10). Privilegio autem altaris portatilis omnino carere se sciant (11).

(1) Cappa ornamentum est perquam nobile, quo utuntur in ecclesiasticis functionibus Praelati tantummodo insigniores, uti sunt Patres Cardinales et Episcopi. Licet enim a pluribus Canonicorum collegiis adhibeatur in choro, nihilominus ea utuntur non ex iure, sed ex privilegio, quod a Romano Pontifice tantummodo concedi potest (*S. R. C. decr. n. 152*). De origine et usu cappae iam diximus supra, n. 6.

Forma huiusmodi vestis superioris, et quam *cappam magnam* vocant, quae hodie adhibetur a praelatis inferioribus, brevior est quam illa ab Episcopis adhibita; haec sane totum cooperit corpus usque ad talos, ac syrmam habet posteriorem satis longam, cappa vero qua utuntur Protonotarii et Canonici, syrmam, seu caudam, habet quidem, quam tamen contortam et funiculo suspensam ferunt.

(2) Usus deferendi pelles hiberno tempore in caputio cappae, ut vidimus, antiquus est; pelles vero ermellini, sumptuosiores sunt, et principum propriae, ac proinde praelatis maioribus reservantur. Pluribus in dioecesibus, in quibus habentur nonnullae collegiatae, reservatur usus pellium ermellini tantummodo Canonicis Cathedralis, canonicis autem aliarum collegiatarum, pelles concessae sunt varii coloris ut rite una ab alia distinguatur, et omnes a Cathedrali differunt. Idem dicatur de colore serici ornatus aestivo tempore; color *rubinus* praelatorum est proprius, et etiam ex privilegio canonicorum Cathedralium, alii vero co-

Digitized by Google

lores vel coeruleus, vel violaceus, vel rosaceus, nonnullis collegiatis concessus est.

(3) *Induent in Cappellis pontificiis.* Protonotarii cuiusvis classis, usum habent cappae tantummodo in Urbe, et quidem solum in Pontificiis Cappellis. Ad rem scribit Cataldi: « Protonotariis autem in Pontificiis Cappellis tantummodo cappae usus permittitur, siquidem hodie post Apostolicae Sedis illum concedendi reservationem, evidenter sane constat excellentiam quamdam praeseferre, quippe quod S. R. C. decreto diei 31 Ian. 1591 cautum est, ne Episcopi Coadiutor pontificalia in ecclesia exercens, praesente Episcopo, cappa utatur, sed uti debeat mantelletta et rochetto. Insuper Caeremoniale Episcoporum, *lib. I, cap. III, n. 6,* innuit quod " extra Dioecesim et Ecclesiam suam Episcopi non utantur " Cappa, praeterquam in Romana Curia cum in divinis, Pontifice " Maximo vel Sacro Cardinalium Collegio praesente, assistunt ". Si autem hoc Episcopis denegatur, quanto magis Protonotariis denegandum? ». Cardinalis Petra (*Comm. in Const. 4 Pii II, n. 25*) notat, quod Protonotarii de numero, utuntur cappis iuxta usum praelatorum Cappellae Pontificiae, numquam vero cottis supra rocchetum, quibus interdum utuntur Auditores Rotae et alii inferiores praelati, sed semper incedunt in cappis. Quod dicitur hic de Protonotariis de numero, dicendum venit et de Protonotariis *supranumerariis* et *ad instar*, ut videbimus infra. Hi enim ex privilegio locum habent post Participantes, uti iam edixerat Pius Pp. IX (*const.* Apostolicae Sedis, *29 Aug. 1872*); et participantes iussu Pii Pp. II (*const.* Cum servare, *12 Ian. 1459*) locum habent in scamno immediate posito retro Cardinales diaconos.

(4) *Canonici Protonotarii qui Praelati non sunt,* ii nempe qui ad Capitulum pertinent, cui concessa sint privilegia Protonotariorum, sed breve quo Praelati nominandi sint non obtinuerint, ideoque insignia Protonotariis propria uti possunt tantummodo in functionibus cum Capitulo, uti supra dicitur nn. 13 et 14, in Cappellis Pontificiis locum non habent; Praelati enim non sunt. Hinc et usum cappae numquam habent, nisi Capitulum

Digitized by Google

cui sunt cooptati, cappam in choro obtinuerit, quo in casu uti Canonici cappam accipient in ecclesia sua tantum, vel ad summum in dioecesi. Idem dicatur de habitu praelatitio et piano, quo Canonici nondum Praelati uti nequibunt nisi simul cum sodalibus de Capitulo, numquam vero tamquam singuli extra dioecesim, et multo minus in Urbe. Quod, ut hic traditur, intelligendum est etiam de iis Canonicis qui *nomine tantum* Protonotarii dicuntur, sed *ipsorum iuribus omnibus non gaudent.*

(5) Protonotarii, ut aliis clericis praeferantur, praelatorum habitum gestare debent. Antecedunt ergo *clericis quibuscis, Presbyteris, Canonicis, Dignitatibus, etiam collegialiter unitis*, non vero Cathedralium Canonicis capitulariter coeuntibus ut infra notabitur. Praecedunt item Praelatis Regularium, idest eorum Generalibus, qui tamen pontificalium usum non habent, quia tunc cooptantur inter Abbates de quibus postea dicitur. Talis enim est ordo praecedentiae inter eos qui locum habent in Pontificiis Cappellis. Hac de re citatus Cataldi haec habet: « Regulari clerum saecularem ordine ac honore praestare, universum clamat ius, nec non plura huius S. C. decreta praesertim dierum 3 Aug. 1602, 23 Ian. 1610, 3 Mart. 1618, 7 Aug. 1621, 12 Mart. 1763. Cum autem de praecedentia agatur inter viros qui nullos habent subditos, et eos qui prae se iurisdictionem quasi episcopalem ferunt, ingratam sane rem definire summorum doctorum auctoritate cogimur. Quantavis itaque Regularium Praesules iurisdictione in suos subditos instruantur, exploratissimi quidem iuris illud est Protonotarios Apostolicos *ad instar* in Ecclesia Romana dignitate eminere, adeoque iuris rationem exposcere ut in consessibus, actibus, ceterisque sive ecclesiasticis sive civilibus functionibus, supra huiusmodi Regularium Antistites praeferantur. Communi itaque iuris canonici peritorum sententia post Abbates infulatos Protonotarii honorarii sedent atque incedunt, ad participantium differentiam qui praecedunt, potioremque locum in supplicationibus aliisque functionibus obtinent. *Christoph. Marcellus in Caeremon. Rom. lib. 1, cap. 18, Tambur. de Iur. Abbat. tom. 1, disp. 25,*

Digitized by Google

*quaest. 4, num. 8, Gavant. in Man. verb.* Praecedentia, num. 18. Post Abbates inquam qui iurisdictione quasi episcopali fruuntur, et propria illis est Ecclesia, plebs et territorium; hi namque Praelatorum inferiorum nomine veniunt. Caeremoniale vero Episcoporum, *lib. I, cap. XIII, n. 12* locum Protonotariis non participantibus supra Generales Ordinum assignat ».

« Habitu itaque praelatitio induti extra curiam Ordinum Regularium Generalibus praefatum habitum non habentibus, vel non deferentibus iuxta Rigantium, *de Proton. Apost. dissert. IX, n. 63*, praecedunt. Sic porro induti et ante ipsos thuris ius habent, ipsisque praecedunt. *Piscara in prax. Caerem. lib. V, sect. 1, cap. 9, num. 12.* Ipse demum ordo quo describuntur in Pontificio Annuario, et locus quem in Pontificio Sacello et in Curia obtinent eorum favore causae argumenta suppeditant ».

Et alio loco similiter scribit: « Verum quidem est ex citato art. VIII, *de privil.*, atque ex eo quod dignitatem in Curia habere dicantur Protonotarii, omnibus quibuscumque clericis et personis ecclesiasticis praeferendi sint. *Pignatell. Consult. 88, n. 2, com. 4.* Id tamen tunc locum obtinet cum Dignitates et Canonici cuiuscumque ecclesiae uti singuli existunt atque incedunt. Nam si insimul congregati essent, et capitulariter procederent, aliter se res profecto haberet. Quippe quia, cum Protonotarii haud faciant collegium, etsi plures essent insimul, veluti personae particulares omnino et extraneae habentur, congruum plane videtur quod locum cedant Canonicis in unum coeuntibus, qui universitatem constituunt atque dignissimam moralem personam repraesentant. Haec porro ratio consentanea est Caeremonialis Episcoporum dispositioni, quod superius citato *lib. I, cap. XIII, n. 9*, asssignat: " ... Abbatibus Dioecesanis condecentem locum ... dummodo " non sint supra, nec inter Canonicos ": et deinceps num 12. Protonotariis Apostolicis non participantibus locum constituit post Abbates. Deinde *lib. I, cap. XXII, n. 29*, ordinem thurificationis indicens, apertissimis verbis thuris honorem primo Dignitatibus et Canonicis, postea Abbatibus, et denique Protonotariis supernu-



Digitized by Google

merariis tribuit. Sic pluries ex huius S. C. disposito perplures auctores resolutum esse testantur. Quocirca ad rem nostram S. R. C. die 23 Mart. 1619, hanc dedit decisionem " Protonotarii " honorarii neque supra, neque inter Canonicos locum habere " debent ".

(6) Protonotarii supranumerarii, eoque magis, ii qui *ad instar* nuncupantur, non antecedunt Vicariis seu Generalibus seu Capitularibus, et Abbatibus infulatis, atque Canonicis Cathedralium collegialiter sumptis; et in hoc differunt a Protonotariis Participantibus qui ut vidimus n. 11, quibuscumque Praelatis, qui Episcopali charactere carent, praeferuntur.

(7) Forsan aliquibus superflua videbuntur verba haec: *ad Crucem et ad Episcopum non genuflectent* etc.; etenim Protonotarii supranumerarii, ut dictum est n. 13, non sunt nisi Canonici insigniores, qui iam ad Crucem et ad Episcopum tantum se inclinant; nihilominus quia Protonotarius supranumerarius, si Praelatus sit, extra quoque suam dioecesim habitum praelatitium gestare potest, hisce verbis omne amovetur dubium circa modum standi in choro non dioecesano.

(8) Quoniam Sancta sancte tractanda sunt, ait Clemens XI (*decr.* 14 Dec. 1703) ac praesertim tremendum Missae Sacrificium, in conciliis saepe, et maxime in Tridentino, statutum est ut tantum Sacrificium solummodo in Ecclesiis celebretur. Nihilominus iustis intervenientibus causis, ac personis de ecclesia bene meritis, consuevit Apostolica Sedes Missae celebrationem concedere in domibus privatis, quod dicitur privilegium *Oratorii privati*.

Huiusmodi privilegio gaudent Protonotarii Apostolici non participantes, ut eruitur ex Constitutione Pii IX (*29 Aug. 1872, n. 8*). Notanda tamen est magna differentia inter *Altare portatile*, quod non habent Protonotarii supranumerarii et *ad instar*, et *Oratorium privatum*. Concessio primi, importat facultatem factam Cardinalibus et Episcopis, etiam titularibus (S. R. C. decr. 3906) nonnullisque aliis Praelatis insignioribus, sicut et Missionariis (*cap.* quoniam *de Privilegiis in 6*), erigendi altare quocumque loco, et

Digitized by Google

loco loci, honesto tamen et data legitima causa, ut videbimus infra. Concessio vero secundi importat, quod in domo privilegiati, ut praescribitur in Brevibus concessionis, destinetur ad usum Oratorii certus locus, 1° decenter muro extructus; 2° ab omnibus usibus domesticis liber; 3° per Ordinarium loci prius visitandus atque adprobandus.

Prima clausula, *decenter muro extructus*, denotat, ait Ferraris (*v.* Oratorium *n. 17*) « quod locus in quo vult erigi Oratorium, debet esse muro clausus, saltem a tribus lateribus », ideoque non sufficit altare in armario clausum, quod nonnulli tenent in aliquo cubiculo domus suae, sed oratorium debet erigi in aliqua separata cella et solummodo ad huiusmodi sacrum usum reservata. Quod etiam observandum est ab ipsis Cardinalibus et Episcopis, ut docet Benedictus XIV (*de sacrif. Missae, l. 3, c. 6, n. 6*).

Secunda clausula, *ab omnibus domesticis usibus liber*, exigit ut in eadem cella, ad Oratorium destinata, nil aliud deinceps agatur, nisi pium et sacrum. Hinc neque ad usum bibliotecae, vel camerae auditionis, et multo minus ad dormiendum vel ad manducandum inservire poterit, vel ad reponendas in ea res superfluas vel inutiles; imo satis decora et exornata, ut decet ineffabilia mysteria quae in ea celebrari debent, amotisque porro pictis tabulis, quae sacra et pia non sint. Sed nec in cubiculis, Oratorio domestico adiacentibus, aliquid fiat, saltem tempore divini Sacrificii, quod orantes distrahat. Insuper, supra Oratorium, non debet retineri dormitorium, ut a S. C. Immunitatis (*in Tridentina, 30 Sept. 1636*) decretum est, ut notat Gavantus (*Manual.* v. Eccles. reverentia, *n. 14*). Quod si supra Oratorium domesticum aliqui revera dormiunt, vel ex necessitate, vel quia superiores cellae ad aliam familiam pertineant, tunc saltem adhiberi debent cautelae, a S. R. C. impositae; nempe ut fiat supra Oratorium duplex concameratio *doppia volta* (*decr. 12 Sept. 1840, n. 2812*) vel saltem super altare imponatur ampla umbella vulgo Baldacchino (*decr. 23 Nov. 1880, n. 3525 ad 2*).

Tertia clausula: *Per Ordinarium loci prius visitandus, atque adprobandus*, indicat, ait Ferraris (*loc. cit. n. 21*) « non posse valide

Digitized by Google

Oratorium constitui, nisi praecedat visitatio et approbatio Ordinarii. Quapropter, qui privilegium obtinuerit Oratorii privati, illudque in domo sua erexerit, in eo Missam celebrare non poterit, nisi prius Ordinarius vel per se, vel per suum delegatum, Oratorium ipsum visitaverit et adprobaverit. Dicitur *adprobaverit*, quia requiritur ut Ordinarius videat quo loco, et qua ratione Oratorium sit constitutum, an altare debitis forma et mensura constructum, cum uno saltem gradu, seu pradella.

Altare vel ex marmore vel ex latericio esse potest, et etiam ligneus, « dummodo parieti colligatum, amovibile non sit et altaris portatilis imaginem non praeseferat (S. R. C. 3 dec. 1661, n. 1219) »; imaginem autem altaris portatilis praeseferret, quando, aut hac illac portari posset, uti mensa communis, aut lapis sacer infixus in eo non esset, sed super mensam collocatus.

Item Ordinarius videat an ipse infixus lapis sacer sit longitudinis saltem cent. 33 ac latitudinis 26; an omnia ornamenta altaris et vestes sacrae pro celebrante in promptu sint, iuxta Rubricas Missalis; et denique an aliquid profani in Cappella inveniatur, et reliquae praescriptiones circa cellas adiacentes et superiores sint observatae.

Ex quo sequitur, quod Praelatus, aut alius privilegiatus, qui mutando habitationem, alio loco Oratorium constituat, hoc ab Ordinario visitari adhuc debet, ut bene innuit Ferraris (*loco cit. n. 20*). Idem dicatur de altari quod Praelati etiam ruri erigunt, quia hoc gaudent privilegio, Oratorium erigendi tam in urbe vel oppido consuetae habitationis, quam ruri. Ut autem ruri Oratorium erigi queat a Protonotario, requiritur ut rus quodammodo sit suum, sive ratione proprietatis, sive ratione locationis. Nam si ex. gr. rusticationis causa in publico diversorio deget, vel apud amicum, ibi certo certius Oratorium habere nequibit, quia in domo sua non est; alioquin privilegium Oratorii privati, idem esset ac privilegium altaris portatilis, quo carent Protonotarii non participantes, ut infra notatur.

(9) « In Agathensi quadam Synodo, scribit Benedictus XIV (*de sacrif. Miss. l. 1, c. 1, n. 1*), saeculo sexto habita, vetitum

Digitized by Google

legimus, ne quis in privatis sacellis Missam celebret, cum aguntur festa maxima, cuiusmodi sunt solemnitates Paschatis, Nativitatis D. N. I. C., Epiphaniae, Ascensionis, Pentecostes, Nativitatis S. Ioannis Baptistae..... Idem etiam statuit Aurelianense Concilium, cuius decretum refert Gratianus in can. *Nulli* de consecr. dist. 1 ». Hinc est propterea, quod Romani Pontifices, qui Oratorii privati privilegium concedunt, solent dies solemniores reservare, ne in eis Missa celebretur. Siquidem decet omnino quod etiam privilegiati viri, eorumque familiares, hisce solemnioribus diebus, simul cum ceteris fidelibus ad Ecclesiam parochialem pergant Missam audituri. In constitutione Pii Pp. IX iam citata, Protonotariis *ad instar* indultum Oratorii privati concessum fuerat pro *diebus etiam solemnioribus*, absque ulla exceptione; hodie vero quia numerus Protonotariorum satis percrebuit, ut consuleretur integritati canonum antiquorum, et ut in ecclesiis maior esset numerus celebrantium Sacerdotum in festis solemnioribus, visum est locum fieri huiusmodi exceptioni.

S. R. C. (*decreto n. 3896*) declaravit: « in Oratoriis privatis, peculiare privilegium non habentibus, illis diebus solemnioribus Missae prohibentur, qui describuntur in Caeremoniali Episcoporum, lib. 2, c. 34, § 2, et *de praecepto* servantur ». Hi autem sunt « Nativitas Domini, Epiphania, Pascha, Ascensio, Pentecostes, Immaculata Conceptio, Annunciatio et Assumptio B. M. V. festa S. Ioseph, Ss. App. Petri et Pauli, Omnium Sanctorum, et praecipui Patroni loci ». Ex benignitate tamen SS. D. N. Pii X, in Oratoriis privatis Protonotariorum qui Supranumerarii et *ad instar* sunt, excipiuntur tantummodo solemnitates Paschatis, Pentecostes, Assumptionis B. M. V. Ss. App. Petri et Pauli ac loci Patroni. Ne mireris, si non excipiatur Nativitas Dominj, licet festum sit veneratissimum, et semper infra excepta, quia indultum Oratorii in casu nostro, concessum non est in favorem laicorum, quos decet omnino, ut ea die sacratissima ad ecclesiam conveniant Missam audituri, sed in favorem Sacerdotis. Cum autem in festo Nativitatis tres Missae a presbyteris celebrentur, iam pro populi devo-

Digitized by Google

tione provisum est, ut Sacro assistant, ob triplicatum Missarum numerum in ecclesiis; ea porro die non urget necessitas multorum celebrantium, qui imo forsan redundarent.

Hac de re bene notat Ferraris (*loc. cit. n. 50*): Si quis in dictis festis exceptis celebret, vel celebrare faciat, in Oratoriis privatis, graviter et dupliciter peccat; primo quia contra gravem prohibitionem Summi Pontificis celebrat vel celebrare facit in loco pro talibus festis excepto; secundo quia non satisfacit praecepto audiendi Missam, ut expresse declaratur in decreto Clementis XI; et citat Diana et Quarti, cum aliis doctoribus passim hanc sententiam profitentibus.

(10) In Oratorio privato ipse solus Protonotarius Missam celebrare potest, non autem alter quisque Sacerdos, licet et ipse Protonotarius esset supranumerarius vel *ad instar*, nisi uterque Protonotarius in eadem cohabitet domo. Potest quidem alium Sacerdotem, ab Ordinario loci adprobatum, vocare ut in Oratorio suo Missam legat, sed tammodo in casu, quo ipse Protonotarius celebrare nequeat, et Missam audire cupiat. Quandocumque autem absens sit Protonotarius, vel ad Oratorium suum privatum accedere nequeat, nullus Sacerdos invitari potest ut Missam ibi celebret in *consanguineorum, affinium et cohabitantium commoditatem*. Ratio est quia indultum Oratorii est in gratiam Protonotarii tantum, et consanguinei eius, affines etc., de illius gratia participant tamquam accessorii; absente ergo principali, gratia non habet locum. Neque valet dispositionem afferre, quae legitur in rescriptis pro indulto Oratorii privati, scilicet: *in tua et familiae tuae praesentia* (*Missam*) *celebrari facere*, quia in huiusmodi indultis gratia conceditur et Domino indultario, et eius familiae; absente ergo Domino, dummodo aliqua persona ipsius familiae sit praesens, Missa celebrari potest; in casu autem nostro, consanguinei, affines etc., possunt quidem Missam Protonotarii audire, aut alterius Sacerdotis in eius praesentia, *etiam ad praeceptum adimplendum*, non tamen in eorum gratiam indultum ipsum est datum; aliis verbis, ipsi minime sunt indultarii cum Protonotario. Ita

Digitized by Google

probe colligitur ex iis quae de Oratorii privati usu docent auctores a Ferraris citati (*ibid. nn. 51, 52, 53, 54*). Notandum tamen, S. Rit. Congregationem (*decr. n. 2745 ad 7*) declarasse, quod in Oratoriis privatis, etiam absente indultario, Parochus celebrare potest in casu necessitatis ut Viaticum ministret infirmo.

Concludendo itaque, dicendum est sane, Protonotarium permittere non posse, ut Sacerdos amicus et hospes, aut etiam consanguineus vel continuus commensalis, Sacrum faciat in suo Oratorio, nisi huiusmodi Sacerdos gaudeat et ipse, indulto privati Oratorii vel altaris portatilis; aut nisi Protonotarius non celebrans hospitis vel consanguinei celebrantis Missam audiat. Si enim hospes privilegium habeat altaris portatilis, iure suo uti poterit Missam celebrando in Oratorio Protonotarii, qui et ipse eadem die inibi Sacrum facit. Item si continuus commensalis indultum habeat Oratorii privati, bene poterit Missam celebrare in Oratorio domestico Protonotarii, nam in casu idem Oratorium pro duobus indultariis iure inservit.

(11) Privilegio altaris portatilis potiuntur Protonotarii Apostolici participantes, seu de numero, iuxta constitutionem Xysti V (*6 Febr. 1586*), ut supra vidimus. Quoniam vero nonnullis canonicorum collegiis contulerunt Pontifices iura omnia et privilegia, quibus fruuntur Protonotarii de numero, procul dubio et privilegium altaris portatilis illis datum fuisse iure dicebatur. Postea vero Pius IX in citata sua constitutione, qua Protonotariorum *ad instar* privilegia definivit, huiusmodi altaris portatilis privilegio illos omnino carere declaravit § 8, quod et confirmat in hoc *Motu proprio* Pius Pp. X.

Doct. Petrus Piacenza.

Digitized by Google

# Acta Academiae Liturgicae Romanae.

*Die 29 Novembris 1905*, in S. Aede Congregationis Missionis prope Curiam Innocentianam, habitus fuit Conventus academicus, in quo Rev. D. SILVIUS DE ANGELIS, alumnus Pontificii Seminarii Pii, quaestionem enodavit:

## De patena pro communione fidelium illiusque abstersione.

Post Censorum animadversiones et placita, alter ex illis, R.mus D. FELIX RAVANAT, epitomen resolutionum fecit, quam excepit pia collatio « de ecclesiasticis officiis ».

### Quaestionis propositio.

In quibusdam Pedemontanae regionis Ecclesiis sequens viget consuetudo, quod sacram fidelium communionem attinet, sive intra sive extra Missam. Clericus statim ac advertit aliquem ex fidelibus se communicare cupientem, cereum accendit, et confessionem facit, quin ad Celebrantis communionem attendat, si intra Missam distributio facienda sit. Post *Indulgentiam*, discum ex mensa, in qua semper ponitur, accipit ex metallo intus inaurato sine ullo linteo, fidelium mento supponendum, et Celebranti tradit, quem praecedit cum cereo accenso pergentem ad Eucharistiam ministrandam, in eiusque administratione. Qua peracta, Celebrans, ad altare defert praefatum discum quem vel in calice, vel in pyxide purificat, redditque ministro. Si intra Missam, purifica-

Digitized by Google

tionem calicis sumit, si extra, pyxidem cum depositis in ea fragmentis in tabernaculo recondit. Hoc autem, attenta fidelium in Eucharistiam devotione (Taurinensis namque civitas a SS. Sacramento nuncupatur), ter, quater, quinquies et pluries satis, quotidie iteratur. *Quaeritur:*

1. *Quid ferat antiquitas liturgica circa ritus in communione fidelium, maxime inspecto modo possibilem sacrae particulae reparandae casum, aut fragmentorum?*

2. *Quid de disco metallico sine linteo, ac de illius fine, iudicandum, de eiusque abstersione sive in calicem, sive in pyxidem, facili attenta illusione circa falsa pro veris fragmentis?*

3. *Quando a clerico in Missa confessio agenda sit pro communione fidelium, quid de cereo accenso, de Clerico Sacerdotem in Eucharistiae administratione comitante, de disci per Sacerdotem delatione, deque eiusdem disci loco?*

**Solutio.**

I. « Omnibus quidem Ecclesiae catholicae Sacramentis religiose sancteque tractandis magna ac diligens cura adhibenda est; sed praecipue in administrando ac suscipiendo sanctissimae Eucharistiae Sacramento, quo nihil dignius, nihil sanctius et admirabilius habet Ecclesia Dei; cum in ea contineatur praecipuum et maximum Dei donum, et ipsemet omnis gratiae et sanctitatis fons auctorque, Christus Dominus (*Rit. Rom.*, tit. IV, cap. II) ». Haec tam gravia Ritualis Romani verba mentem serio revocant ad sanctitatem considerandam maximi inter Sacramenta a Christo Domino instituta, ac magnam curam magnamque reverentiam, qua opus est in hac re, quoad fieri potest, modo, minus indigno, administranda. Hinc

Digitized by Google

ratio, ob quam rursum hodie Romana Academia Liturgica de alias pertractato argumento discussionem aperuit.

Prima quae proponitur quaestio bifariam dividitur : 1° *Quid ferat antiquitas liturgica circa ritus in Communione fidelium?* Antiquitus, ante S. Communionis distributionem, Diaconus, elata voce, aiebat : « Sancta sanctis », sic fideles invitans ad accedendum ad sacram Eucharistiam sumendam, dummodo tamen dignos se putarent. Istiusmodi invitatio, verbis quamquam diversis, diu in Ecclesia perseveravit (cfr. *Catech. Rom.*, ex Concil. Trid. decr. editus, p. 2, cap. IV, num. 61; Edm. Martène, *De antiquis Eccles. Ritibus*, tom. I, cap. IV, art. 10, n. 7). Fideles, qui ad sacram mensam accederent, prius manus abluere debebant, quemadmodum a multis Patribus describitur. S. Augustinus ait : « Si erubescimus ac timemus Eucharistiam manibus sordidis tangere, plus timere debemus ipsam Eucharistiam intus in anima polluta suscipere (Serm. 244, *de Temp.*). Similiter S. Caesarius Arelatensis (Serm. 52), S. Cyrillus Hierosolymitanus (*Catheches. Mystagog.*, 5 : « Cum enim per manus designentur actiones, lavare certe easdem, munditiem et puritatem operum significat », S. Maximus Abbas : « Omnes viri qui communicare desiderant, prius lavent manus suas, ut mente pura et nitida conscientia Christi Sacramenta suscipiant », etc. Huius autem consuetudinis ratio dignoscitur, praeter quam mystica, etiam naturalis : manibus enim quisque suis divinam Eucharistiam accipiebat, ut ad os suum devote admoveret. Iunumerabilia habemus huius moris testimonia, tam in Ecclesia graeca quam in latina, quae brevitatis studio omittimus, cum satis nota sint omnibus (Cfr. Tertull., *De Idololatr.*, et *De Baptism.*; S. Cyprian., ep. 56, *De Lapsis.*, et lib. I, *Liturgicor.*; S. Ambros., lib. V, *Hist. Eccles. Theodoret.*, cap. XVII; S. Augustin., *Contra Lit. Petil.*, cap. XXIII; Euseb., *Hist. Eccles.*, lib. VII, cap. IX; Basil. Magn., ep. 289; S. Ioann. Chrysost., Homil. 21, *ad popul. antioch.*, et Homil. *in recens baptizat.*).

Concilium Trullanum, can. 101, hac de re expresse agit, ac eos reprehendit, qui non manibus, sed aliis instrumentis, esto

Digitized by Google

aureis, S. Eucharistiam accipiebant. Idem canon modum docet, quo fideles accedere deberent ad S. Communionem accipiendam: « Si quis immaculati Corporis particeps esse voluerit, et offerre se ad communionem, manus in crucis formam figurans, sic accedat ». (Cfr. S. Cyrill. Hierosolymit., *Cath. Mystag.*, 5, et S. Ioann. Damascen., lib. II *Ortodox. fid.*, cap. XII) Notandum tamen, non eumdem fuisse morem viris ac mulieribus S. Communionem recipiendi; viri enim nuda manu, ut diximus, mulieres autem manibus coopertis linteo. Ita quidem legimus in Concilio Antissiodorensi, cap. XXXVI: « Non licet mulieri nuda manu Eucharistiam accipere ». Et cap. XXXXII: « Ut unaquaequeque mulier, quando communicat, Dominicale suum accipiat (habeat): quod si qua non habuerit, usque ad alium diem dominicum non communicet ». Quidnam fuerit istud Dominicale, docet card. Bona (*Rer. Liturg.*), velum scilicet de quo diximus. Sed curnam Patres Concilii sub diversis Canonibus de *Dominicali* et de *Linteo manuali* agunt? Nonnulli cum Stephano Balutio aiunt, Dominicale fuisse velum pro capite, quo mulieres communicantes uterentur. Ita legitur in antiquo Codice ab eodem Balutio relato in notis ad Gratianum, caus. 33, quaest. 5: « Si mulier communicans Dominicale suum super caput non habuerit, etc. ». Hinc a Concilio vetitum fuit, tam Eucharistiam recipere nudis manibus, quam ad eamdem accedere capite discooperto. Similiter Boldetti (lib. I, *Observ. in Coem.*, cap. X). Grancolas ait, Dominicale fuisse velum album sub mento pendens, quod et super manum extendi poterat (*Ant. Liturg.*, tom. II, p. 320). Contra tamen huiusmodi opinionem id habetur, quod velum in capite gestandum nigrum erat. Unde concludendum, binis cum velis solitas fuisse mulieres ad S. Eucharistiam accedere, altero pro capite tegendo, nigri coloris, altero ad manus contegendas, albi. Huiusmodi tamen differentia in Ecclesia latina tantum vigebat; in orientali nunquam videtur observata. Patres et alii graeci scriptores hac de re altum tenent silentium, et Concilium Trullanum expresse dicit, manum esse longe digniorem alia quacunque materia.

Digitized by Google

Haec quoad Corpus SS.mum Christi. Pro Communione SS. Sanguinis, *Fistula* adhibebatur, parvus scilicet calamus, ex auro vel argento confectus, quo e calice sugebatur vinum consecratum. Ordo Romanus eius usum explicat his verbis: « Diaconus, tenens calicem et fistulam, stet ante Episcopum, usque dum ex Sanguine Christi quantum voluerit sumat, et sic calicem et fistulam Subdiacono commendet ». Liber de usibus Ordinis Cisterciensis, agens de ritu Communionis in Missa solemni, ait, Fistulam non esse necessariam, quando communicant soli ministri, verum quando plures fideles communicent, necessario esse adhibendam. In aliis tamen antiquis Ritualibus monachorum praescribitur Fistulae usus, etiam Sacerdotibus et ministris. Ab Anastasio Fistula vocatur *Siphon*: « Obtulit Calicem maiorem fundatum cum Siphone, pensantem libras triginta ». In *Codic. piarum donationum*, apud Myraeum (cap. 21) dicitur *Pipa aurea*. In aliquo Ordine Romano appellatur *Pugillar*: « Archidiaconus tradit Calicem Subdiacono, qui tradit ei Pugillarem ». Ita quidem appellatus est, quod imitaretur calamum, quo scribendo tunc uti solitum erat. Hic mos in Ecclesia latina nunc servatur tantum in Pontificalibus Summi Pontificis, in quibus ipse partem SS. Sanguinis sugit calamo, reliquam linquens Ministris, qui illam sumant ipsomet calamo. In Ecclesia graeca in usu fuit et est *Cochlear*, quo Corpus et Sanguis Iesu Christi administratur.

Haec tamen ratio Eucharistiam administrandi, scilicet eam in communicantium manibus tradendo, diu non viguit, saltem in Ecclesia latina. S. Gregorius Magnus (*Dial.*, lib. III, cap. III) de S. Agapito I narrat, eum quendam pauperem communicasse, sacram Hostiam in eius os ponendo. Hic ritus postea in Concilio Rothomagensi sancitus est (anno 650, sub rege Clodoveo); ib., cap. II, dicitur: « Nulli autem laico aut foeminae Eucharistiam in manibus ponant, sed tantum in os eius ». Paulatim mos iste alibi receptus ac sancitus est, hodieque universim obligat, per decreta Summorum Pontificum et Conciliorum impositus.

Nunc ad alteram primae quaestionis partem gradum facimus:

Digitized by Google

*Quid ferat antiquitas liturgica circa ritus Communionis fidelium, inspecto modo reparandi possibilem casum S. Particulae aut fragmentorum?* Ad vitandum SS. Corporis aut Sanguinis Domini in terram lapsum, ponere solebant antiqui communicantium mento quandam bene detersam, ope spongiae, tabellam (Baronius, ann. 57, num. 146). Bouquillot (*De antiquis Mon. rit.*, lib. II, cap. IV) loquitur de quadam patenae specie, quae consecrabatur, quaeque *Scutella* appellabatur; illa utebantur monachi in S. Eucharistia accipienda. Postmodum huic tabellae linteus suffectus est; sed quando? Tunc forte cum sub hodiernae hostiae propemodum forma Sacramentum tradi coeptum est. Scopus tabellae, et postea lintei, duplex erat: aut ad vitandum ne Sacramentum in terram labi posset, aut ut fragmenta colligi valerent, quae e sacrato pane forte caderent. Nunc, si sub fragmenti nomine notabilem intelligimus Hostiae partem, humanis oculis visibilem, nulla difficultas in admittendo hunc fuisse scopum, praeter alium lapsus divinae Hostiae, linteoli de quo agimus; sed si sub fragmenti nomine minimam intelligimus, quasi atomum, partem, haud facile perceptibilem, tunc putandum non est, Ecclesiam hisce mentem apposuisse, quando morem illum induxit. Ab initio forsan, cum panis minime subtilis et levigatus, quali hodie utimur, conficiebatur, reapse tali cautela opus erat, sed postea, saltem ordinario, non ita. Ceterum si de hisce fere invisibilibus fragmentis sollicita extiterit Ecclesia, rationabiliter praesumens, aliquod fragmentum inveniri super linteo, distributione Communionis peracta, quid exinde agendum foret praecepisset; sed e contrario, nihil aliud mandat, nisi ut super credentia deponatur.

Nihil equidem Caeremoniale Episcoporum, nihil Missale, Rituale aut Pontificale Romanum de hoc mandant. Generale est insuper silentium peritorum in re liturgica. Quid igitur ex hoc silentio arguendum, nisi linteolum ad unicum intendere finem, ne Hostia integra aut facile visibilis eius particula in terram decidat. Numquid velit quis Ecclesiam arguere de tanta in almum Sacramentum irreverentia? atque incohaerentia? De irreverentia,

Digitized by Google

quod suo silentio permisisset, Sacerdotes parum timoratos spernere divina Mysteria, de incohaerentia, quod prius fragmenta colligere in linteo voluisset, et postea nihil sollicita de iis in tuto locandis extitisset.

Concludendum igitur, Ecclesiam iam a remota antiquitate, linteum adhibuisse in S. Communione administranda, vel pro casu quo aliqua Hostia e Sacerdotis manibus ceciderit, vel pro alio quo aliquod ex ea fragmentum facili intuitu visibile lapsum fuerit.

II. *Quid de disco metallico sine linteo, quo haud multo ante hanc nostram aetatem, pluribus in Ecclesiis uti coeptum est?* Nunquam profecto ab Ecclesia vetitum invenitur. Et sane, S. R. C., interrogata, an illius usus admitti valeret, respondit, *Non esse interloquendum*; nullimode vero usum tobalearum reprobavit (16 Mart. 1875). Attamen ut discus eiusmodi adhiberi valeat convenienter, binae hae conditiones requiruntur: sit bene inauratus, atque ita amplus, ut mensuram adaequet consuetam linteoli. Alii alias addunt conditiones: ne sit opere caelato minime ornatus; ut illum deferat Sacerdos tum antea tum post Communionem distributam; ne intra Tabernaculum recludatur. Verum ex his conditionibus, prima est incompossibilis cum Rubricarum observantia, secunda parum iusta et tertia inutilis; de hoc infra. Tenent nonnulli, melius esse disco uti metallico, atque hanc adducunt rationem, in illo conspici longe melius fragmenta, quae a Sacerdote proinde facilius colligentur; alii contra, et forte rationabilius, linteolum praeferunt, 1. quod positive ab Ecclesia praescribitur, dum discus tantummodo toleratur; 2. quia nihil valet ratio a patronis primae sententiae adducta, eo quod, illa admissa, Ecclesia omnino et districte prohibere debuisset usum lintei; 3. quod lintei usus Ecclesiae consuetudini conformior est; 4. quod etiam super Altari, quamvis Celebrans Patenam habeat, tamen Sacramentum non semper super ea tenet, sed super lineo Corporali.

*Quid vero dicendum de disci fine?* Finis profecto idem ac linteoli; sed quem non intendit Ecclesia intendunt disci patroni: curandum, aiunt, ne minima quoque fragmenta pereant. Et re

Digitized by Google

quidem vera, tali in vase, vel minutissima videbuntur fragmenta et a Sacerdote facillime colligentur. Sed reponimus: qui non est finis lintei, esse nequit vel disci; at insuper notandum, per multorum manus, ac saepe satis sordidas, transire discum, neque deesse qui, devotionis causa, illum osculantur: nunc dico, orae saltem ipsius, mundaene erunt, ut ex eis nihil sordidi contrahatur a Sacerdote, vel immittatur in Calicem, in quo adhuc reliquiae divini Sanguinis supersunt? Numquid non ex aere, ex communicantium capite, halitu, vestibus aliquid decidere potest, quod in disco maneat? *Quomodo ergo Sacerdos discernet inter Ss. Specierum fragmenta et res immundas?* En responsio ad tertiam secundae quaestionis partem: Sacerdotis minime erit discum super calicem neque super patenam tergere. Nulla equidem extat hac de re lex, ergo saltem liberum cuique id faciendi vel minime; at haec libertas ab Ecclesia relicta, scandali occasio esset adstantibus, quae ut ab obsequentibus Ecclesiae filiis vitetur satagendum est; novus ita ritus inducitur a scrupolosis inventus, cum uniformitatis detrimento; utinam nihil innovaretur, nisi quod traditum est! Notandum insuper, etiam hostiarum fragmenta saepe consecrata non esse; posita adhuc magna diligentia in particulis purgandis, antequam in pyxidem immittantur, adhaerentes, sed non integrae massae partem constituentes, semper manent nonnullae moleculae hostiarum, quas nemo profecto consecrandi intentionem habet, neque convenienter habere potest. Unde concludendum, moraliter impossibile fore, ut ex particulae consecratae massa aliquid distrahatur ac decidat, proindeque fragmenta, quae in disco invenientur, aliud reipsa erunt, et saepe indecore, nauseanter in Calicem aut in pyxidem immittendum.

Quando agitur de colligendis fragmentis in Missa e Corporali, Rubrica dicit observandum, non fragmenta, sed Corporale, ut innuat, faciliter visibilia esse colligenda, minime vero fere invisibilia quaerenda. Hostia maior in sacra Actione reipsa frangitur, et ex hoc super patena aliquid verisimiliter S. Panis frustulum deponi potest; hinc est quod Rubrica praecipit, absolute esse

Digitized by Google

abstergendam patenam, etiamsi supponat, nullum inveniri fragmentum super Corporali. De hisce nihil disco commune.

Quod si in pyxide, potius quam in calice fragmenta deponantur, non minuitur difficultas, sed augetur; quoties namque id agitur, congerentur moleculae saltem dubiae, multiplicabuntur scrupulorum causae.

Ne timeant autem, qui scrupulis sunt obnoxii, sacras Species ita spretui exponere, bona gaudent societate, S. Ambrosii, S. Ioannis Chrysostomi, S. Gregorii, S. Thomae, qui asserunt, Angelos ea colligere fragmenta, quae Sacerdotibus moraliter reservare impossibile evadit. Annon de scrupulo agitur? Hi qui toti sunt in disco expurgando, minime e converso curant de linteolo vel inspiciendo; num fragmenta quae in discum decidunt diversa sunt ab iis quae in linteum incidunt?...

Non erit abs re mediam viam indicare scrupolosis, vel iis qui scandalum in adstantibus timent: abstergatur discus in vase, super altare posito ad digitos abluendos.

III. *Quando a clerico in Missa Confessio agenda sit pro Communione fidelium?* Haud paucis in locis usus invaluit dicendi *Confiteor* pro Communione fidelium, cum Celebrans fragmenta colligit e Corporali, vel sub sumptione S. Sanguinis. Rationabile tamen non est, dum fideles actum praecipuum sequuntur S. Communionis Sacerdotis, et quod magis interest, dum Sacerdos tantae actioni incumbit, ministrum, confessionem peragendo, communem attentionem distrahere; et e contrario aequum ac rationabile est, communionis fidelium ritum a Confessione incipiendo, absque interpolatione compleri. Sed et attendendum est legi positivae. Rubrica Missalis clarissime loquitur: « Si qui sunt communicandi in Missa, Sacerdos post sumptionem Sanguinis, antequam se purificet, facta genuflexione, ponat Particulas etc. Interim minister ante eos extendit linteum, seu velum album, et pro eis facit Confessionem, dicens: *Confiteor Deo* etc. ». Interim scilicet dum Sacerdos quae describuntur agit, *post S. Sanguinis sumptionem.* Concordat Caeremoniale Episcoporum: « Postquam Celebrans

Digitized by Google

Sanguinem Domini sumpserit, et antequam se purificaverit, et digitos abluerit, dicta Confessione per Diaconum, ut in capite praecedenti, communicabit etc. (lib. II, cap. XXX, num. 4): Notandum illud « ut in capite praecedenti », videlicet stante Sacerdote ad ministrum converso, vix ac desiverit sacras parare Particulas, ut ait Rubrica, et recte; conveniens enim est, Celebrantem attendere Confessioni ministri ad istum conversum; et illum quidem alloquitur minister.

Notandum quoque, contra nonnullorum usum, velum non esse debere sericum, sed lineum; Caeremoniale Episcoporum illud dicit *Mantile*, Rubrica Missalis, *linteum seu velum*, ex qua loquutione aliqui putant indicari pannum sericum; sed vox *velum* non indicat materiam, sed textile. Multo minus recte adhibebitur velum humerale Subdiaconi, huic usui certe minime destinatum. Nunquam indicatur usus serici panni occasione Communionis. Verba illa *seu velum* indicant solummodo, linteum se habere posse ad instar veli, scilicet longioris panni, potius quam ad instar tabulae (cfr. De Herdt, *S. Liturg. Praxis*, t. I, n. 273). Caveant insuper Sacristae, ne loco mappulae apponant *pallas* calicis, quae manibus laicorum non sunt tradendae.

*Quid de cereo accenso in casu?* « Nulla lex cereum accensum praescribit deferendum a clerico dum Sacerdos Communionem administrat fidelibus; laudabiliter nihilominus alicubi id consuetudinis servari nemo ibit inficias ». Ita fert responsum ab *Ephemeridibus Liturgicis* relatum pro dioecesi taurinensi. Commendabilem vero, immo necessarium, dicimus eiusmodi morem, tempore antelucano, ad vitandas irreverentias in almum Sacramentum, cum facile sit, S. Particula vultum communicantium tangere.

*Quid de clerico Sacerdotem comitante?* Nisi cereum gestare consueverit, genuflexus maneat e cornu Altaris, versus Sacerdotem; linteolum autem e manibus postremi communicantis recepturus tempestive accedet, cum conveniens non sit Sacerdotem comitari inferiorem ministrum, tum ob reverentiam SS.mi Sacramenti, tum ob communicantium verecundiam.



Digitized by Google

*Quid de disci delatione per Sacerdotem?* Responsio ex antea dictis, circa finem et usum illius, liquido profluit. Cum Sacerdos servare debeat Rubricam, sinistra pyxidem vel patenam sustinendo, dextera S. Particulam ante Communionis administrationem; cum postea valde sibi incommodo sit sinistra pyxidem vel patenam, discum dextera sustinere, nihil circa illum agere debet; ergo minime convenit illum deferre.

*Et tandem quinam locus disco?* Cum non sit vas Sacra continens, intra Tabernaculum reponi nullimode valet. Super Altare, *nihil omnino ponendum, quod ad Missae Sacrificium non pertineat vel ipsius altaris ornatum.* Ergo illius locus alius esse nequit nisi credentia, aut alia mensa, super qua alia supellectilia poni solent. Notatum et id volumus, nullimode posse illum reponi intra bursam Corporalium, sed si contectus asservari velit, in alterius formae custodia reponatur.

Digitized by Google

# Expositio Rubricarum.

## EXPOSITIO NOVISSIMA
## RUBRICARUM BREVIARII ROMANI

(*Continuatio.* V. num. 3, anni 1905, pagg. 164–169).

## XIX. — De Invitatorio.

### N. 1.

Invitatorium (673) semper dicitur in omni officio ad Matutinum cum Psalmo *Venite, exultemus,* ordine in principio Psalterii descripto (674); sed variatur pro officii varietate, ut in Psalterio, et proprio de tempore, ac proprio et communi Sanctorum (675).

(673) *Invitatorium.* In principio officii nocturni, iam iuxta regulam S. Benedicti (*c. 9*), dicebatur *psalmus nonagesimus quartus cum antiphona*; haec postea *invitatorium* vocata est, ait Amalarius (*lib. 4, c. 9*), quia convocat omnes fratres undique degentes, ut excitentur et veniant ad confitendum ac laudandum Dominum Ipse psalmus XCIV, iuxta Du Cange (*Glossarium, voce* Psalmus), *invitatorius* appellatur in Ordine Romano et apud Alcuinum; dicitur enim extra ordinem psalterii, in principio officii nocturni, simul et alternatim cum versu *invitatorii.*

Hic versus antiquitus vocabatur etiam *responsorium hortationis,* ut habet Magister anonymus, ille scilicet monachus qui primus omnium commentarium edidit regulae S. Benedicti (*Migne P. L. tom. 88, p. 1066*). Hunc Abbas decantabat, ait Martène (*t. IV, c. 2, n. 37*), ut per illud ad laudes Domini oves suscitentur atque invitentur.

Invitatorium ergo, quod in Breviario habetur, illa est antiphona brevis quae praemittitur psalmo XCIV, et cum versi-

Digitized by Google

culis eius intermiscetur, quae verbis invitationis constat, ex. gr. *Adoremus Dominum, qui fecit nos; Regem venturum Dominum*, aut *Christus natus est nobis, venite adoremus.*

(674) *Semper dicitur in omni officio ad Matutinum cum Psalmo* Venite, adoremus *ordine in principio Psalterii descripto.* Semper dicitur, excepto die Epiphaniae et in triduo mortis Domini, in quocumque officio, etiam defunctorum. Dicitur vero cum Ps. *Venite, exultemus*, qui est, ut omnes norunt, reipsa quaedam invitatio. Notat Meratus (*hoc loco n. 1*), quod Marcus Gazaeus diaconus, qui anno Domini 430 vivebat, processionem describit Christi fidelium Ps. *Venite, adoremus* concinentium, et in versiculorum psalmi intercisione, dicentium *Alleluia*; quae modulatio quamdam invitatorii speciem habet; invitatorium autem, simul dicitur cum psalmo *Venite adoremus*, ordine in principio Psalterii descripto, nempe verba ipsius invitatorii in duas partes dividuntur per asterisci signum *, ex. gr. *Adoremus Dominum, * qui fecit nos.* Integre dicitur ante psalmum ab hebdomadario, et integre a choro repetitur. Hebdomadarius seu cantor dicit primos duos versus psalmi, et chorus repetit integrum invitatorium. Post vero III et IV versum chorus dicit secundam partem invitatorii, nempe verba post *, ex. gr. *qui fecit nos.* Dictis autem V et VI versibus psalmi a choro, integrum adhuc repetitur invitatorium; et recitatis versibus VII ac VIII, iterum chorus dicit secundam partem invitatorii, quod integrum repetit post IX et X versus in fine psalmi. Dicta tamen doxologia *Gloria Patri*, ab hebdomadario (cantore), chorus tertio dicit secundam partem invitatorii; quam ultimo repetit, in fine respondendo hebdomadario, qui primam reassumit invitatorii partem. Hoc ordine semper dicitur invitatorium quotidie.

Ad rem bene notat cl. Batiffol (*Hist. brev.*, p. 90): huiusmodi ratio et ordo dicendi invitatorium, non est, ut passim scriptores docuerunt, residuum antiqui modi cantandi antiphonas; sed est residuum antiqui modi quo decantabantur *psalmi responsorii.* Hinc est quod Magister anonymus, quem supra citavimus, qui

Digitized by Google

vixit seculo VIII, invitatorium nominat *responsorium hortationis.* Reapse unus de choro versiculum canit, seu invitatorium, qui non est prorsus vera antiphona, bene quidem quoddam *acrostichion*, quod totus chorus repetit; deinde psalmus XCIV non a choro decantatur, sed ab eo solo qui invitatorium praececinit, ut supra diximus. In qua ratione cantandi invitatorium interpolatum cum psalmo, concludit Batiffol, antiquum psalmodiandi modum invenimus.

(675) *Sed variatur pro officii varietate ut in psalterio et proprio de tempore, ac proprio et communi Sanctorum.* Versiculus invitatorius, variatur sicut variantur antiphonae in diversis officiis sive de tempore sive de festis aliquibus sive de communi Sanctorum.

Hodie in Breviario habentur quadraginta et unum invitatoria; nempe: septem ab ipso psalmo XCIV deprompta pro Dominicis per annum, et pro feriis singulis; duo in Adventu, *Regem venturum*, et *Prope est iam Dominus*; unum pro tribus Dominicis Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae, et aliud pro Dominicis Quadragesimae, unumque pro tempore Paschali, et sunt 12.

Proprium habetur in singulis officiis Domini, nempe in vigilia et in Nativitate, in octava Epiphaniae, in festo SS. Nominis, in Ascensione, in Pentecoste, in festis SS. Trinitatis, SS. Corporis Ghristi, Sacr. Cordis Iesu, Pretiosissimi Sanguinis, ac Transfigurationis, et Dedicationis Ecclesiae, atque duo pro duobus festis SS. Crucis, et sunt 14.

Pro officiis B. Virginis habetur Invitatorium proprium, in festis Purificationis, Assumptionis, ac duo pro festis VII dolorum. Pro festis vero Immaculatae Conceptionis, Visitationis, Nativitatis et SS. Rosarii unum habetur commune, mutato festivitatis nomine; in aliis tantem festis Deiparae, commune item aliud extat invitatorium, nempe: *S. Maria, Dei genitrix virgo,* * *intercede pro nobis*; et aliud denique in officio eis parvo; *Ave Maria gratia plena,* * *Dominus tecum*, quod sumitur etiam in festo Annunciationis; et sunt 7.

Digitized by Google

In festis autem Sanctorum, proprium habent invitatorium, officia S. Stephani Protom, utriusque Cathedrae S. Petri, S. Ioseph, S. Laurentii, et omnium Sanctorum. Proprium item videtur invitatorium in festis Conversionis S. Pauli, S. Mariae Magdalenae, S. Martini Episcopi et Patrocinii S. Ioseph, sed ut notat Guyetus (*l. 3, c. 4, qu. 6*) est commune, et idem ac invitatorium sanctarum Mulierum, nempe *Laudemus Deum nostrum in confessione* S. N...., mutato nomine in: *conversione* vel in *veneratione*; et sunt 6.

In festo S. Ioannis Baptistae, S. Michaelis Archangeli et Ss. Angelorum, habetur invitatorium de Communi Sanctorum, scilicet: *Regem Praecursoris*, vel *Archangelorum*, vel *Angelorum*, sicut habemus in communibus Apostolorum, Martyrum, Confessorum ac Virginum; cui invitatorio si addas illud quod habetur in officio defunctorum, sunt ultima duo Breviarii: in toto ergo sunt n. 41, exclusis invitatoriis in officiis pro aliquibus locis

## N. 2.

Non dicitur in die Epiphaniae (676), nec in triduo ante Pascha, ut suis locis notatur (677), nec in officio defunctorum per annum (678), excepto die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, ac in die obitus seu depositionis defuncti, et quandocumque dicantur tres Nocturni (679).

(676) *Non dicitur in die Epiphaniae.* Gavantus (*hoc loco*) ex quibusdam mysticis scriptoribus non unam exhibet rationem, quia in festo Epiphaniae omittitur invitatorium; vera tamen et unica ratio illa est, quam ultimo loco ponit: «quia psalmus *Venite* dicitur eo die in nocturnis, neque bis in eodem officio dici psalmus solet», intellige in eadem hora diei, quia ex. gr. Ps. *Cum invocarem* in nonnullis officiis dicitur ad Matutinum, licet et dicatur quotidie in Completorio.

Digitized by Google

Haec autem vera et sola ratio est, cur in die Epiphaniae Invitatorium omittitur, ut admittit et Meratus, qui addit: « Benedectini, qui ad tertium nocturnum cantica habent, sicut et Carthusiani, qui psalmos Ephiphaniae proprios recitant, inter quos psalmus *Venite* non habetur, eum ab officii initio cum invitatorio in Epiphaniae festo decantant ».

(677) *Nec in triduo ante Pascha ut suis locis notatur.* Gavantus, ex Durando (*l. 6, c. 72*), scribit: « Non dicitur (invitatorium) in triduo ante Pascha ne imitemur, sed potius per silentium detestemur, pestiferum Iudaeorum consilium, et conventum eorum, contra Christum. Praeterea Apostoli tunc dispersi erant, qui alios ad Dominum invitare consueverant ». Cl. De Herdt (*III, n. 29*) e contra scribit: « In hoc officio (tridui maioris hebdomadae) idem fere servatur ordo, ac in officio defunctorum. Omittuntur *Deus, in adiutorium*, invitatorium, hymni, *Gloria Patri*, non tam mysterii causa, quam ratione servandi antiquam divini officii formam, cuius simplicitas maxime convenit passioni et morti Christi celebrandae ».

Assentimur De Herdt, omissionem invitatorii in hoc triduo *non esse ob causam mysterii*, ut pie docent nonnulli, suffragante et ipso Gavanto. Item concedimus, omissionem hymnorum et doxologiae *Gloria Patri*, signum esse tristitiae quae convenit summopere in hoc sacratissimo triduo, et proinde omittuntur etiam in officio defunctorum; quoad vero invitatorium, quod pro defunctis non omittitur, nescimus quomodo censeri possit signum laetitiae, vel tristitiae.

Igitur aliunde ratio omissionis invitatorii, in triduo maioris hebdomadae, exquirenda est. Sunt qui arbitrantur invitatorium in hoc triduo non dici, quia Matutinum pridie post Completorium decantatur, ac proinde vanum esset invitare ad surgendum et confitendum Dominum, illos, qui iam in choro existunt; attamen nec ista ratio licet speciosa aliquid valet, nam teste Martène (*vol. III, l. 4, c. 22, n. 1*) ex Alcuino, et ex ordine romano antiquissimo, a Mabillonio edito, etiam in nocturno officio huius

Digitized by Google

tridui sacratissimi media nocte surgebant monachi. Qua de re notat ibidem ipse Martène: « Nunc vero refrigescente caritate et languente in dies fidelium devotione, universa pene omnino, praesertim qui ritus Romanos sectantur, obtinuit consuetudo, ut pridie, clara adhuc die, persolvantur vigiliae ».

Quapropter, si verum esset quod innuit De Herdt, omitti nimirum in hoc triduo invitatorium *ratione servandi antiquam divini officii formam*, haec ratio aliquid certo valeret; nescimus tamen an probari possit, primitivam officiorum formam, invitatorio caruisse, quod non dicunt rerum liturgicarum scriptores.

(678) *Nec in officio defunctorum per annum.* Scilicet in Matutino pro defunctis quando unum tantum dicitur nocturnum, ut in feriis *per annum*. Nota tamen, hac formula *per annum*, ut plurimum intelligi tempus quod decurrit ab octava Epiphaniae usque ad Septuagesimam, et a festo Trinitatis usque ad Adventum; hic vero alio sensu accipienda est, nempe officium defunctorum ritu simplici celebratum, etiam in Adventu et Quadragesima etc.

(679) *Excepta die commemorationis omnium Fidelium defunctorum, ac in die obitus seu depositionis defuncti et quandocumque dicuntur tres Nocturni.* Regula generalis est, quod invitatorium in officio defunctorum non omittatur, quandocumque tres dicantur nocturni, sub quolibet ritu recitatur duplici vel semiduplici; quae regula firmata est a S. R. C. suo Decreto n. 2344 ad 2 (9 Maii 1739). Igitur cum in die Commemorationis omnium defunctorum tres dicantur ex praecepto nocturni, cumque in die obitus tres item nocturni ex Rubrica Ritualis Romani (*Tit. 6, c. 3, n. 16*) dicendi essent, in hisce officiis invitatorium numquam omittitur. Notandum tamen, quod citata Ritualis Rubrica docet: *Si vero ob rationabilem causam, videlicet ob temporis angustiam, vel aliorum funerum instantem necessitatem, praedictum Officium mortuorum cum tribus Nocturnis et Laudibus dici non potest; deposito in ecclesia feretro cum corpore dicatur saltem primum Nocturnum cum Laudibus,*

Digitized by Google

*vel saltem sine Laudibus, maxime ubi eiusmodi viget consuetudo, incipiendo ab invitatorio*: Regem cui omnia vivunt, * Venite, adoremus.

In die ergo depositionis alicuius defuncti, ideoque et in die obitus, licet ob aliquam causam cadaver non esset praesens, dici potest unum tantum nocturnum, et nihilominus invitatorium non est omittendum.

Huiusmodi exceptio valet tantummodo pro die depositionis, non vero pro diebus VII, VIII, XXX et anniversaria, vel in aliis officiis mortuorum solemniter decantatis, in quibus, etsi duplicentur antiphonae, quia ritu duplici persolvuntur, attamen invitatorium praemitti non potest, nisi tria dicantur nocturna, quod S. R. C. declaravit suo decreto n. 3885 (*d. d. 21 Februarii 1896*). Ad quaesitum enim 5: « An servari possit immemorabilis consuetudo, qua in Officiis defunctorum, quae peraguntur infra annum cum aliqua solemnitate, praesertim diebus obitus et anniversariis, semper decantetur primum nocturnum non omisso cantu invitatorii? » respondit: *Serventur Rubricae Ritualis et Breviarii Romani.* Atqui, ex collatis simul Breviarii et Ritualis Rubricis probe evincitur, invitatorium semper esse omittendum, cum dicitur unum nocturnum, excepto tantum die depositionis alicuius defuncti, in quo licet; ergo in diebus III, VII, XXX, et anniversario, si unum dicatur nocturnum, invitatorium dici nefas est (1).

Quod clarius evincitur ex alio S. R. C. decreto n. 2578 ad 12 (d. d. 31 Maii 1817), in quo declaratur expresse: posse quidem servari consuetudinem recitandi unum dumtaxat nocturnum (in anniversario) sed sine invitatorio.

(1) In Indice decretorum, p 247, hoc responsum errate redditur: ita enim legitur: Invitatorium et I Nocturnum cum Laudibus ex consuetudine semper decantari potest in Officiis defunctorum, quae peraguntur infra annum cum aliqua solemnitate, praesertim diebus obitus et anniversarii iuxta Rubricas Breviarii et Ritualis Romani.

Digitized by Google

# XX. — De Hymnis.

## N. 1.

**Hymni (680) semper dicuntur in qualibet Hora (681), praeterquam a triduo ante Pascha, usque ad Vesperas Sabbati in Albis exclusive (682), et praeterquam in Officio Defunctorum (683).**

(680) *Hymnus* apud graecos dicebatur carmen in honorem Dei, ait Guyetus (*l. 3, c. 5*). Hinc Isidorus carmina quaecumque in laudem Dei hymnos vocat; et ipse Philo Iudaeus, de primis christianis scribens, inquit: « Non solum Christiani contemplantur, sed etiam cantica et hymnos in Dei laudem componunt vario metrorum carminumque genere concinnatos, in augustiorem ac religiosorem speciem ». Quod cohaeret doctrinae S. Pauli Apostoli, qui ad *hymnos* decantandos adhortabatur fideles, scribens ad Ephesios (V. 19) et ad Colossenses (III, 16).

Iuxta recentiores rerum liturgicarum cultores (1), iam a primaevis Ecclesiae temporibus usus invaluit hymnorum, qui forsan decantabantur etiam in liturgia; quia de iis loquuntur epistola Diognetis (circa an. 117), Theophilus Antiochenus († 181), Clemens Alexandrinus († 217), Commodianus († 305), et Methodius († 311). Etiam in S. Pauli epistolis nonnulli inveniuntur loci qui rhythmice sonant (cf. I Tim. 3, 16; II Tim. 2, 11-13; Ephes. 5, 14). Cf. Bäumer, *Hist. du Brév.*, vol. I, p. 84.

(1) Nostrae aetatis, non pauci nec parvi nominis, fuerunt auctores, qui speciali studio hymnos liturgicos illustrarunt; quos recenset Bäumer (*Hist. du Brév.*, vol. I, p 43); scilicet Daniel *Thesaurus hymnologicus*, 5 vol. Halis et Lipsiae, 1831-1854. Fr. Mone, *Lateinische Hymnen des Mittelalten*, 3 vol., Freiburg, 1853-1856. Pimont, *Les Hymnes du Bréviaire romain*, Paris, 1874. Chevalier, *Repertorium hymnologicum*, Paris et Bruxelles, 1890; et alii; quibus adiicendi sunt: Venturi, *Gli Inni della Chiesa*, Firenze, 1880, et Semeria.

Digitized by Google

In ecclesia autem occidentali, primi omnium fuerunt Ss. Hilarius et Ambrosius, qui hymnos cantandos in divinis officiis instituerunt, ut habetur in concilio Toletano inferius citando. De hymnis a divo Ambrosio compositis, qui adhuc in Breviario adhibentur, testimonium habemus in eius vita a S. Paulino conscripta (c. 13), nec non in Confessionibus S. Augustini, qui (*l. 9, c. 7, n. 1*) scribit: « Annus erat, aut non multo amplius, cum Iustina (1) Valentiniani regis pueri mater, hominem tuum Ambrosium persequeretur, haeresis suae causa, quae fuerat seducta ab Arianis. Excubabat pia plebs in ecclesia, mori parata cum episcopo suo, servo tuo. Ibi mater mea, ancilla tua, sollicitudinis et vigiliarum primas partes tenens, orationibus vivebat. Nos adhuc frigidi a calore Spiritus tui, excitabamur tamen civitate attonita atque turbata. Tunc hymni et psalmi, ut canerentur secundum morem orientalium partium, ne populus moeroris taedio contabesceret, institutum est; et ex illo in hodiernum retentum, multis iam ac pene omnibus gregibus tuis et per caeteros orbis partes imitantibus ». S. Benedictus in regula (c. 9) disposuit, ut in unaquaque hora canonica hymnus decantaretur, quem *Ambrosianum* vocat antonomastice. Similiter Rabanus Maurus (*De instit. cleric.*, II, 49, P. L., c. VII, 362) habet: « Hymni ex eius (D. Ambrosii) nomine Ambrosiani, vocantur, quia eius tempore primum in Ecclesia Mediolanensi celebrari coeperunt; cuius celebritatis devotio de hinc per totius Occidentis ecclesias observatur ».

Nihilominus, cum monachi facile hunc usum extra Italiam intulissent, Concilium Bracharense II, anno 563 celebratum, hymnos a liturgia proscripsit in suo canone 12, ubi legitur: « Placuit ut extra psalmos vel canonicarum Scripturarum (*supple*: libros) novi et veteris Testamenti nihil poetice compositum in ecclesia psallatur, sicut et antiquis canonibus statutum est (Harduin, *Coll. Conc.*, III, p. 351) ».

(1) Anno 386, circa festa paschalia.

Digitized by Google

Iuxta Bäumer canones antiqui hic citati, decisiones videntur esse Concilii Laodicensis anno 361 coacti. In Gallia vero, ut habemus in Concilio Turonensi pariter secundo, quod anno 567, quatuor scilicet annis post Bracharense, celebratum est, hymnorum usus probatus fuit in canone 23, in quo habetur: « Licet hymnos Ambrosianos habeamus in canone, tamen, quoniam reliquorum sunt aliqui qui digni sunt forma cantari, volumus libenter complecti eos praeterea, quorum auctorum nomina fuerint in limine praenotata (Harduin, l. c. p. 365) ».

Licet igitur in peninsula hiberica, serius hymni admissi sint, in Concilio tamen Toletano IV, anno 637 coacto, in canone 13 eorum usus commendatus fuit, imo et praescriptus: « Et quia nonnulli hymni humano studio in laudem Dei atque Apostolorum et Martyrum triumphos compositi esse noscuntur, sicut hi quos beatissimi doctores Hilarius atque Ambrosius ediderunt; quos tamen quidam specialiter reprobant, pro eo quod de Scripturis sanctorum canonum vel apostolica traditione non existunt. Respuant ergo et illum hymnum ab hominibus compositum, quem quotidie publico privatoque officio in fine psalmorum dicimus: *Gloria et honor Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, in saecula saeculorum. Amen.* Nam et ille hymnus, quem nato in carne Christo Angeli cecinerunt: *Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis*, reliqua quae sequuntur ecclesiastici doctores composuerunt..... Componuntur ergo hymni sicut et componuntur et Missae sive preces, vel orationes..... Sicut igitur orationes, ita et hymnos in laudem Dei compositos Gallia Hispaniaque celebret; excommunicatione plectendi, qui hymnos reiicere fuerint ausi (Harduin, l. c. p. 583) ».

(*Continuabitur*).

Doct. PETRUS PIACENZA.

Digitized by Google

# Consultationes.

## Dubiorum liturgicorum solutio.

Ex Urbe.

**Dub.** – Quid agere debet Sacerdos, si in Missae celebratione, collectis fragmentis patenaque super Calicem extersa, ob mentis aberrationem statim dicens verba *Quod ore sumpsimus* etc., Calicem porrigat ministro, qui vinum de more ad purificationem infundat?

**Resp.** – Uti monet S. Pius V in Epistola ad Archiepiscopum Tarraconensem, data die 8 Ianuarii 1571 (cfr. Gavantus, part. II, tit. X, n. 5, l. *y*), decet, ut vinum ad Calicis purificationem infusum, sit eiusdem saltem quantitatis, qua fuerunt primae species Sanguinis; ideo in casu probabiliter timeri potest ne Christi Domini praesentia in Calice cessaverit ob alterius vini commixtionem.

Nam Corpus et Sanguis Christi remanere videntur in Eucharistiae Sacramento, quamdiu sacrae species manent eaedem tum quoad speciem tum quoad *numerum*; consecratur enim *hic* panis et *hoc* vinum. Iamvero si vino consecrato permisceatur in magna quantitate aliud vinum, remaneret quidem eadem species, quia natura vini hoc modo non solvitur, sed non remaneret idem *numero* vinum; quod enim est omnino commixtum ex duobus liquoribus, neutrum miscibilium est, sed utrumque transit in quoddam tertium ex his compositum, ita ut vinum prius existens non remaneat idem numero; quod accidentium diversitas declarat, puta si unum vinum esset album, alterum vero rubrum. Unde, ut concludit S. Thomas (*Summa theol.*, part. III, quaest. LXXVII, art. VIII), « si fiat tanta permixtio liquoris cuiuscumque, quod pertingat ad totum vinum consecratum et fiat permixtum, erit aliud numero, et *non remanebit ibi Sanguis Christi* ».

Digitized by Google

Quod si liquor adiunctus esset tam parvae quantitatis, ut non posset perfundi per totum vinum consecratum, sed usque ad aliquam specierum partem, *non omnino* species consecratas corrumperet, ideoque non desineret esse Sanguis Christi saltem sub alia specierum parte, uti docet idem Angelicus Doctor (loc. cit.); utrum autem *ex parte* sacrae species vini in hac hypothesi corrumpantur, controvertitur inter Doctores. Cfr. Merati (part. III, tit. IV, n. 7), Billot (*De Sacramentis*, tom. I, thes. XLVIII, schol. II) aliosque auctores. Quoad antiquatam opinionem nonnullorum, qui immerito putabant, vinum consecrari ex contactu vel commixtione speciei consecratae, consuli potest Martène (lib. I, cap. IV, art. X, n. 11).

Itaque in casu nobis proposito, si minister in Calicem magnam vini quantitatem infuserit, grave dubium adest de Christi praesentia in vino antea consecrato et cum altero vino commixto; ideo si Celebrans, antequam hoc vinum bibat, recordetur, se non sumpsisse vinum consecratum, *sub conditione* (cfr. S. Alfons. de Lig., lib. VI, n. 206) illud vinum commixtum consecrabit, dicens « *Simili modo postquam coenatum est* etc. », facta prius tamen Calicis oblatione; si vero Celebrans totum vinum commixtum iam sumpserit, ponet iterum in Calice novum vinum et aquam, et consecrabit ab eodem loco « *Simili modo* etc. », praemissa Calicis oblatione (Rubr. Miss. de defect., tit. X, n. 13); quamvis enim Sacrificii essentia, saltem probabiliter, in sola consecratione utriusque speciei consistat, nova tamen consecratio requiritur ad sumptionem illius speciei, quae defecit.

Nihilominus quidam Doctores putant, si vino consecrato addatur aliud vinum, sive maiori sive minori mensura, sive fortius sive aeque forte, *non cessare Sacramentum*, sed remanere ut antea sub vini specie Sanguinem Iesu Christi (cfr. Bened. XIV, *De Missae Sacrif.*, lib. III, cap. X, n. 17). Cum haec quoque sententia sit probabilis, Sacerdos, de quo in casu, eam in praxim deducere potest, ita ut absque nova vini consecratione Missam de more prosequi valeat.

Digitized by Google

### Pro Augusta Taurinorum.

In Ecclesiis dedicatis sub titulo S. Mariae Angelorum, festum Titularis celebrandum est die Assumptionis, idest 15 Augusti (S. R. C., 10 Mart. 1787, n. 2529, et 14 Maii 1707 *Parisien.*, n. 3772 veteris collectionis); in Ecclesiis autem Seraphici Ordinis, ubi ex consuetudine festum Titularis S. Mariae Angelorum celebratur die 2 Augusti prout in festo S. Mariae ad Nives, cum lectionibus II Nocturni de festo Nativitatis eiusdem, mutato verbo « *Natali* » in « *Festivitate* », huiusmodi consuetudo servanda est (S. R. C., 10 Iun. 1690, n. 3221 vet. collect.), neque propterea agendum est alia die de Dedicatione Basilicae Portiunculae, in cuius Officii locum Officium proprii Titularis die 2 Augusti subrogatum est (Rubr. pecul. Brev. Romano-Seraphici, n. 139).

### Pro Monte Regali.

Si Episcopus in generali Ordinatione oblitus sit particulas ad Ordinatos communicandos consecrare, et hoc animadvertat antequam se cum sacra Hostia communicet, non potest (ut patet) consecrationem repetere; ideo, nisi per particulas praeconsecratas suppleri possit, Ordinati sacram communionem peragere poterunt privatim post expletam Missam pontificalem; neque propterea ullum dubium aderit quoad ordinationis validitatem. Quamvis autem neo-presbyteri in casu non participent de sacra Hostia in eodem sacrificio consecrata, nihil timendum est de integritate sacrificii, utpote quod ab Episcopo ordinante completum est, qui est *praecipuus* consecrans; neo-sacerdotes vero ad eandem consecrationem *tanquam secundarii seu accessorii* concurrunt, ideoque Sacramentum sub utraque specie non recipiunt, sed iuxta Pontificalis Romani Rubricas genuflexi communicandi sunt per hostias parvas more laicorum. Cfr. Benedictus XIV, *De Missae sacrificio*, lib. III, cap. XVI. Neque constat, an Episcopus in casu cum parte Hostiae maioris neo-presbyteros communicare possit. Cfr. De Herdt, *S. Liturg. Prax.*, tom. II, n. 168 et 174.

Digitized by Google

# Ius Liturgicum.

(*Continuatio*. V. num. 12, anni 1905, pagg. 718–721).

## ARTICULUS III. — Sacrae Liturgiae obiectum.

### XII. *Obiectum S. Liturgiae dupliciter consideratur.*

77. Obiectum S. Liturgiae dupliciter considerabimus: 1° *Obiectum primarium* seu directum, quo intelligitur illud, in quod per se et directe intendunt actus alicuius potentiae, seu agentis; 2° *Obiectum secundarium* seu indirectum, quo intelligitur illud, quod scientifice intenditur tantum ob rationem primarii, quia vel dicit ordinem ad illud, vel ad idem conducit.

### XIII. *Obiectum primarium seu directum S. Liturgiae.*

78. Obiectum primarium in Sacra Liturgia non est nisi *solus Deus*; cui uni intendunt actus cultus ab Ecclesia positi. Et sane *cultus* a Theologis accipitur pro honore qui Deo tribuitur, et distinguitur in *absolutum* et *relativum*; primus est ille qui Deo, utpote supremo rerum omnium Domino atque in infinitum creaturas omnes excedenti tribuitur; alter vero est ille qui creaturis impenditur, sed non proprie, verum per quandam analogiam, quatenus scilicet ad Deum referuntur et de divinis bonis participant.

79. Unde nota distinctio inter cultum *latriae* et *duliae*. Utraque vox servitutem significat, sed diverso modo; nam λατρεύειν (ex radice λαϜ, lucrum designante) significat *servire pro mercede*; δουλεύειν vero (ex radice δε, ligare) significat *servire ut mancipium*.

80. Hinc patet, in prima specie cultus plus includi quam in posteriori, veluti si diceretur: Deo tribuendus est honor tamquam ei, qui, cum sit unus bonus, unus dives, unus potens, mercedem rependere valet pro servitutis merito. Ceteris autem, nempe crea-

Digitized by Google

turis, honor tribuendus est tamquam participibus divinae excellentiae, nihil tamen rependere valentibus; unde sicuti mancipia nullum reportant lucrum, ita qui illis deserviunt.

### XIV. *Obiectum secundarium seu indirectum S. Liturgiae.*

81. Obiectum secundarium S. Liturgiae dividemus in *materiale* et *formale*. Materiale vero in *passivum* seu *finale*, habens rationem *termini*, quale dicimus illud, super quo cadit actio, et in *activum*, seu *medii* rationem habens, quale illud intelligimus, quo actio ipsa completur. Primae speciei sunt *Personae* et *Res* circa quas S. Liturgia versatur; secundae speciei sunt *Caeremoniae* et *Ritus*. Obiectum formale illud dicimus, quod movet ad operandum, quod propterea dici valet etiam motivum; est scilicet ratio, ob quam obiectum materiale aptum fit ad finem assequendum.

### XV. *Obiectum materiale S. Liturgiae passivum, seu finale* (Personae, Res).

82. *Personae*, quatenus terminus S. Liturgiae considerantur, sunt fideles, qui ideo sunt obiectum cultus, quod sunt Ecclesiae membra; actus quippe liturgici non exercentur in Personas, quae vel nunquam Ecclesiam ingressae sunt, vel quae ab eius unitate defecerunt. Hae Personae, etiamsi ex hac vita migraverint, tamen in Ecclesiae communione permanentes, pariter obiectum sunt Liturgiae.

83. De *Personis*, per quas Liturgia exercetur, non est hic sermo habendus, quia hac ratione non sunt Liturgiae obiectum, sed ministri. De his in tertio huius partis capite (art. 3) agemus, sunt enim ii per quos *Ius liturgicum* exercetur.

84. *Res*, a S. Liturgia tamquam obiectum consideratae, sunt illae, quae constituunt totum liturgicum apparatum, qui iuxta Ecclesiae institutionem sive prout natura dat, sive prout ars praeparat exhibetur. Hinc aqua, oleum, fruges, aurum, argentum, lapides,



Digitized by Google

linteamina, vasa, imagines, instrumenta, domus, templa, civitates... obiectum esse possunt Liturgiae.

85. In hac categoria comprehendendae sunt quoque res non strictu sensu materiales, uti cantus, sonitus, verborum prolatio...

## XVI. *Obiectum materiale S. Liturgiae activum, seu in ratione medii* (Caeremoniae, Ritus).

86. *Caeremonia*, iuxta S. Thomam (I, II$^{ae}$, q. 99, a. 3), dicitur a *Caere*, oppido prope Romam (a Tito Livio vocato « Sacrarium populi romani »), quo Sacra Romanorum oblata sunt, capta Roma a Gallis; vel quasi *Caereris munia*, eo quod primae oblationes factae sunt de frugibus terrae.

87. Alii hanc vocem derivant a *Carimonia* seu abstinentia; sed non videmus quomodo hoc nomen, particularis unius virtutis significativum, et negativam significationem habens, potuerit cunctis applicari actionibus Sacrae Liturgiae, positivam habentibus operationem.

88. Alii demum derivant a *Cerus*, veteri latino vocabulo, quod significabat sacrum, sacratum, sanctum.

89. Si liceat meam proferre sententiam, mihi videtur posse dici, derivasse a *Chironomia* (χειρός νόμος, *lex manus*), qua voce antiqui Oratores indicabant *regulas gestus* et *motus corporis* in declamando.

90. Facillime exinde potuit, ob euphoniam et metathesim, literarum transpositio et modificatio fieri, et dici *Chirimonia, Caerimonia, Caeremonia*. Vetus italica versio habet *Cirimonia*.

91. *Ritus* communiter derivatur a *rite* seu *recte*, et etiam apud ethnicos significavit *morem, usum, modum*, praesertim in iis actionibus, quae ad divinum cultum referebantur.

92. Non omnes tamen concordes sunt in applicatione huius vocabuli.

93. Quidam aiunt, significare *verba* in sacris usurpata; quidam nullam inter illud et *Caeremoniam* differentiam ponunt, ut indiscriminatim alterum dicant pro altero accipi posse.

Digitized by Google

94. Quidam tandem, sub eo integrum comprehendunt sacrarum actionum complexum, quo expletur aliqua *functio*, uti dicitur: v. gr. Ritus Baptismatis, Ritus Missae, Ritus Dedicationis Ecclesiae. Hic est verior sensus, quem et nos retinemus.

95. Quando dicitur *Ritus romanus, Ritus graecus, Ritus ambrosianus, Ritus gallicanus* etc., vox *Ritus* accipitur in sua etymologica significatione, nempe *moris, usus*, ac si dicatur *more graecorum*, iuxta *usum graecorum* etc.

96. Ex sensu istorum verborum iam patet dici posse, Ritum magis extendi quam Caeremoniam, imo *Ritum* aliud non esse, quam *Caeremoniarum complexum et ordinem.*

XVII. *Origo et significatio in Ss. Ritibus et Caeremoniis.*

97. In sacris Ritibus et Caeremoniis consideranda venit *origo* et *significatio.*

98. *Origo* distingui potest in *philosophicam* et *historicam*; *significatio* in *realem* et *mysticam* seu *symbolicam.*

A) *Origo philosophice.*

99. *Origo, philosophice* considerata, in eo invenitur, quod, posita cultus externi necessitate (quam non est nostrum probare, sed supponimus), necessario quoque Caeremoniae et Ritus debuerint enasci.

100. Quidam eorum tamen, naturaliter, seu ex illo qui dicitur sensus communis hominum, proculdubio promanarunt.

101. Unde est quod nonnullas Caeremonias et ritus in omnibus invenimus religionibus, seu vera, seu falsis, sive barbaris, sive civilibus; cuiusmodi sunt usus locorum sacrorum, vestium peculiarium ad sacra obeunda, luminum, musices etc.; nec non quidam gestus, seu modi et positiones corporis, elevatio oculorum, manuum expansio ...

102. De his frustra niteretur quis originem investigare: data necessitate sensus intimos animi manifestandi, eisque efficaciam addendi, ii actus sponte dicendi sunt esse nati.

Digitized by Google

103. Quidam autem inveniuntur originem duxisse ex propriis Religionis institutis et vicissitudinibus.

104. Unde multum contulerunt Rituum et Caeremoniarum origini circumstantiae temporis et loci, nec non et relationes cum aliis cultibus.

105. Hinc videmus mosaicam Liturgiam maximam habuisse conformitatem cum Ritibus Aegyptiorum, quibuscum Hebraei diu multumque conversati sunt; videmus christianam Liturgiam, sua vice, plura mutuasse ex mosaica religione: nemo nescit quam intimus sit nexus inter illius istiusque cultum.

106. Etiam ab ipso ethnicorum cultu christiana Religio Caeremonias nonnullas derivavit.

107. Hoc vero ea de causa factum est, ut sive quae bona, decora, utilia videbantur ad novum cultum converterentur, aut quia saepe nullum aliud inventum fuerit opportunius consilium, ad ritus aliquos abolendos, nisi eos transformando et sanctificando.

B) *Origo historice.*

108. Origo vero *historice* considerata ex hoc desumitur, quod nonnulli Ritus et Caeremoniae, prout nunc sunt, vel a quodam eventu originem duxerint, uti v. gr. ad novas haereses refellendas, ad res gestas recolendas; vel aliquando adhibiti ex quadam olim proportionata causa, nunc aliam non habent, nisi *archaeologicam*.

109. Hoc enim est proprium christianae, seu melius catholicae Religionis, ut sit eminenter conservatrix.

110. Hinc persaepe accidit, ut ex eo quod Sacra Liturgia sexdecim circiter saeculorum spatio, saltem in secundariis seu accessoriis, nonnisi fere per traditionem conservata et transmissa fuerit, ordinem constantem, uniformem quo tenerentur Sacrorum ministri non habuerit; unde inveniri dantur plures Ritus et Caeremoniae, quae nullam amplius rationem habent essendi.

111. Ita ex. gr. usus planetam sustentandi, seu in thurificatione altaris, seu in Elevatione in Missa, non est cur continuetur,

Digitized by Google

nisi ex ratione archaeologica, quia nempe olim fieri debebat ad planetam amplam et clausam e brachiis sublevandam, ne Sacerdotem illis in actionibus impediret.

C) *Significatio realis.*

112. Quoad vero Rituum et Caeremoniarum realem *significationem*, hoc dicendum venit: Actus quicumque ideo ponitur, ut aliquis finis obtineatur. Finis quem sibi proposuit Ecclesia in Sacris Ritibus et Caeremoniis hic est: *primo* ut decore liturgicae functiones peragerentur, ut dignae, quantum possibile est, essent Deo, et fructuosae hominibus, qui egent exteriori apparatu ad spiritum sublevandum, pietatemque fovendam: *secundo*, ut actio intrinseca seu Sacramentorum seu aliorum actuum declararetur ac quasi sensibilis redderetur.

113. Hinc optime Caeremoniae appellatae fuere *characteres, vestes, picturae* cultus interni: *characteres* quia distinguunt, *vestes* quia decorant, *picturae* quia intimam exprimunt operationem.

114. Ad rem Catechismus Romanus, doctrinam exponens Concilii Tridentini (*De Sacramentis in gen.*): « Merito quidem, ait, a primis usque Ecclesiae temporibus illud semper servatum est, ut Sacramenta solemnibus quibusdam Caeremoniis ministrarentur. Primum enim maxime decuit sacris mysteriis eum religionis cultum tribuere, ut sancta sancte tractare videremur; praeterea quae Sacramento efficiuntur, Caeremoniae ipsae magis declarant, ac veluti ante oculos ponunt, et earum rerum sanctitatem in animos fidelium altius imprimunt. Deinde vero mentes illorum, qui eas intuentur et diligenter observant, ad sublimium rerum cogitationem erigunt, fidemque in eis et caritatem excitant: quo maior cura et diligentia adhibenda erit, ut fideles vim Caeremoniarum, quibus singula Sacramenta conficiuntur, cognitam et perspectam habeant ».

D) *Significatio mystica seu symbolica.*

115. Ex praefata doctrina profluit, sacras Caeremonias, exceptis quibusdam ex iis, quas historicas dicimus, aliisve, quae oc-

Digitized by Google

casionales nuncupari possent, includere mysticum sensum, in oppositionem ad Caeremonias seu falsarum religionum, seu etiam veteris Legis, quas merito S. Paulus sculptoria locutione vocavit *nuda et egena elementa.*

116. Hinc magna exorta quaestio *Symbolismi*, quae maxime tunc exarsit cum Claudius de Vert, Monachus Cluniacensis, sub exordio saeculi XVIII, opus edidit, quo declarabat, sensus mysticos, seu symbolicos, quamvis summe venerandos, non esse nisi arbitrarium commentum, aliquando iustum, saepe amoenum, semper additiones Ritui posteriores, aptas, si ita placeat dicere, ad spiritum fovendum, non tamen ad scientiam efformandam.

117. Rev.mus Languet, Episcopus Suessionensis, illum acriter impugnavit, viam omnino oppositam tenens, docens nimirum, ne unam quidem ex sacris Caeremoniis ab Ecclesia admissam fuisse, nisi ex causa omnino symbolica.

118. Attamen qui per mediam viam prudenter incedunt verum attingunt.

(119. Sed praestat hac de re fusius disserere. Omnes Caeremoniae sunt *signa*, aliquot autem sunt *symbola*. Hoc intercedit discrimen inter utrumque: signum « est res, ait divus Augustinus (*de Doctr. Christi*, cap. 1), praeter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cogitationem venire », atque in subiecta materia, quia Caeremoniae ad res appellant sensibus haud percipiendas, spiritualem significationem habet; symbolum est signum in quo intellectus percipit proportionatam analogiam inter significans et significatum. Ita ex. gr. crux quam efformat Sacerdos in Sacramentis conficiendis, est *signum*, quia crucem in qua Christus mortuus est repraesentat, est *symbolum*, quia *gratiam* significat, quae per Christi passionem in Sacramento confertur. Passim tamen unum pro altero solet usurpari.)

120. Certum est, ab antiquissimis temporibus, symbolismum sacrum characterem habuisse; haud ita plena certitudine affirmari potest, an intelligentiae potius quam reverentiae populorum creatum fuerit; verius dicetur utrique, cum et auctores illius et sa-

Digitized by Google

pientiores coaevi ac posteri facili intellectu illud prosequi valerent, et rudiores vel generatim minus studiosi, praesertim sequioris aetatis, parum aut nihil de intelligentia sentire possent. Hinc symbolum dicitur quoque *mysterium*.

121. Distinguuntur symbola *historica, personalia, doctrinalia*, prout vel facta quaedam commemorant, vel personam significant, vel veritatem quandam affirmant aut monita tradunt.

122. Innuimus superius auctores symbolismi; equidem plura eo fine instituta sunt symbola, ut aliquid antecedenter, ut ita dicamus, significarent, alia autem consequenter aliquid significaverunt, scilicet, quamvis, vel ex toto vel ex parte, minime ex mysterio fuerint introducta, sed, ex. gr., rei natura, necessitate..., postea tamen nonnullorum, plus minusve auctoritate pollentium, ingenio determinata seu declarata sunt. Haec, ut plurimum, potius pietati conferunt quam scientiae.

123. Ita in Sacramentis character symbolicus invenitur proprie, realiter ac directe ex divina institutione; circa plures Caeremonias, praecipue antiquioris aevi, ac praesertim quae origine gaudent apostolica, indirecte saltem, ex divina institutione symbolismus datur intueri, semper vero legitimus, saepissime antecedens.

124. De altera symbolismi specie, quam appellabimus *conventionalem*, animadvertimus, in Liturgia orientali eam copiosissime adhiberi, iuxta illorum populorum imaginosam indolem, minus in Liturgia occidentali. Haec est ex parte traditionalis, ex parte autem occasionalis, legitima auctoritate praedita aut privata, quorum exempla facile videri possunt in liturgicis codicibus, et in multis scriptorum ecclesiasticorum operibus. Caveant symbolismi amatores, ne plus aequo privatis interpretibus indulgeant, serio putantes, v. gr., tres alas seu apices bireti clericalis significare mysterium SS. Trinitatis, et flocculum in eorum centro existentem, flammam divini amoris!

125. Notandum denique, symbolismum non debere subito damnari tamquam illegitimum, eo quod pluribus aptetur interpretationibus; cum per se pateat, saepe rem eamdem plures pati

Digitized by Google

posse applicationes; ita, v. gr., novimus aliam esse significationem unctionis cum sacro Chrismate, quae peragitur post Baptismi administrationem, aliam alterius quae peragitur in sacramento Confirmationis; aliam Cerei paschalis, aliam cereorum ardentium ad Altare in Missa, aliam cereorum ardentium ad castrum doloris; aliam thurificationis ad almum Eucharistiae Sacramentum, aliam ad clerum vel populum, aut etiam ad res inanimatas...

### XVIII. *Obiectum formale S. Liturgiae.*

126. Obiectum *formale*, ut diximus, est id quod movet ad operandum, unde vocatur etiam *motivum*, quippe quod est ratio ob quam obiectum materiale fit aptum ad finem assequendum.

127. Itaque *obiectum formale* seu *motivum* S. Liturgiae est ratio ob quam obiectum materiale nempe Personae, Res, Ritus et Caeremoniae, aptae fiunt ad finem assequendum, qui est honor Dei et bonum Ecclesiae.

128. Unde patet, obiectum formale Liturgiae esse praedictarum rerum applicationem seu ipsam liturgicam actionem, supremae Auctoritatis mente et praecepto sapienter directam, eiusdemque vigilantia et sanctione perenniter tutatam.

## ARTICULUS IV. — Sacrae Liturgiae divisio.

### XIX. *Limitatur tractatus noster ad Liturgiam stricte Romanam.*

129. Hoc semel meminisse proderit, nobis agendum esse de Liturgia stricto sensu romana, unde, quod spectat Liturgias, non tantum orientales, sed et alias occidentales a romana diversas, has, tamquam extra nostram provinciam existentes, praeteribimus. Nonnulla tamen circa eas innuemus, cum sermo erit de origine et progressu Sacrae Liturgiae.

Digitized by Google

XX. *Liturgia generalis, particularis, theoretica, practica.*

130. Scientifice S. Liturgia potest dividi in *generalem* et *particularem*, *theoreticam* et *practicam*.

131. Studium Liturgiae *generalis*, respicit naturam, valorem, originem, progressum, symbolismum, fontes, nexum partium ipsius Liturgiae. De hoc, pauca, quae partim iam diximus et partim adhuc dicturi sumus, sufficientia haberi possunt ad nostrum scopum.

132. Studium Liturgiae *particularis* illud est, quod nos pressius minime sequi debemus, cum versetur sermo noster tantum circa elementa divini cultus, vix attingendo quae versantur circa praecipuos actus liturgicos, qui, prout nunc considerantur, ad quaedam veluti classes rediguntur, ac proinde dividuntur in quatuor notas partes: *Missam*, *Officium*, *Sacramenta* et *Sacramentalia*.

133. Cum autem studium esse possit sive de theoria sive de praxi; quae *leges* docet atque interpretatur, quibus ii actus diriguntur, *theoretica* Liturgia rite appellatur; quae autem exercitium respicit cultus, modum scilicet sacras obeundi functiones sive ministeria, *practica* Liturgia nuncupatur.

Qui de theoretica tractationem instituunt, praeter praesentis temporis leges, *Archaeologiam* quoque Liturgicam attingunt, cum optimae et adaequatae rationes in illa perscrutanda inveniantur multarum rerum quae secus obscurae, et aliquibus forte contemptibiles, videreretur. Qui practice docent, sive Magistri caeremoniarum sive auctores librorum, qui veniunt sub nomine *Manualis* aut *Praxis S. Liturgiae*, vel etiam simpliciter *Caeremonialis* (1), legi adhaerere debent, cum clara est; secus placita sequi valent probatorum auctorum, aut *legitimas* consuetudines locorum; ceterum, quamvis non prohibeantur hoc in casu proprium ingenium

(1) Et liturgicae praxi tributum solvi mearum debilium virium, editione MANUALIS NOVISSIMI SS. CAEREMONIARUM: *Il Piccolo Ministro del Santuario* (1 vol. in-16); *Il Sacro Ministro del Santuario* (2 voll. in-16).

Digitized by Google

exercere, summopere tamen iis curandum, ne quid temere faciant, vel novi prorsus inducant.

XXI. *Liturgia psalmodica, eucharistica, sacramentalis.*

134. Dixi, Liturgiam particularem, in suis actibus, *prout nunc considerantur*, dividi in quatuor illas partes, quae vocantur *Missa*, *Officium*, *Sacramenta* et *Sacramentalia*; ex quo subdistinctio in Liturgiam *psalmodicam*, *eucharisticam*, *sacramentalem*, quia *primaeva* Liturgia, uti superius adnotavimus (art 1, n. 9), nihil aliud erat nisi *Missa*. Liturgia *psalmodica* connectebatur cum Missa; Liturgia *eucharistica* erat, ut ita dicam, medulla Missae; Liturgia *sacramentalis* perficiebatur in Missa.

135. Huic distinctioni respondent *Codices Liturgici*, qui in sacris ministeriis obeundis passim adhibentur: *Breviarium* cum *Martyrologio*, *Missale*, *Pontificale*, *Rituale Romanum*, *Caeremoniale Episcoporum*, quorum postremus est veluti directorium sacrarum functionum, et aliarum, quae etsi non sacrae, sacras tamen personas attingunt, ac nedum Episcopos respicit, uti ex titulo colligi daretur, sed et alias personas, et functiones non episcopales. De his in altera horum elementorum parte.

Ios. M.

(*Continuabitur*).

Digitized by Google

# Appendix.

## S. CONGREGATIO CONCILII

### De norma servanda in causis quae apud S. C. Concilii agitantur.

DECRETUM (1).

Ad evitare che le giuste e provvide disposizioni del *Regolamento* del 27 Settembre 1847, modificato e confermato il 10 Dicembre 1884, non vengano violate, e cadano in disuso, gli Emi Padri della S. C. del Concilio nella generale adunanza del 26 Agosto p. p. hanno ordinato al sottoscritto Segretario di richiamare i Signori Avvocati e Procuratori alla piena e perfetta osservanza del medesimo, e di esigerla da essi in tutti i suoi punti. In particolare poi hanno disposto che siano esattamente e da tutti osservati i seguenti articoli nel modo e termini qui appresso stabiliti.

1° Le allegazioni o difese, e le analoghe risposte debbono essere scritte *in lingua latina* e sottoscritte da avvocati o procuratori autorizzati dalla S. Congregazione. È interdetta la pubblicazione di difese in italiano sotto qualunque forma, anche di memorie firmate dalla parte e controfirmate da un avvocato riconosciuto.

(1) Versio:

Ad vitandum, ne iustae providaeque dispositiones Ordinationum (*Regolamento*) diei 27 Septembr. 1847, moderatarum et confirmatarum die 10 Decembris 1884, violentur ac in desuetudinem cadant, E.mi Patres S. Congretioni Concilii praepositi, in generalibus comitiis die 26 Augusti p. p. habitis, infrascripto Secretario mandarunt, Advocatos ac Procuratores ad plenam perfectamque earumdem observantiam reducere, ab iisque illam exigere quoad singulas illarum partes. Peculiariter vero statuere, adamussim et ab omnibus, sequentes articulos, modo ac terminis infra determinatis, esse observandos.

1° Allegationes, et defensiones iisque analogae responsiones *latino sermone* exarari debent, atque ab Advocatis vel Procuratoribus, a S. Congregatione auctoritate donatis, suscribi. Interdicitur defensionum italice sub qualibet forma, etiam memoriarum a *parte* suscriptarum, et ab Advocato accensito, nomine apposito, recognitarum, publicatio;

Digitized by Google

2° Le allegazioni, qualunque sia il numero dei dubbi, *non debbono superare cinque fogli di stampa*, cioè pagine venti; e le risposte *fogli due*, cioè pagine otto.

Che se l'importanza della causa il richieda, col permesso di Mons. Segretario o del suo Uditore le allegazioni potranno aumentarsi fino a sette fogli, e le risposte fino a tre.

3° Il formato dei fogli di stampa ed il tipo dei caratteri devono essere quelli ordinari, come nei fogli d'officio della S. Congregazione

4° Tutte le scritture dovranno portare in prima pagina il *Poterit imprimi* di Mons. Segretario o del suo Uditore: ed a tale effetto le difese dovranno essere presentate alla Segreteria *in bozze di stampa* un mese innanzi alla proposizione della causa; e le risposte quattro giorni innanzi, cioè il martedì.

5° Le allegazioni o difese dovranno essere immancabilmente distribuite agli Emi Padri ed a Mons. Segretario in doppia copia, ed agli altri come di diritto, il mercoledì, dieci giorni innanzi all'adunanza plenaria; e le risposte il mercoledì seguente, tre giorni innanzi alla medesima.

2° Allegationes, quotquot demum sint dubia, *quinque typis conscripta folia excedere nequeunt*, id est paginas viginti; responsiones autem *folia duo*, id est paginas octo. Quod si causae pondus id requirat, permittente R. P. D. Secretario vel eius Auditore, poterunt allegationes usque ad septem folia, responsionesque usque ad tres, augeri;

3° Foliorum impressorum mensura, et typorum forma, communes esse debent, prout in foliis ex officio S. Congregationis;

4° Scripturae omnes prima pagina exhibere debebunt licentiam: *Poterit imprimi*, per R. P. D. Secretarium vel eius Auditorem concessam: et ad hunc effectum, defensiones ad Secretariam, in typographico exemplari ad experimentum dato (*bozze di stampa*), uno ante mense quam causa proponatur, exhiberi necesse est; responsiones autem quarto ante die, qui erit feria tertia;

5° Allegationes ac defensiones, irremissibiliter E.mis Patribus et R. P. D. Secretario per bina exemplaria distribuendae sunt, ceterisque prout de iure, feria quarta, decimo die ante plenarium conventum; ac responsiones, feria quarta insequenti, tertio ante eandem die;

Digitized by Google

6° Dopo esibite le risposte non si potrà presentare alcun altro documento, nè distribuire qualsiasi altra scrittura, o foglio, o controrisposta.

E qualora ciò avvenisse, gli Emi Padri dichiarano, che, in conformità del *Regolamento*, non terranno assolutamente conto veruno di queste irregolari produzioni e decideranno la causa in base ai documenti e ragioni precedentemente esposti.

7° A sanzione delle precedenti disposizioni gli Emi Padri hanno stabilito, e col presente decreto proclamano, che quindi innanzi qualsiasi avvocato o procuratore il quale si permetta violare alcuno degli articoli sopra descritti *resterà senz'altro sospeso per un mese* dall'esercizio delle sue attribuzioni innanzi alla S. C. del Concilio, senza potersi far rappresentare da altri nell'adempimento delle medesime.

In esecuzione degli ordini degli Emi Padri il sottoscritto rende tutto ciò di pubblica ragione per norma e regola degli interessati.

Dato dalla Segreteria del Concilio, 3 Novembre 1905.

L. ✠ S. G. De Lai, *Segretario.*

6° Post exhibitas responsiones, nullum aliud documentum praesentari poterit, nec alia distribui scriptura, aut folium, aut subsumpta. Et quatenus id accidat, declarant E.mi Patres, ad tramites Ordinationum (*Regolamento*), Se nihili omnino eiusmodi irregulares productiones facturos, causamque exsoluturos, antecedenter expositis documentis et rationibus tantum consideratis;

7° Ut sanctio praecedentibus dispositionibus apponatur, statuerunt E.mi Patres, et praesenti decreto proclamant, in posterum, quemlibet Advocatum vel Procuratorem, quatenus audeat aliquem ex supra descriptis articulis violare, *ipso facto suspensum ad mensem haberi*, a suorum munerum exercitio ante S. Concilii Congregationem, quin valeat sua vice alios substituere in eorumdem implementum.

Ut E.morum Patrum pareat mandatis, subscriptus, omnia haec publici iuris facit, ad normam et regulam interesse habentium.

Datum e Secretaria S. C. Concilii, die 3 Novembris 1905.

L. ✠ S. C. De Lai, *Secretarius.*

Digitized by Google

# S. CONGREGATIO INDICIS

## DECRETUM
## Quo duo damnantur opera a Lizzocci et Maggioni edita.

*Feria III, die 12 Decembris 1905.*

Sacra Congregatio E.morum ac R.morum S. R. E. Cardinalium a SS.mo Domino Nostro Pio Papa X Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 12 Decembris 1905, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, atque in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur opera:

ONIELLO LIZZOCCI, *Nuovi orizzonti filosofici, ossia avviamento a nuovi studi di filosofia.* Pistoia, G. Flori e C. 1904.

Dr. FRANCO MAGGIONI, *Questioni delicate.* Roma, Forzani e C. 1904.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

ANTONIUS VOGRINEC, decreto S. Congregationis, edito die 3 Iunii 1904, quo liber ab eo conscriptus notatus et in Indicem librorum prohibitorum insertus est, laudabiliter se subiecit.

Quibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per me infrascriptum Secretarium relatis, Sanctitas Sua decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae, die 13 Decembris 1905.

L. ✠ S.

ANDREAS Card. STEINHUBER, *Praefectus.*
Fr. THOMAS ESSER, *Ord. Praed., a Secretis.*

Digitized by Google

# Bibliographia.

**Guidonis Monachi Aretini Micrologus.** Ad praestantiores Codices mss. exactus. Cura et studio AMBROSII M. AMELLI O. S. B. Archicoenobii Montis Cassini. — Romae, Desclée, Lefebvre et Soc., editor. pontif. (piazza Grazioli, palazzo Doria).

Principia continet et normas pro componendis exequendisque liturgici cantus modulationibus, iuxta genuinum vereque authenticum textum eximii auctoris.

Hinc censura notat alias eiusdem textus interpretationes, quibus Aretini Monachi verborum sensum scriptores plures corruperunt. Opella parvae quidem molis, uti par erat, sed aetati praesenti opportunissima, ut cantus Ecclesiae proprius nedum in cantilenis, sed nec in ipsa modulandi ratione, ab antiquitate discrepet.

# Chronica.

*Die 16 Ianuarii 1906*, in Palatio Apost. Vaticano, habita fuit Ss. Rituum Congregatio Praeparatoria, in *Romana* seu *Barcinonen.*, Beatific. et Canoniz. Ven. S. D. BONAVENTURAE A BARCINONE, Laici professi Ord. Fr. Minor., Fundatoris S. Recessus S. Bonaventurae de Urbe, super dubio *An, et de quibus Miraculis constet, in casu* etc. Interfuerunt, et suffragium tulerunt R.mi PP. Consultores Theologi; R.mi DD. Praelati Officiales et E.mi ac R.mi DD. Cardinales S. C. praepositi.

*Die 30 Ianuarii 1906*, in Palatio Apost. Vaticano, habita fuit Congregatio Ss. Rituum *Generalis* coram SS. D. N. PIO Pp. X, in *Namurcen.*, Beatific. et Canoniz. Ven. S. D. IULIAE

Digitized by Google

BILLIART, Fundatricis Instituti Sororum B. M. V., super dubio *An tuto procedi possit ad solemnem V. S. Dei Beatificationem?* Interfuerunt, et suffragium tulerunt R.mi PP. Consultores Theologi, aliique ut supra.

*Eodem die*, item coram SS. D. N., habita fuit Congregatio Ss. Rituum Generalis, in *Romana*, Beatific. et Canoniz. Ven. S. D. ANNAE MARIAE TAIGI, Matrisfamilias, Tertiariae Professae Ord. SS.mae Trinitatis Redempt. Captiv., super dubio *An constet de virtutibus Theologalibus nec non de Cardinalibus earumque adnexis in gradu heroico, in casu* etc. Interfuerunt, et suffragium tulerunt R.mi PP. Consultores Theologi, aliique ut supra.

E.mi DD. Cardinales, nuper ad S. Purpuram promoti, Sacris Romanis Congregationibus addicti sunt, ut sequitur:

E.mus D. Card. ARCOVERDE: *Consistoriali, Episcoporum et Regularium, Lauretanae, Studiorum.*

E.mus D. Card. CAGIANO: *Concilii, Ss. Rituum, Caeremonialis, Reverendae Fabricae S. Petri.*

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR.
Fr. Albertus Lepidi, O. P. S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR.
† Iosephus Ceppetelli, Patr. Constant., Vicesgerens.

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée, Lefebvre et Soc. Romae, *Sponsor*.

Ex Off. typ. Soc. S. Ioannis Ev. - Tornaci in Belgio.

Digitized by Google

# Acta Sanctae Sedis
sacram Liturgiam spectantia.

## SS. RITUUM CONGREGATIO

I.

**De Officiis et Suffragiis Titularium recitandis a Regularibus dispersis.**

ORDINIS MINORUM CAPUCCINORUM.

Ferme omnes ecclesiae Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum in Gallia sunt clausae et Conventus Religiosis vacant. In manus sic dicti *Liquidatoris* transierunt ecclesiae et Conventus; nihilominus in locis, ubi erant Conventus, remanserunt Religiosi, qui licet separatim vivant, Superiorem localem habent.

Quibus sic stantibus, a Sacra Rituum Congregatione expostulatum fuit: Utrum praedicti Fratres, degentes in loco ubi primum erat Conventus, teneantur Officium Titularis ecclesiae conventualis, clausae et etiam in alios usus conversae, celebrare sub ritu duplicis primae classis cum Octava, et in Suffragiis Sanctorum commemorationem praefati Titularis peragere?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuit:

*Negative;* sed unice tenentur ad Officium et Suffragium de Patrono seu Titulari Provin-



Digitized by Google

ciae Regularis, quatenus ex Rubrica vel indulto Apostolico habeatur; uti in Decreto n. 3210 *Ordinis Minorum* 3 Iulii 1869.

Atque ita rescripsit. Die 9 Septembris 1905.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

II.

**Indultum quoad translationem festorum dupl. 1 vel 2 classis.**

Ordinis S. Benedicti.

Rev.mus D. Hildebrandus de Hemptinne, Abbas Primas Ordinis S. Benedicti, Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam X supplex rogavit, ut Indultum Apostolicum diei 24 Februarii 1905 Congregationi eiusdem Ordinis Cassinensi a primaeva observantia concessum, quo festa duplicia primae vel secundae classis quoties a digniori Officio impedita occurrerint, in diem primam respective sequentem transferri valeant, redacto ad ritum simplicem Officio ritus duplicis minoris (non tamen alicuius Sancti Doctoris) aut semiduplicis occurrente, benigne extendere dignaretur ad omnia Coenobia seu Monasteria sui Ordinis, quae eodem indulto iusta de causa uti voluerint.

Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributis, petitam enunciati privilegii extensionem benigne indulsit iuxta

Digitized by Google

preces: servatis rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 26 Ianuarii 1906.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*
† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

## Commentarium.

Quanti ponderis et momenti sit huiusmodi Decretum nemo erit, ex nostris lectoribus, qui non viderit. Cum hac nostra aetate nimis percrebuerit numerus festorum, maxime in Calendariis Regularium, festa duplicia II et I classis, in casu impedimenti accidentalis, vel in finem anni, ideoque longius a propria die transferri deberent, aut, si dies liberi pro ipsis reponendis in decursu anni non suppetant, ex Decreto 2 Decembris 1891, n. 3756, in aliquibus diebus a festo semiduplici, aut etiam duplici minori impeditis celebranda essent.

Cum autem nonnullis Ordinibus Regularium, uti ex. gr. Minorum et Cassinensium, privilegium transferendi in diem immediate sequentem festa duplicia I et II classis fuerit iam a S. R. C. concessum, hoc idem indultum per praesens decretum extensum fuit ad totum S. Benedicti Ordinem, qui Abbati Primati subiicitur. Non est hic nobis immorandum, ut probemus opportunitatem et concordantiam huius decreti cum aliquibus specialibus Rubricis Breviarii. Remittimus lectores nostros ad ea quae Doct. Petrus Piacenza hac super re dixit in sua *Rubricarum expositione* (apud *Ephem. Liturg.*, vol. XVI, pag. 590-596), ubi ex Rubricis specialibus festorum Purificationis et Annunciationis B. M. V., S. Ioseph, S. Ioannis Baptistae et Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C.; ex mente S. R. C. (decr. n. 4033), quae statuit, non esse mutandum versum *meruit beatas* in hymno *Iste Confessor*, quando festum alicuius Sancti Confessoris celebratur in crastino, ad instar dici natalitiae; atque ex doctrina Gavanti et Guyeti, clare innuit, iure meritoque

Digitized by Google

duplicia I et II classis sua die impedita celebrari in die sequenti; quodammodo enim in *propria die* recoluntur, eo quod saltem primae eorum vesperae in sua die recitantur.

III.

**DECLARATIO**
**circa editionem et approbationem librorum cantum liturgicum gregorianum continentium.**

A nonnullis Editoribus proponitur subinde quaestio de modo interpretandi Dispositiones Art. II et IV Decreti seu Instructionum Sacrae Rituum Congregationis, die XI Augusti MCMV, circa editionem et approbationem librorum cantum liturgicum gregorianum continentium (1). Ad hanc autem quaestionem solvendam eadem Sacra Congregatio, de mandato Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae X, quae sequuntur declarat:

1. Forma notularum cantus sic debet integra servari, ut omnes ex eis quae eamdem habent rationem vel significationem, ac proinde in editione typica Vaticana unam eamdemque figuram referunt, pariter in alia editione, quae ab Ordinario possit approbari, necessario quoad formam omnino inter se similes extent et coaequales. Ideoque signa, quae forte fuerint, permittente Ordinario, superinducta, nullatenus notularum formam, vel modum quo ipsae coniunguntur, afficere debent.

(1) Cfr. *Ephem. Liturg.*, vol. XIX, pag. 516.

Digitized by Google

2. Quamvis editio aliqua fuerit recognita, ab Ordinario vel ab ipsa Sacra Rituum Congregatione, tanquam de cetero, videlicet exceptis signis, cum typica conformis, oportet tamen ut deinceps normas supra statutas exacte servet; quatenus, inter notulas typicas et signa quae superveniunt, iam amplius confusio oriri nequeat. Contrariis non obstantibus quibuscunque. Die 14 Februarii 1906.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*
† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

## S. CONGREGATIO INDULGENTIARUM

I.

**Conceditur Indulgentia 300 dierum recitantibus orationem ad S. Ioseph, pro dierum festorum sanctificatione.**

PREGHIERA (1)

Gloriosissimo Patriarca S. Giuseppe, impetrate, Vi supplichiamo, da Nostro Signore Gesù Cristo, copiosissime benedizioni sopra tutti i santificatori del giorno festivo; e fate che i profanatori, mentre sono in tempo, conoscano il gran male che commettono, ed i castighi che si attirano nella vita presente e nella futura, e prontamente si convertano.

(1) Versio:

ORATIO

Gloriosissime Patriarcha sancte Ioseph, impetra, quaesumus, a Domino nostro Iesu Christo, super omnes diei festi sanctificatores copiosissimas benedictiones; et praesta, ut profanatores, dum superest eis tempus, peccatum grande quod committunt, atque poenas, quas in praesenti vita et in futura ad se trahunt, agnoscant, et protinus convertantur.

Digitized by Google

O fedelissimo S. Giuseppe, Voi che nel giorno del Signore cessavate da ogni lavoro della vostra officina, ed in compagnia di Gesù e di Maria. con divozione vivissima, adempivate i doveri religiosi, benedite la pia opera della santificazione delle Feste, eretta sotto il vostro potente patrocinio; fatela dilatare in ogni casa, negozio, laboratorio, affinchè venga presto il giorno, nel quale tutto il popolo cristiano, nei giorni festivi, si astenga da ogni lavoro proibito, attenda seriamente alla salvezza dell'anima sua, e dia gloria a Dio, che vive e regna in tutti secoli dei secoli. Così sia.

*Ex Audientia SS.mi, die 30 Maii 1905.*

SS.mus D. N. Pius PP. X, auditis expositis, omnibus Christifidelibus praefatam precem corde saltem contrito recitandibus, quoties id egerint, indulgentiam tercentum dierum, Animabus etiam in Purgatorio detentis profuturam, benigne concessit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

In quorum fidem, etc.

L. ✠ S. CASIMIRUS Card. GENNARI.

Praesens exemplar exhibitum fuit huic S. Congregationi Indulg. Sacrisq. Reliquiis praepositae. In quorum fidem, etc.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. C., die 1 Dec. 1905.

Pro R. P. D. Secretario, Ios. M. Can. COSELLI, *Substit.*

O fidelissime sancte Ioseph, Tu, qui Dominico Die ab omni tuae officinae opere cessabas, et cum Iesu simul et cum Maria, vivissima devotione, religiosis officiis vacabas, Pium Opus benedic Sanctificationis Festorum, sub tuo potenti Patrocinio erectum; fac ut per omnem domum, tabernam, officinam dilatetur, ut cito dies veniat, quo cunctus christianus populus, diebus festis, ab omni prohibito opere abstineat, animae suae saluti serio incumbat, et glorificet Deum, qui vivit et regnat per omnia saecula saeculorum. Amen.

Digitized by Google

II.

**Conceditur Indulgentia 300 dierum recitantibus quasdam iaculatorias preces.**

Cunctis, qui coram SS.mo Sacramento publicae adorationi exposito recitaverint hanc iaculatoriam: **Domina nostra SS.mi Sacramenti, ora pro nobis,** Indulgentiam trecentorum dierum concedimus.

Die 30 mensis Decembris, an. 1905.

PIUS PP. X.

Praesens Rescriptum exhibitum fuit huic Secretariae S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem, etc.

Datum Romae, ex eadem Secretaria, die 10 Ianuarii 1906.

L. ✠ S. † D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

**Maria, speranza nostra, abbi di noi pietà!** (1)

A tutti quelli che reciteranno questa giaculatoria, concediamo l'Indulgenza di trecento giorni.

Li 3 Gennaio 1906.

PIUS PP. X.

Praesentis Rescripti documentum, a Sanctitate Sua, manu propria, exaratum, exhibitum fuit huic Secretariae S. C. Indulg. Sacrisq. Reliq. praepositae.

Die 8 Ianuarii 1906.

L. ✠ S. † D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

(1) Versio.

**Maria, spes nostra, miserere nobis!**

Omnibus hanc iaculatoriam precem recitantibus, trecentorum dierum Indulgentiam concedimus.

Die 3 Ianuarii 1906.

PIUS PP. X.

Digitized by Google

III.

**Conceditur Indulgentia 300 dierum recitantibus precationem pro bona morte impetranda.**

PRECATIO

Beati mortui qui in Domino moriuntur. O mi Deus! moriendum mihi est certo, sed nescio quando, quomodo, ubi moriar: hoc unum scio, me in aeternum periturum, si in peccato lethali expirem. Beatissima Virgo Maria, Mater Dei sancta, ora pro me peccatore nunc et in hora mortis meae. Amen.

SS.mus D. N. Pius PP. X, in Audientia, die 14 Decembris 1905, ab infrascripto Episcopo oratore habita, istam precationem corde contrito recitantibus, Indulgentiam tercentum dierum, toties quoties lucrandam, concedere dignatus est.

GUSTAVUS CAROLUS MAJLATH, Ep. Transylvaniae.

Praesens Rescriptum exhibitum fuit huic Secretariae S. Congretationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem, etc.

Datum Romae, ex eadem Secretaria, die 12 Ianuarii 1906.

L. ✣ S. † D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

Digitized by Google

## Ad *Motu-proprio* de Protonotariis Apostolicis Commentarium.

(*Continuatio.* V. num. 2, anni curr., pagg. 77-87).

### De Protonotariis Apostolicis Supranumerariis.

23. Licet iisdem acta conficere de causis Beatificationis et Canonizationis Servorùm Dei, quo tamen privilegio uti non poterunt, si eo loci alter sit e Collegio Protonotariorum Participantium (1).

24. Rite eliguntur in Conservatores Ordinum Regularium aliorumque piorum Institutorum (2), in Iudices Synodales, in Commissarios et Iudices Apostolicos etiam pro causis beneficialibus et ecclesiasticis (3). Item apud ipsos professionem Fidei recte emittunt, qui ex officio ad eam adiguntur (4). Ut autem iuribus et praerogativis, hic et num. 23 expressis, frui possint Canonici Protonotarii in S. Theologia aut in Iure Canonico doctorali laurea insigniti sint oportet (5).

(1) Clausula haec invenitur in Constitutione pluries citata Pii Pp. IX 29 Aug. 1872, § X; cum enim Notarii nomen datum sit Protonotariis Apostolicis eo quod ipsorum erat acta conficere pro honoribus decernendis, iis qui cum fama sanctitatis ex hac vita migraverant, idem munus et Protonotariis non participantibus collatum fuit extra Urbem, dummodo in loco alter absit e Collegio Participantium. In hoc vero *Motu proprio*, sequenti § 24, huiusmodi munus iis tantummodo Protonotariis supranumerariis et *ad instar*, confertur, qui doctores sint in S. Theologia, aut in Iure. Quapropter, si in aliqua dioecesi, conficienda sint acta beatificationis alicuius Servi Dei, tam auctoritate ordinaria, quam aucto-

Digitized by Google

ritate Apostolica, ibique degat Protonotarius supranumerarius vel ad instar, qui sit doctor, aut etiam, ut videbimus, Titularis, absque nova in notarium episcopalem electione, bene poterit ad id munus assumi, ut acta quaeque conficiat, et suo sigillo ac subscriptione muniat.

(2) Regularium Ordines, nonnulla Canonicorum Collegia, aliaque pia Instituta, inter cetera privilegia, hoc quoque gaudent, ut Iudices eligant suorum iurium et privilegiorum Conservatores. Gregorius XV in sua constitutione *Sanctissimus*, d. d. 20 Sept. 1621 statuit ac decrevit ut Iudices Conservatores eligi, nominari aut deputari non possint, nisi dignitate ecclesiastica praediti, vel personatus obtinentes, vel Ecclesiarum Cathedralium Canonici existant. Quod confirmavit Clemens XIII, constitutione *Cum omnium* d. d. 23 Aprilis 1762, adiiciens, ne Superiores, seu Rectores aut Priores Ordinum Regularium unquam possent in Conservatores proprii vel alterius Ordinis eligi, quos ad hunc effectum in dignitate ecclesiastica constitutos non esse declaravit. Hinc Ceccoperius (*Lucubration. l. 1, n. 122*) ait: Cum ecclesiasticam dignitatem in Ecclesia Protonotarius obtineat, eius opera Ordinarii locorum uti quidem possunt iis in officiis muneribusque defungendis, quae a personis constitutis in ecclesiastica dignitate obtineri atque de iure exerceri solent. Fabrus (*de Proton. Apost., c. 10, n. 8*) ex S. Congregationis Concilii decreto, de anno 1630, quod citat Barbosa (*Summ. constit. Ap., verbo Proton. n. 18*), docet proinde, in Conservatores iure et licite deputari Protonotarios. Conservatorum autem huiusmodi officium est « defendere eos, quibus sunt concessi, ab iniurii, molestiis et violentiis, et in propriam rerum et iurium possessionem conservare (*Cap.* Statuimus, 1. *de off. delegat.*) ».

(3) Ob eamdem causam, item rite eliguntur in Iudices Synodales. Cum enim, ait Benedictus XIV (*de Syn. dioec., l. 4, c. 5, n. 2*), « Appellationibus quae undequaque ad Sedem Apostolicam semper relatae sunt, alia insuper Romanis Pontificibus accessit cura, audiendi nimirum, etiam in prima instantia, causas eorum,

Digitized by Google

qui ab Episcoporum iurisdictione subtracti, Apostolicae Sedi subduntur », necessario Iudices nonnullos delegare consueverunt Romani Pontifices. Ne autem huiusmodi delegationes apostolicae vilescerent, Bonifacius VIII (*Cap.* Statutum, *de rescriptis in 6*) sancivit, « ut nullis, nisi dignitate praeditis aut personatum obtinentibus, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonicis, causae auctoritate apostolica committerentur ». Quod et renovavit Concilium Tridentinum (*Sess. 25, c. 10 de reform.*), edicens ut in Synodis dioecesanis, ab Episcopis Iudices Synodales designarentur, eorumque nomina ad Sedem Apostolicam transmitterentur. De hisce Commissariis et Iudicibus fusius agit Benedictus XIV in constitutione d. d. 26 Augusti 1741. Itaque, Protonotarius, licet Canonicus Cathedralis non sit, rite et iure in Iudicem Synodalem eligi potest, uti iam docuerat Spada (*Consult. 53, n. 6*); nec non in Iudicem aut commissarium Apostolicum, ut exhibet Fermosinus (*in Cap.* Sua nobis, *quaest. 4, n. 17*). .

(4) « Quod a priscis Ecclesiae temporibus, semper fuit in more, ut christifidelibus certa proponeretur ac determinata formula, qua fidem profiterentur, atque invalescentes cuiusque aetatis haereses solemniter detestarentur, idipsum, sacrosancta Tridentina Synodo feliciter absoluta, sapienter praestitit S. Pont. Pius IV, qui Tridentinorum Patrum decreta incunctanter exequi properans, edita idibus Novembris 1564 Constitutione *Iniunctum Nobis*, formam concinnavit professionis fidei, recitandam ab iis, qui cathedralibus et superioribus Ecclesiis praeficiendi forent, quive illarum dignitates, canonicatus, aliaque beneficia ecclesiastica quaecumque curam animarum habentia essent consecuturi, et ab omnibus aliis, ad quos ex decretis ipsius Concilii spectat; nec non ab iis, quos de monasteriis, conventibus, domibus, et aliis quibuscumque locis regularium quorumcumque ordinum, etiam militarium, quocumque nomine vel titulo provideri contigeret. Quod et alia constitutione edita eodem die et anno incipien. *In Sacrosancta*, salubriter praeterea extendit ad omnes doctores, magistros, regentes vel alios cuiuscumque artis et facultatis professores, sive clericos, sive

Digitized by Google

laicos, vel cuiusvis ordinis regularis, quibuslibet in locis publice vel privatim quoquomodo profitentes, seu lectiones aliquas habentes vel exercentes, ac tandem ad ipsos huiusmodi gradibus decorandos ». Ita legitur in decreto S. Congr. Concilii 20 Ianuarii 1877.

Quae professio fidei coram Episcopo vel eius Vicario emittenda est, iubente eodem Tridentino Concilio, vel etiam coram delegata persona in dignitate constituta. Cum autem, scribit Cataldus (*loco pluries citato*), « non ficte sed vere ac proprie ecclesiastica dignitate in Ecclesia Romana praefulgeant (Protonotarii), si Episcopo bene visum fuerit, potest quis fidei professionem, ad quam sive de iure, sive ex pontificiis decretis emittendam teneatur, in manibus Episcopi, alteriusve personae, quae sit in dignitate ecclesiastica constituta, coram Protonotariis emittere, ceu, post Theodosium Rubeum (*in resp. p. 4, tom. 2*) Rota Romana declaravit » (Fabrus, *loco cit., c. 10, n. 31*).

Notandum tamen, quod hodie, post Vaticanum Concilium in formula Pii IV, post verba: *praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo*, addendum est: *et ab oecumenico Concilio Vaticano tradita, definita, ac declarata, praesertim de Romani Pontificis Primatu et infallibili magisterio*; ut legitur in praedicto S. C. C. decreto; ita ut in posterum ab omnibus fidei professio non aliter emittatur.

(5) Ut autem Protonotarius, acta in causis beatificationis et canonizationis servorum Dei conficere possit, aut eligi in Conservatorem, vel Iudicem aut Commissarium apostolicum, oportet hodie quod sit doctor in iure vel in S. Theologia. Haec clausula a Summo Pontifice Pio X addita oportunissime fuit, eo quod, cum Iudices Commissarii etc. non tantum dignitate, sed et doctrina eminere debeant, ut rite et iuste munus sibi commissum adimpleant, doctorali laurea insigniti esse debent, qui est titulus legalis ac publicus sufficientis scientiae et doctrinae in casu.

Doct. PETRUS PIACENZA.

Digitized by Google

# Acta Academiae Liturgicae Romanae.

*Die 3 Ianuarii 1906*, in S. Aede Congregationis Missionis prope Curiam Innocentianam, habitus fuit Conventus academicus, in quo Rev. D. Leo Gromier quaestionem enodavit:

## De modo in chorum eundi et redeundi in Missa et Vesperis pontificalibus.

Post Censorum animadversiones et placita, alter ex illis, R.mus D. Ioannes Baptista M. Menghini, ex Apost. Caerem. Praepositis, epitomen resolutionum fecit, quam excepit pia collatio « de ecclesiasticis officiis ».

### Quaestionis propositio.

Caius caeremoniarum sacrarum peritissimus, cum pluribus adstitisset seu Missis seu Vesperis pontificalibus, ad faldistorium celebratis in Urbe, rationem eundi in chorum, ab eoque recedendi graviter conquestus est, et a regulis liturgicis absonam sustinet. Eiusmodi autem ratio sequens est: Ad Missam, Diaconus et Subdiaconus sacris paramentis induti, praecedentibus clericis et caeremoniarum magistro, procedunt soli ad altare et ad latera faldistorii, scapulis ad altare fere conversis, sistunt. Post aliquod intervallum ad altare pergit Episcopus mantelleto indutus, a caeremoniarum magistro et duobus presbyteris consociatus. Postea sequitur Clerus superpelliceo indutus, et facta Episcopo reverentia, si tamen iam sedit in faldistorio, in chorum pergit. Cum

Digitized by Google

omnes locum proprium in choro occupaverint, tunc Episcopus pontificalibus paramentis induitur. Idem ad Vesperas eundi modus, si Diacono et Subdiacono sufficias quatuor ministros indutos pluvialibus, ex quibus duo assistentes ad latera faldistorii se locant. In reditu, Episcopus in mantelleto a duobus presbyteris et caeremoniarum magistro consociatus recedit, diversum ingrediens sacrarium a quo exivit. Inde discedunt superiores ministri una cum inferioribus, facta prius choro inclinatione: quos postea sequuntur reliqui de clero. Notandum vero, pluvialistas assistentes, cum duobus cantoribus dicto *Benedicamus Domino*, ante omnes per breviorem recedere. Hinc *quaeritur*.

1. *Quaenam generales regulae in chorum pergendi, ab eoque recedendi, seu quando Episcopus sacris paramentis induitur in sacrario, sive quando ad altare illa sumit?*

2. *An probandus, an corrigendus sit modus in casu expositus in chorum pergendi ab eoque redeundi, seu Episcopo, seu reliquis inspectis ministris et clero?*

3. *Num modus aliquis et unicus, regulis generalibus omnino consonus inveniri exhiberique possit, ut omnia in tam solemnibus sacrae liturgiae functionibus secundum ordinem fiant, et qualis?*

### Solutio.

Non una est ratio in chorum pergendi ab eoque recedendi, occasione Pontificalium quae in Urbe celebrantur; praeter illam, quae in casus expositione describitur, habentur et sequentes: alicubi Episcopus sacras vestes in sacristia induit, tunc processionaliter inceditur ad altare: Acolythi cum candelabris praecedunt

Digitized by Google

clericos, qui ad altare deservient; sequuntur chorales, si qui sunt, tandem Episcopus, medius inter sacros ministros. Idem in reditu ordo servatur.

Si quando vero Episcopus ad altare sacras vestes assumat, ministri cum clericis cum choralibus praecedunt; exinde accedit Episcopus, comitante Caeremoniarum magistro, ac si agatur de Missa, etiam Presbytero, qui Assistentis munere fungetur. Functione expleta, inversus servatur ordo.

Alias clerus in choro iam invenitur, etiam quando Episcopus in sacristia paramenta assumit, et ibi eum expectat; si vero accessurus est tantum pro pontificali actione, Episcopo ad altare paramenta sumpturo, praecedit sed privatim.

Consueverunt alicubi praecedere sacri ministri cum clericis deservituris, deinde accedere clerus una cum Episcopo.

Alius teneri solet ordo occasione sacrarum functionum, quae fiunt ab Episcopis Cappellae Pontificiae: accedit processionaliter una simul clerus inserviens cum ministris et Episcopo, et quidem Episcopo mantelleto induto, inter ministros paratos.

Quod Missam attinet, distinguendum item est: aut Episcopus in sacristia caligas et sandalia induit, orationem praeparatoriam peragendo, antequam ad chorum accedat, aut, quod rarius accidit, in ipso choro iisdem induitur, inibi praeparationis preces recitando.

I. Nunc quaeritur: *quaenam generales regulae in chorum pergendi, ab eoque recedendi, seu quando Episcopus sacris paramentis induitur in sacrario, sive quando ad altare illa assumit?*

Cum clerus coniunctim in ecclesiasticis functionibus ab uno ad alium locum pergit, aut incedit *processionaliter*, aut *non processionaliter*. Sensus talis locutionis notus est: ut dici possit processionaliter incedere, una tantum conditio requiritur, quae tamen necessaria est et essentialis: oportet ut Celebrans sacra aliqua sit veste indutus, saltem stola. Tunc ipse incedit digniori in loco, antecedentibus illius gressum ceteris, a dignioribus ad minus dignos respective. Nil refert, an copia habeatur ministrorum, an

Digitized by Google

cantus adhibeatur, an candelabra deferantur, Crux, thuribulum. Imo neque ratio habenda est paramentorum, quae forte ipse gerat clerus, totus aut ex parte, v. g. accedentibus Ordinandis ad altare, accedentibus Canonicis paratis a loco paramentorum ad Secretarium ante Missam pontificalem, quibus in casibus viam aperiunt Presbyteri, sequentibus ceteris minoris dignitatis, gradatim; quando autem una cum Episcopo incedunt, tunc e converso viam aperiunt inferiores clerici.

Diximus generatim, Celebrantem aliqua saltem veste indutum esse oportere, ut dici valeat processionaliter fieri accessum; interdum enim potest, qui praeeminet, non esse praecipuus officians, ut v. g. accidit in accessu septem Subdiaconorum, septem Diaconorum et duodecim Presbyterorum ad sacra Olea accipienda, Feria V in Coena Domini; in accessu Diaconi ad altare, Sabbato Sancto, cum defert *Lumen Christi*, ubi unicus habetur Celebrans absque ministris, iuxta Rituale Benedicti XIII; in accessu Diaconi ad locum in quo Evangelium canere debet: tunc incedit processionaliter, et ab his solis inferioribus officiantibus, qui in casu sunt ministri.

Clerus e converso non incedit processionaliter, cum ad chorum pergit horas canonicas, etiam in cantu habiturus, si Hebdomadarius non paratus sit praefuturus. Hinc non debetur huic incedenti assistentia, prout neque debetur Episcopo Ecclesiam ingredienti, etiam cappa induto.

Patet, in reditu, idem esse servandum ac in accessu, ratio enim semper est eadem.

His praemissis, legitime consequitur, anormalem esse usum processionaliter incedendi cum Episcopo sacris paramentis destituto, medio inter ministros paratos, eo vel magis, quod Episcopus non paratus per Ecclesiam incedere debet capite discooperto, dum sacri ministri paramentis induti cooperto capite incedere debent.

Hoc insuper notatum volumus, Episcopum extraneum non esse recipiendum ad Ecclesiae ianuam a clero aut illius parte,

Digitized by Google

sed, nisi pateat privatus accessus, quo uti melius foret, ad eamdem ianuam eum excipere possent duo tantum, etiam Canonici (qui nequeunt ad Protonotarium pontificaliter celebraturum recipiendum se ad ianuam conferre).

Unde concludi potest, melius esse sacros ministros paratos supervenire, Episcopo iam in choro existente; clerum comitari Episcopum non processionaliter e sacristia, nisi in choro iam extiterit, pro Horis Canonicis.

II. Quaeritur insuper, *An probandus, an corrigendus sit modus in casu expositus in chorum pergendi ab eoque redeundi, seu Episcopo, seu reliquis inspectis ministris et clero?* Praemittimus, Caium paucas forte romanas Ecclesias occasione pontificalium visitasse, maior enim earum pars morem in casu descriptum minime sequitur. Nunc autem per partes ad casum deveniamus. 1. «Diaconus et Subdiaconus sacris paramentis induti, praecedentibus clericis et Caeremoniarum magistro, procedunt ad altare»: Cum ministri absque Celebrante incedant, nequeunt processionaliter progredi; insuper, ut diximus, melius est ministros postquam Episcopus iam ad altare accesserit convenire, prout fit in Pontificalibus ad thronum celebrandis, quo in casu sacri ministri sacras induunt vestes, et accedunt post Episcopi adventum. 2. «Ad latera Faldistorii, scapulis ad altare fere conversis, sistunt». Iam status ministrorum, qui ad altare terga vertunt, constituit non parvum inconveniens, multo magis quia ministri illico ibi se sistunt quin prius ullam, etsi brevissimam precem fuderint; imo cum ibi adhuc non inveniatur Episcopus, superflua est eorum praesentia.

Faldistorium hoc in casu locum tenet throni seu cathedrae episcopalis; quandonam vero ministri ad thronum expectant Episcopum? Sistant ergo ad locum suum, scilicet scamnum, sedentes usquedum Episcopus adveniat, stantes cum ipse accedit et orationem facit; postquam vero ille sederit, ad eum veniant, ministerium suum impleturi. 3. «Post aliquod intervallum, ad Altare pergit Episcopus, mantelleto indutus, a Caeremoniarum magistro



Digitized by Google

et duobus presbyteris consociatus ». Si assistentia duorum ecclesiasticorum permittitur Protonotariis in simili casu, non est cur prohibeatur Episcopo. 4. « Postea sequitur clerus, superpelliceo indutus, et facta Episcopo reverentia, si tamen iam sedit in faldistorio, in chorum pergit ». Si Episcopum immediate sequitur clerus, seu coniunctim, quod, ut superius vidimus, etiam pro non dioecesano, a sacristia fieri potest, nihil obiiciendum; sed si post aliquam moram id fieret, inconveniens prorsus habendum est, Episcopo enim non convenit inferiores expectare, ut dicitur in casu: cum omnes locum proprium in choro occupaverint, tunc Episcopus pontificalibus paramentis induitur. Sed neque conveniret, clerum intrare dum Episcopus, eum nihil curans, sacra su meret paramenta. 5. « Idem ad Vesperas eundi modus, si Diacono et Subdiacono sufficias quatuor ministros indutos pluvialibus ». Notandum, aliquibus in Ecclesiis putari, non posse etiam in maximis solemnitatibus plusquam quatuor pluvialia adhiberi, occasione Vesperarum pontificalium, sed ratio ulla minime suppetit, ad detrahendum Episcopo honorem, qui et simplici Presbytero non negatur. Unde regulariter distinctio fit solemnitatis et non personae, eo vel magis quod in casu oppositum fieret ad id quod usuvenit: inferior magis esset privilegiatos quam superior. Hoc in casu, praeter quod de D. et S. diximus circa locum tenendum ante adventum Episcopi, minus etiam convenit eos, pluvialibus indutos, adiuvare Episcopum in sacris vestibus induendis. Si enim quando adhibentur planetae plicatae, ministri sacri celebrantem non adiuvant illis induti, sed antequam illas assumant, eo magis hoc dicendum cum adhibentur pluvialia, quod imo maius affert incommodum. Unde melius esset, assistentes pluvialia assumere postquam Episcopum adiuverint. 6. « In reditu Episcopus diversum ingreditur sacrarium a quo exivit ». Lex est profecto Caeremonialis Episcoporum, quod ubi paramenta Episcopus assumpserit, ibi deponat; sed in nostro casu de paramentis non est quaestio, quae ibi deposuit ubi assumpsit, sed tantum de sandaliis et caligis, circa quae non videmus difficultatem. 7. « Inde discedunt

Digitized by Google

superiores ministri una cum inferioribus, facta prius choro inclinatione: quos postea sequuntur reliqui de clero ». Prout fit quando Episcopus ad thronum exuitur, ministri recedent prius, et si fieri potest, per breviorem. Quoad reliquum clerum, vel Episcopum associat, et tunc cum illo coniunctim, sed *non processionaliter* incedit, vel si horas canonicas prosequi debet, bene potest in choro manere. 8. « Notandum vero, pluvialistas assistentes, cum duobus cantoribus dicto *Benedicamus Domino*, ante omnes per breviorem recedere ». Animadvertimus, illud: « dicto *Benedicamus Domino* », esse tanquam parenthesim, ut notetur, non omittere pluvialistas illius cantum, et cum cantoribus accedere ad canendum etiam assistentes, quod regulare non est: assistentes enim nunquam derelinquere debent Celebrantem, nisi cum sederit; et proinde supponendum minime est, pluvialistas non adstare benedictioni et paramentorum depositioni per Episcopum. Tota vis locutionis in eo est, quod pluvialistae recedant *ante omnes*, quod rite fiet, ut supra diximus de D. et S.

III. *Num modus aliquis et unicus, regulis generalibus omnino consonus, inveniri exhiberique possit, ut omnia in tam solemnibus sacrae Liturgiae functionibus secundum ordinem fiant, et qualis?* — Haud ita facile negotium, cum res pendeat a variis rerum adiunctis; verum frequentiores exponemus casus, cum magis consona solutione.

Episcopus ad Missam sacra sumere valet paramenta ad altare aut in sacristia. Si agitur de Ecclesia in qua habeantur ante Missam Horae Canonicae, Episcopus in sacristia paramenta assumet; item si coram Superiore sit celebrandum. Tunc ad altare acceditur processionaliter, incedente Episcopo inter Presbyterum assistentem et Diaconum, praecedente Subdiacono, et clero. Sin autem ad altare induatur, potest ad libitum praeparationem et gratiarum actionem ibidem persolvere. Etiamsi Horae Canonicae non habeantur, quando adstat clerus, convenientius praedictae actiones fiunt in sacristia, ubi accipi tunc debent et deponi caligae et sandalia; praeparationem enim agere et dicta calceamenta assumere

Digitized by Google

coniunctim semper paragi debent. Sic respective gratiarum actio et depositio eorum (cfr. *Caeremoniale Episcopor.*, in Dominicis et feriis, tempore poenitentiali).

Si igitur ad altare hae fiant actiones, non assistent Diaconus et Subdiaconus, sed tantum Presbyter assistens, prout fit ad thronum eodem in casu, iuxta *Caeremoniale Episcop.*, quod non admittit ministros paratos illa in actione. Haec est agendi ratio in Patriarchalibus Basilicis, quando Pontificalia a Cardinali Archipresbytero peraguntur, cappa induto, tempore quo canitur Tertia aut Nona.

At hic quaeri potest: curnam dictum est, si clerus adsit in choro, Episcopum sacra assumere paramenta in sacristia, dum Cardinalis id non agit? Respondemus, Patres Cardinales in casu considerari quasi in loco iurisdictionis; et sane quando hi celebrant coram Summo Pontifice, in sacristia id agunt.

Sed etiam in casu quo praeparatio facta iam sit in sacristia, prout supra diximus, praecedet Episcopus, et deinde supervenient ministri, si fieri potest per breviorem. In fine hi prius recedent, semper enim regula e Caeremoniali desumenda est. De cleri ingressu iam loquuti sumus satis.

In Vesperis regulariter Episcopus ad altare induetur, ex eadem semper ratione, accedendi, quanto magis fieri potest, Caeremoniali Episcoporum (cfr. *Caerem. Ep.*, lib. I, cap. XV, n. 6, ac lib. II, cap. I, n. 4, et Decr. S. R. C., 29 Nov. 1856, n. 3039[2]): nihilominus in patriarchalibus Urbis Basilicis Episcopus Vesperas pontificaliter celebraturus sacris paramentis in sacrario indui solet, quibus indutus cum mitra inter duos digniores pluvialistas incedit, toto clero praecedente.

Notetur autem, convenire ut Episcopus ad Missam pontificalem celebrandam sacra paramenta non in faldistorio sed in sacrario seu sacrista sumat, si accedat absque cappa (S. R. C., 6 Sept. 1698, n. 2010[1]); si enim cappa indutus non sit, caligas et sandalia ad altare decenter assumere nequit (De Herdt, *Prax. pontif.*, tom. III, n. 289).

Digitized by Google

# Expositio Rubricarum.

## EXPOSITIO NOVISSIMA
### RUBRICARUM BREVIARII ROMANI

(*Continuatio.* V. num. 2, anni curr., pagg. 99-108).

Verumtamen nonnullae Ecclesiae particulares, nempe, ut docet Martène (*loc. cit.*), Lugdunensis, et Viennensis in Gallia hymnos numquam admiserunt in officiis divinis. Imo in Romanis ipsis basilicis, hymni ante saeculum XII non habebantur, ut innuit Card. Tommasi (*l. IV, p. 168*). In Breviariis vero iuxta *Ordinem Romanae Curiae* saec. XII et XIV, pro unaquaque hora nec non in psalterio et in officio de tempore, hymni habentur, qui et in Breviario Pii V inveniuntur ante correctionem Urbani VIII, de qua infra.

Haec de origine et antiquo usu hymnorum. Nonnulli existimarunt, veteres ecclesiae hymnos latinitatis puritate carere, verumtamen, scriptores christiani, qui primis saeculis Ecclesiae floruerunt, neque bonarum artium contemptores, neque litterarum parvipendentes fuere. Iuvencus presbyter, Prudentius, Sedulius, S. Ambrosius, S. Damasus, S. Paulinus Nolanus, Sidonius Apollinaris, Venantius Fortunatus atque Boetius, multa scripserunt, in quibus non solum aurea maiestas latini sermonis non desit, sed et ars metrica elegantioris formae et venustatis refulget.

Porro, quamvis S. Ambrosius suique coaevi huiusmodi venustatem non respuerent, nihilominus, ipsam potius famulam, voluerunt, et sensus novae religionis in hymnis eminere curarunt. S. Ambrosius idcirco dicebat: « Negligere verba debemus, pensare mysteria », et S. Gregorius: « Indignum existimo ut verba coelestis oraculi restringam sub regulis Donati ».

Digitized by Google

Ceterum hymni ecclesiastici non erant privatim legendi, bene quidem in ecclesia canendi; ideoque pro ipsis construendis metrum iambicum elegerunt scriptores, ita ut unaquaeque strophes quatuor constaret versiculis, utpote ad cantandum alternatim in choro facilioribus. Cum autem, ut servaretur quantitas in syllabis longa vel brevis, quam latini ex graecis mutuarunt, saepe saepius verba essent varianda; et cum a christianis poetis, verbum ipsum, ideam fideliter magis significans, negligendum non esset, maxime in versiculis brevioribus, prōsodiae regulas ipsi potius deseruere, et formam liberiorem adhibere coeperunt; ita ut christiana poesis non *metrica*, sed *rhythmica* praesertim evasit.

Quapropter iam suo tempore ven. Beda (*de re metrica*) de sacra hymnodia scribens, aiebat: « Rhythmus sine metro esse potest, metrum vero sine rhythmo non potest. Quod liquidius ita definitur: metrum est ratio cum modulatione; rhythmus modulatio sine ratione ». Ac dein loquens de hymnis s. Ambrosii habet: « Hymnos quos choris alternantibus canere oportet, necesse est singulis versibus ad purum esse distinctos, ut sunt omnes Ambrosiani ». Ambrosius enim ea ratione hymnos suos confecit, ut versiculus quisque sensum expletum contineret, et sic facilius choraliter populus eos decantaret. Sequentibus autem saeculis, alii sacri scriptores in hymnis conficiendis novum aliquod elementum induxerunt, et eo devenerunt, ut amota prorsus quantitate metrica, solam syllabicam mensuram retinuerint, quae cum melodica decantatione acceptabilior reddebatur, quam antiqua latinorum prosodia.

Quapropter sacra Hymnographia Christiana, per duodecim saecula iter suum invariatum cucurrit, ex ore hominum infinitorum cuiusvis aevi et nationis prolata, magis quam Homeri antiquae rapsodiae. Quod si Horatiani styli elegantia illi defuit, nihilominus artem exhibet, rudem quidem, si placet, excellentiorem tamen, qua et sensus supernae fidei ac amoris ardentis, cum divinis laudibus christiana plebs historiam humanae re-

Digitized by Google

demptionis, triumphos martyrum, gloriam Sanctorum, et spem sepulchri decantat.

Igitur, sicut docti viri summo studio colunt et quaerunt monumenta antiqua architecturae christianae, quae ubique usque ad saeculum XIV pietas patrum excitavit, licet nec Parthenonis, nec Pantheon formas referant, ita et liturgicam hymnodiam antiquam peramanter excolere nil vetat omnino.

Haec nobis dicenda erant priusquam de Urbani VIII hymnorum reformatione loqueremur.

Qui enim, ut evenit saeculo praesertim XVI et XVII, non novit nisi auctores classicae latinitatis, habere non potest, nisi ut *barbariem*, hymnodiam, in qua rhythmus consistit in ictu arsis et thesis, ait Baümer (*vol. II, p. 290*). Hinc Urbanus VIII, cum eximius esset litterarum et carminum cultor, sui temporis influxus sensit magnopere, ideoque suasione quoque permotus virorum, alioquin piorum, hymnos Breviarii ad regulam metricam reddere decrevit. Ita legimus in eius Bulla *Divinam psalmodiam*, quae habetur in Breviario Romano: « Iussu nostro aliquot eruditi et sapientes viri suam serio curam contulerunt, quorum diligentia studioque perfectum opus est, quod gratum omnibus, Deoque et sanctae Ecclesiae honorificum fore speramus; siquidem in eo Hymni (paucis exceptis) qui non metro, sed soluta oratione, aut etiam rhythmo constant, vel emendatioribus codicibus adhibitis, vel aliqua facta mutatione, ad carminis et latinitatis leges, ubi fieri potuit, revocati; ubi vero non potuit, de integro conditi sunt, eadem tamen, quoad licuit, servata sententia ».

Non unum iudicium datum est a scriptoribus ecclesiasticis huic Urbanianae hymnorum emendationi. Clar. Guyetus laudibus eam extollit dicens, (*l. 3, c. 5, qu. 2*): « Quam emendationem qui respuunt, quibuscumque ducti rationibus, parum se Ecclesiae decorem diligere probant; cumque in profanis tantum forte ipsi concinnitatem et elegantiam exigant; quis non miretur, eos in sacris, quibus nihil non summum tribui decet, sordes, vilesque

Digitized by Google

quisquilias tam studiose prosequi? ». Et sequitur proponens ut et singulae Ecclesiae hymnos suos proprios, si mendosi fuerint, instaurent.

Gavantus (*hoc loco, n. 9*), qui correctioni Breviarii tam sub Clemente quam sub Urbano interfuit, propriam opinionem hac in re non depromit, ait enim: « Praedictos hymnos emendavit tandem SS. D. N. Urbanus VIII, correctis falsis syllabis ultra nongentas, et mutatis ideo principiis hymnorum ultra triginta anno 1629, quos et laudavit S. R. Congregatio die 17 Martii eiusdem anni. Intactos reliquit tres de SS. Sacramento, ratione ethrusci ritus, quo Auctor S. Thomas eos composuit; hymnum item *Ave, maris stella,* quae est soluta potius oratio, aliquibus incisis partita, et hymnum Angelorum ad Vesperas, qui sine labe fuit, et paucos alios ».

Meratus (*ibid. n. V.*) habet: « Ad hymnos corrigendos adhibuit praefatus Pomtifex tres lectissimos Societatis Iesu viros, ac politiorum literarum bene peritos, et hi fuerunt Famianus Strada, Tarquinius Gallucius et Hieronymus Petruccius, quorum laborem magni omnino faciendum esse, adstruit clarissimus vir Theophilus Raynaudus, *tom. II, punct. 2, pag. 12* »... Et postquam verba retulerit Guyeti quae supra nos ipsi adduximus, sequitur: « Henricus tamen Valesius acerrimam censuram ferre ausus fuit contra praefatam hymnorum emendationem, eosque male compositos, atque adversus communem hominum sensum depravatos existimat; sed huiusce auctoris censurae nimis severae aurem praestare non possumus ».

(*Continuabitur*).

Doct. PETRUS PIACENZA.

Digitized by Google

# Quaestiones Liturgicae.

## De luna pronuntianda sub littera Martyrologii quando Numerus Aureus est 1.

Si consideremus diversas epactas, quae post correctionem gregorianam aureo numero 1 respondent, primum inveniemus ab anno 1583 usque ad annum 1699, numerum aureum 1 cum epacta I.

Porro, haec leguntur in martyrologio romano (Explicatio eorum quae in martyrologio romano ad pronuntiationem lunae pertinent):

« Notandum autem est, in anno quo currit numerus aureus 1, lunam in Kalendis Ianuarii semper pronuntiandam esse una die minorem quam in martyrologio adnotatur; et sic deinceps in aliis diebus usque ad finem illis lunationis tantum. Exemplum: Anno Domini 1595, tam aureus numerus quam epacta erit XIX, littera vero martyrologii eo anno currens erit u minuscula, sub qua pronuntiabis pridie Kalendas Ianuarii, sive ultima die Decembris, lunam trigesimam; postridie vero, in Kalendis Ianuarii 1596, in quo curret tam aureus numerus quam epacta 1, pronuntiabis Lunam primam sub littera a minuscula, quamvis sub ea invenias adnotatam Lunam secundam; et ita prosequeris quotidie, pronuntiando Lunam una die minorem, quousque pervenias ad finem illius lunationis, hoc est usque ad quartum Kalendas Februarii: a quo die exclusive usque ad finem illius anni pronuntiabis Lunam uti sub eadem littera adnotatum invenies. Itidem in futurum faciendum erit, quotiescumque dicto aureo numero 1 eadem vel alia littera respondebit, excepta tamen littera P maiuscula, sub qua semper Luna pronuntianda est ut numerus indicat: quemadmodum et in aliis annis fieri solet, in quibus non currit aureus numerus 1, sed alii numeri aurei; in his enim Luna pronuntianda est ut indicat numerus sub littera descriptus ».

Digitized by Google

Exemplum in martyrologio propositum omnino perperam sumptum est, et falso indicat aetatem lunae usque ad finem lunationis.

Etenim quando epacta XIX concurrit cum numero aureo 1, haec epacta occurrit tantum die 2 Decembris. Addendo autem duodecim dies huic epactae (ut regulariter fieri debet quotiescumque numerus aureus est 19), invenimus I pro epacta anni sequentis. Sed mense Ianuario, epacta I non apparet nisi die trigesima, ita ut, in casu a martyrologio considerato, non sit locus ad collocandum novilunium inter diem 2 Decembris et diem 30 Ianuarii.

Cui gravissimo incommodo ut obviaretur, excogitata est epacta 19 arabs, quae collocatur die 31 Decembris, in conspectu epactae XX, et quae adhibetur tantum quando epacta XIX concurrit cum numero aureo 19, ut fit anno 1595; *quae epacta 19 arabs erit sedes novilunii.*

Proinde legendum erit:

| | | | |
|---|---|---|---|
| 1595, 31 Dec. | Epacta 19 arabs . . . . . | Aetas lunae | 1 |
| 1596, 1 Ian. | Epacta I, littera martyrologii *a* minuscula . | » | 2 |
| » 2 » | » » » . | » | 3 |
| » 3 » | » » » . | » | 4 |

etc. etc.; et nihil immutandum erit in martyrologio, sed per totam lunationem Luna pronuntianda erit ut indicatur sub littera *a* minuscula.

Transeamus ad periodum sequentem, nempe ab anno 1700 ad annum 1899, in qua, quando numerus aureus est 1, epacta est * et littera martyrologii P maiuscula.

In hoc casu, ut optime ait martyrologium, non facienda est diminutio unius diei, sed luna semper pronuntianda est ut indicatur sub littera P maiuscula.

Ratio est quia diminutio unius diei facienda est tantum in lunatione currente die 1 Ianuarii. Atqui, quum novilunium incidat ipsa die 1 Ianuarii quando epacta est *, hac die non est lunatio currens, sed initium lunationis. Ergo ad hunc casum non pertinet regula diminutionis unius diei.

Digitized by Google

Ab anno 1900 tantum applicanda est regula quae spectat ad diminutionem unius diei sub littera martyrologii, quando aureus numerus est 1, salva tamen exceptione de qua infra loquemur.

Ab anno 1900 usque ad annum 2199, aureo numero 1 respondet epacta XXIX, et littera martyrologii est N maiuscula.

Sit ergo in exemplum annus 1938. Die 31 Decembris 1937, luna est vigesima octava, et die 1 Ianuarii 1938 vigesima nona. Quum autem epacta XXIX una die aucta sit per additionem *duodecim* dierum, aetas lunae sub littera martyrologii indicata, una quoque die antecurrit, quapropter usque ad finem lunationis pronuntianda erit luna una die minor quam in martyrologio indicatur.

Legamus igitur:

1938, 1 Ianuar. $\frac{N}{29}$, non autem $\frac{N}{30}$, et, quum ista lunatio terminetur hac eadem die 1 Ianuarii, deinde legamus:

2 Ianuarii $\frac{N}{1}$ etc. ut in martyrologio usque ad finem anni.

Aliud exemplum proponimus:

Sit annus 3610, in quo curret numerus aureus 1 et epacta XXIII, cui respondet littera martyrologi D maiuscula.

Die 31 Decembris 3609 luna erit vigesima secunda, et die 1 Ianuarii 3610 vigesima tertia. Ab hac die 1 Ianuarii usque ad finem lunationis currentis, luna pronuntianda erit una die minor quam in martyrologio notatur sub littera D maiuscula.

Legendum ergo erit ut sequitur:

| | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 3610, 1 | Ianuarii | $\frac{D}{23}$ | non autem | $\frac{D}{24}$ |
| 2 | » | $\frac{D}{24}$ | » | $\frac{D}{25}$ |
| 3 | » | $\frac{D}{25}$ | » | $\frac{D}{26}$ |
| 4 | » | $\frac{D}{26}$ | » | $\frac{D}{27}$ |
| 5 | » | $\frac{D}{27}$ | » | $\frac{D}{28}$ |
| 6 | » | $\frac{D}{28}$ | » | $\frac{D}{29}$ |
| 7 | » | $\frac{D}{29}$ | » | $\frac{D}{30}$ |

Digitized by Google

et deinceps, quum lunatio sequens incipiat die 8 Ianuarii, pronuntiabitur luna ut in martyrologio et absque diminutione: 8 Ianuarii $\frac{D}{1}$ etc. usque ad finem anni.

Supra diximus esse quamdam exceptionem, quam nunc explicabimus.

Diminutio unius diei sub littera martyrologii regulariter fit in lunatione currenti die 1 Ianuarii, quando *duodecim* dies adduntur epactae quae respondet aureo numero 19.

Quum autem anno 1900, fiat aequatio solaris, absque aequatione lunari, exinde fit diminutio unius diei in epacta, ideoque epactae anni praecedentis adduntur non duodecim dies, ut regulariter fit quotiescumque numerus aureus est 19, sed tantum undecim, ut fit in aliis cycli annis; proindeque, quum diminutio unius diei existat ipso facto additionis undecim, non autem duodecim dierum, haec diminutio iam non est facienda in martyrologio, sed pronuntianda est luna ut notatur sub ipsa martyrologii littera.

Idem dicendum est de anno 3800 ($1900 \times 2$), 5700 ($1900 \times 3$) et aliis annis saecularibus multiplicibus (1), in quibus fit aequatio solaris, non autem aequatio lunaris.

Nunc concludere liceat:

Post correctionem gregorianam anno 1582 factam, quando numerus aureus est 1, ab anno 1900 tantum (salva exceptione supra exposita), pronuntianda est luna una die minor quam sub littera martyrologii indicatur, a die 1 Ianuarii usque ad finem lunationis currentis.

F. Lorderau.

(1) Notandum quod hi tantum anni *saeculares* cum numero aureo 1 concurrere possunt.

Digitized by Google

## De influxu Duplicis vel Semiduplicis integrum Officium habentis atque in Missis quibuslibet Votivis commemorati.

Ad Missas votivas, quae non sunt pro re gravi vel pro publica Ecclesiae causa celebrandae, si dicantur ex Indulto in Duplicibus cumque horum Commemoratione, prouti singulis per annum Sabbatis et a die 6 vel 7 usque ad 15 Decembris inclusive agitur Missa votiva de Immaculata Deiparae Conceptione in Ecclesiis Ordinis Fratrum Minorum, utrum necne addenda sit tertia Oratio de Tempore vel de infra Octavam, et aliquando in Festis classicis etiam Collectae, nunc primo inquiritur loco.

Nos, omnibus hinc inde libratis, arbitramur tertiam Orationem esse omittendam in Missis votivis, quae ex privilegio legantur vel canantur in Officiis seu Festis ritum duplicem obtinentibus; et ad easdem Missas Orationem tantum ipsius Votivae et Commemorationem Duplicis eo die occurrentis admitti, non exclusis tamen Commemorationibus occurrentibus neque Collectis *generatim* ab Ordinario Loci imperatis.

Advertimus in primis, rem ex Rubricis generalibus Missalis Romani certo definiri numquam posse: quoniam, vel sermo est de Votivis communibus pro re non gravi neque pro publica Ecclesiae causa recitandis, et tunc hae iuxta easdem Rubricas sub tit. IV ac n. 3 permittuntur solum « quocumque die Officium non est Duplex, aut Dominica »; vel est casus de Missis votivis solemnibus pro re gravi vel pro publica Ecclesiae causa celebrandis, et tunc in eis iuxta ipsas Rubricas sub tit. IX ac n. 14 « dicitur una tantum Oratio ».

Itaque, hanc nobis positam quaestionem ex analogis tantum Rubricarum generalium Missalis ac Breviarii Romani locis, necnon e Sacrae Rituum Congregationis Oraculis patet exsolvendam esse; inquirentes nempe omni diligentia utrum privilegia, quae exornant Festum integro decoratum Officio, eidem etiam competant, si per accidens solam habeat Commemorationem. Aliqua

Digitized by Google

sint notissima in exemplum facta, unde claritas sufficiens controversiae paretur.

1. Integra cuiuspiam Festi Octava excludit Suffragia et Preces in Officio, necnon repellit Orationes speciales Temporis et sibi proprias secundo ac tertio loco reposcit; et haec omnia locum habent, sive integrum Officium sive solam Commemorationem ipsa Octava retineat (1).

2. Duplex secundae classis in suis primis Vesperis respuit Commemorationem praecedentis Semiduplicis ac Dominicae communis, necnon memoriam Simplicis cum eodem Duplici secundae classis occurrentis; et haec omnia fiunt, quamvis ob praecedens Duplex primae classis vel etiam secundae classis at dignius, sola de sequenti Duplici eodem secundae classis Commemoratio peragatur (2).

3. Tempus Adventus et Passionis Suffragia Sanctorum excludit, et Tempus Paschale solam de Cruce Commemorationem recipit; et haec omnia servantur, sive integrum Officium sive sola de occurrenti Tempore (vel nulla infra Tempus Paschale) Commemoratio reservetur (3).

Ex hisce factis aliisque etiam facile congerendis, haec norma statui posse videtur pro ceteris casibus optime inservitura: «Iura, quae per Rubricas generales Missalis Romani alicui Festo vel Officio tribuuntur, eidem integra manent, etsi solam Commemorationem asservet». Ac proinde, si «in Festis Duplicibus dicitur una tantum Oratio, nisi facienda sit aliqua Commemoratio», prouti ordinatur in Rubricis generalibus Missalis Romani sub tit. IX ac n. 1; hoc iure expoliari nequeunt eadem Festa Duplicia, ac praesertim in casu nostro in quo integrum alioquin habent Officium ac Missam, etsi solam Commemorationem in Votivis ex privilegio celebrandis asservent.

(1) Cfr. Rubricae generales tam Breviarii Romani sub tit. XXXV et n. 1, quam Missalis Romani sub tit. IX et nn. 7-10.

(2) Cfr. Decretum sub n. 2632 ad I.

(3) Cfr. Rubricae generales Breviarii Romani sub tit. XXXV et n. 1 ac 2.

Digitized by Google

Hanc porro explicationem ex ipsius Sacrae Congregationis Oraculo confirmare possumus, quod die 26 Ianuarii anno 1793 in una *Ordinis Minorum S. Francisci Provinciae Sancti Antonii Babien. in Brasilia* sub n. 2542 ad 1 edebatur. En illius textus: « Cum S. R. C. benigne *indulserit*, ut in eorum Ecclesiis celebrari posset Missa solemnis festiva cum cantu de Immaculata Conceptione B. M. V. singulis Sabbatis non impeditis Festo duplici primae vel secundae classis, Vigiliis vel Octavis privilegiatis... 1. An in tali Missa votiva solemni *tres* Orationes dici debeant, vel *una* tantum? » Responsio: « Ad 1. Affirmative, ad primam partem, iuxta modum; scilicet: in Feriis, simplicibus et semiduplicibus *tres* dicendas esse Orationes; in duplicibus *duas* (1), semperque cum *Gloria*, ratione Sabbati ».

Maxima vero, uti de aliis est Oraculis, pollet Decretum hoc sapientia. Si enim, praeter Missam votivam de Immaculata Deiparae Conceptione, etiam Officium votivum de eodem Mysterio sub ritu duplici et in Festis Duplicibus indultum esset, prouti aliquando contigisse ex Decretis sub nn. 3600 et 3637 ad 1 eruitur, nullus Auctor Suffragia et Preces in Officio votivo neque in Missa item votiva tertiam Orationem addendam esse arbitraretur. Quare, cum mere *per accidens* Missa votiva in Duplicibus per annum concessa non respondeat Officio votivo mysterii duplicem ritum obtinenti, ne tot Sanctorum Festis noceatur; hinc liquido colligitur tertiam rite omittendam esse Orationem ad Missam Votivam in Duplicibus etiam maioribus ex Indulto permissam, prouti esset praetereunda ad ipsam Votivam Officio votivo ritum duplicem habenti adnexam.

Alioquin, si de aliis praesertim Sanctorum Missis votivis ageretur, nequiret prorsus intelligi, qua de causa oporteret in vo-

(1) Intelligatur tamen, si de occurrenti Duplici fiat Commemoratio, prouti agitur in Missis votivis privatis, etiamque in solemni si vel Conventualis Missa de Officio currente non celebretur, vel una saltem diei Missa etiam lecta Votivam non praecesserit in Ecclesiis ad Conventualem Officii currentis non adstrictis, prouti infra melius adnotabimus.

Digitized by Google

tivis Missis recitari tertiam de Tempore Orationem *A cunctis*, quae Suffragiis Sanctorum communibus etiam quoad nomina eorumdem ac numerum usque respondet; quoniam, occurrente Duplici, eadem Suffragia nullum in Officio diei locum habuere, neque in eodem Festo acta est Commemoratio integri Officii locum tenens, cui *per se*, ut in Vigiliis et Feriis communibus obtingit pro Missa feriali, ipsa competant Suffragia ideoque ad Missam Oratio congruat eis respondens *A cunctis*.

Atque insuper, si rem sedulo inspiciamus, haec norma eruitur etiam ex Decreto sub n. 3922, in quo ad § III, n. 3, de Missis votivis privatis vel ex privata causa in genere habendis sic ordinatur: « Missae votivae huiusmodi fiant sine *Gloria* et sine *Credo*, etiamsi de Patrono vel Titulari, vel, *per speciale Indultum*, in die Dominica et *in Festis duplicibus*, vel etiam infra Octavas celebrentur, nisi sint de die infra ipsam Octavam; quo in casu celebrandae essent ut in Festo, idest cum *Gloria* et *Credo*. Orationes dicantur *diei et Tempori congruentes*, etiam in Missa votiva de Sanctissimo Sacramento. Quod si *infra Octavam* Missa votiva dicatur, secunda Oratio erit de Octava, tertia autem de Tempore ». Enimvero, si Orationes in Missa votiva dici debent *diei* congruentes: in *die* ritus *duplicis*, Orationes secunda ac tertia de Tempore vel de infra Octavam nullimode congruunt Missae votivae eadem die ex Indulto celebrandae; sicuti in *die* ritus *semiduplicis* ternarium repugnat excedi Orationum numerum aut aliquam pro Defunctis Collectam pro Sacerdotum lubito adiungi, quae solum in *die* ritus *simplicis* aut *ferialis* competunt Votivis privatis etiam e Rescripto utcumque celebrandis. Et sane, Sacra Rituum Congregatio, si nullam haberi voluisset in Missis votivis privatis rationem Festi duplicis vel semiduplicis *eo die* occurrentis atque in eisdem Votivis commemorandis, iam frustra requireret, ut Orationes in Missis eiusmodi Votivis, non solum Tempori et Officio infra Octavam, sed etiam *diei* debeant congruere: quum Orationum numerus et qualitas, uti nemo ignorat, si plures fuerint dicendae, non ex *die*, verum ex Tempore vel ex Officio infra Octavam *unice* dependeant.

Digitized by Google

Ac demum, ut observationibus finem demus, id firmatur etiam e § IV ac n. 2 eiusdem Decreti, ubi ad ipsas Votivas in cantu vel solemniter ex causa non publica celebrandas, in Ecclesiis ad Missam conventualem non adstrictis exigitur, non ut plures addantur ex Tempore vel de infra Octavam Orationes, sed ut adiungantur solum « tam Oratio *diei*, quam aliae *occurrentes* ». Quo quidem *occurrentium* nomine, prouti clare conspicitur, neque Oratio *A cunctis* neque alia de Tempore potest umquam intelligi, quum in Officio duplici eiusdem diei minime occurrant; neque magis plures ultra ternarium numerum accipi Orationes vel aliqua pro Defunctis Collecta, si Festum duplex vel semiduplex in hisce Votivis commemorandum eo die celebretur.

Ex isto Decreto, quod magnifice semper conciliatur cum aliis, quae forsan apparent eidem contraria, uti infra videbimus; optime eruitur, Duplex semper influere in Votivis in quibus Commemorationem asservat, sicque tertiam in eisdem Missis Orationem Temporis seu de infra Octavam repellere.

Nullam porro vim ademptam esse Decreto huiusmodi ex eo patet abunde, quod non modo retentum sit in novissima Collectione simul cum aliis, quae eidem specie tenus contraria videntur; sed etiam quod in Indice authentico, prouti in tom. V ipsius Collectionis inspicitur, ita resumatur sub pag. 307: « Votiva de Conceptione in singulis Sabbatis Franciscanis concessa celebranda est sine *Credo* et cum *Orationibus* a Rubricis pro Missis votivis praescriptis. 2503 ad 3; *scilicet* in Feriis, simplicibus et semiduplicibus *tres* dicendae sunt Orationes, *duae in duplicibus*, et semper Hymnus Angelicus ratione Sabbati. 2542 ad 1 ».

Itaque, ritus duplex occurrentis Officii influit in *numerum* Orationum in Votiva, in quibus illud commemoratur; sed minime influere potest in Hymnum Angelicum et Symbolum, prouti ex utroque illo Decreto aliisque ad rem nostram confirmatur.

Hunç ipsum influxum testatur etiam decisio Sacrae Rituum Congregationis, quae sub die 15 Maii anno 1819 in *Assisien.* sub



Digitized by Google

n. 2597 ad 1 et 2 evulgata, quam hic iuvabit integre referri: « Patriarchalis Basilica Assisiensis... privilegio gaudet Missae votivae quotidianae de eodem Sancto (Francisco), exceptis dumtaxat Solemnitatibus Natalis Domini Nostri Iesu Christi, Resurrectionis et Pentecostes. Porro *ex hac concessione* sequentia excitata sunt dubia, quae Sacrae Rituum Congregationi resolvenda proposita fuerunt. 1. An diebus Dominicis in praefata Missa votiva Symbolum dici debeat? 2. An in Duplicibus primae et secundae classis recitanda sit *Collecta* ab Ordinario imperata? » Responsio: « Ad 1. Iuxta alias resoluta, Negative. Ad 2. Negative in *Duplicibus primae classis*, ut alias responsum fuit. Quoad Duplicia vero secundae classis, poterit ad libitum Celebrantis legi vel omitti Collecta imperata, in Missis privatis tantum; in Conventuali et solemni erit omittenda ».

Hinc *Caeremoniale Fratrum Minorum Conventualium* anno 1904 Romae editum atque approbatum a Sacra Rituum Congregatione die 10 Augusti eodem anno, in part. IV, cap. VII, n. 8, pag. 115, sic in rem nostram loquitur: « In Missis votivis, quae ex privilegio in Duplicibus primae vel secundae classis celebrantur, Collectae in die primae classis non dicuntur; in die autem secundae classis in Missis cantatis et Conventualibus lectis non dicuntur, in privatis sunt ad libitum. S. R. C. 2597 ad 2 ».

Ast, si Duplex primae classis in Votiva illa excludit Collectas in qua memoratur, et Duplex secundae classis excludit eas in Missa cantata et liberas reddit in privata, prouti si de alterutro Duplici classico integra Missa celebraretur: nulla est ratio, cur etiam Duplicia sive maiora sive minora non debeant repellere tertiam Orationem de Tempore vel de infra Octavam in Votivis, in quibus commemorantur, quam et respuerent si de illis integra Missa diceretur; eo vel magis quod facilius tertia oratio quam Collectae a Missis soleant propelli. Ac sane, cum nemo sit qui arbitretur tertiam in Votivis addi posse Orationem, si ratione Duplicis primae vel secundae Classis debeant seu valeant omitti Collectae; iam patet abunde, verum non esse ad Votivas in Du-

Digitized by Google

plicibus (quibus *etiam* et *primario* Festa classica accensentur) permissas tres semper adiungendas esse Orationes, uti nonnulli sibi persuasum habuere.

Ex relato itaque Decreto, quemadmodum et ex aliis supra relatis, optime confirmatur influxus Duplicis in Votiva commemorati super Orationum numero vel qualitate, qui super Hymno Angelico et Symbolo idem Duplex comitante nullimode habetur.

Ac proinde, licet Missae huiusmodi ex causa non publica vel pro re non gravi celebrandae, tres *per se* conveniant Orationes iuxta Rubricas et Decreta; nihil tamen impedit quominus *per accidens* una vel duae permittantur Orationes. Hoc autem fieri *per accidens* potest in duplici casu: 1. Ratione *Indulti*, uti apud Sanctuaria Terrae Sanctae et in aliis locis gratiose permittitur; 2. Ratione *Festi Duplicis* in eadem Votiva commemorati, prouti ex Decretis sub nn. 2542 ad 1 et 2597 ad 2 eruitur.

Eamdem sententiam, non solum plerique Redactores in Ordine Fratrum Minorum suis edocent Kalendariis, sed etiam firmat aperte Caeremoniale Ordinis Praedicatorum pro Missa votiva Rosarii *Salve Radix*, etiam in Duplicibus maioribus Feria IV ac Sabbato cuiusque Hebdomadis permissa. Revera, in tom. I operis *Acta Sanctae Sedis... pro Societate Rosarii...* Lugduni 1890 ad pag. 72 de eadem Votiva ex Indulto permissa sic disponitur: « Missa *Salve Radix* semper debet celebrari *ritu votivo*... Unde diebus Festis simplicibus et infra, in hac Missa semper *tres* Orationes recitentur, quarum prima erit Oratio Missae Rosarii, secunda erit Oratio Officii diei, et tertia, nisi sint Memoriae (nempe Commemorationes in Officio factae) erit ea quae pro votivis Missis a Rubrica designatur; diebus vero festis *duplicibus* et supra, non erunt *aliae* Orationes, nisi Oratio Missae Rosarii, Oratio Officii diei et Memoriae (seu Commemorationis, si habeatur) ».

Ipsam pariter doctrinam sequitur Aloisius Adone, qui in opere *Synopsis Canonico - Liturgica*... Neapoli 1886, ita ex Decretis docet in Lib. III, cap. V, § III, num. 1499: « Quoad Missas votivas Beatae Mariae quolibet Sabbato *celebrandas*, in

Digitized by Google

Feriis, Simplicibus et Semiduplicibus tres dicendae sunt Orationes, *in Duplicibus duae*; semperque Hymnus Angelicus, ratione Sabbati, et sine *Credo* ».

Ac demum, aliis auctoribus liturgicis omissis, Pater Franciscus Lohbauer, in opere *Rituale Ecclesiasticum*... Monachii 1852, in Part. III, sect. I, cap. VII, § I, *B*, num. 14, de Missa votiva Immaculatae Conceptionis apud Fratres Ordinis Minorum etiam in Duplicibus permissa, iam tradiderat aperte: « In tali casu Orationes sunt dicendae a Rubricis praescriptae, *duae in Duplicibus*, *tres* in Semiduplicibus ».

Contra hanc probatissimam normam nonnulli (1) immerito provocant: 1. Ad Decretum Generale sub die 28 Februarii et 3 Martii anno 1818 editum et in novissima Collectione sub n. 2582 datum, ex quo Missam votivam pro Sponso et Sponsa etiam in Duplicibus maioribus permissam, constat: « Semper (2) legendam sine Hymno Angelico et Symbolo, cum *tribus* Orationibus, prima videlicet eiusdem Missae votivae propria, secunda et tertia diei currentis: 2. Ad Decretum Generale De Missis votivis, sub die 30 Iunii anno 1896 datum et in novissima editione sub n. 3922 positum, in quo ad § V, n. 2, dicitur de Missis votivis Beatae Mariae Virginis: « *Tres* saltem Orationes, iuxta Rubricas, dican-

(1) Cfr. *Ephem. Liturg.*, vol. XIX, pag. 171.

(2) Vox illa *Semper*, uti abundantius eruitur ex Decretis sub n. 2542 ad 1 atque 2597 ad 1 et 2 de Hymno tantum Angelico ac Symbolo debet intelligi; minime autem accipi de Orationum numero, quidquid sub pag. 166–167 in tom. IV novae Collectionis Gardellinius cum aliis in oppositum sentire videantur, prouti abunde firmatur etiam ex Decreto sub n. 3574 ad V in Quaestione 1–4. Si enim, veluti ad pag. 307 tomi V observatur, Missa eiusmodi votiva celebranda est « cum Orationibus a *Rubricis*... praescriptis..., scilicet... dicendae sunt Orationes, *duae in Duplicibus* »; nullimode amplius dubitari licet, postquam Sacra Rituum Congregatio locuta tam aperte fuit sensumque Rubricarum Missalis Romani explicavit, quin ad Missas votivas ipsae Rubricae tertiam de Tempore vel de infra Octavam repellant Orationem, si in eis Duplex eo die recurrens suam obtineat Commemorationem, etsi Auctores liturgici ante Indicem Decretorum authenticum aliter insinuasse noscantur.

Digitized by Google

tur, etiam in Missis votivis huiusmodi, quae ex Indulto quolibet anni Sabbato *cantari* solent » (1).

Nihilominus, haec Decreta optime cum relatis conciliari possunt, si advertatur per haec Decreta *generatim* ordinari tres in Missis votivis Orationes, quia *per se* Missae eiusmodi votivae, licet permissae ex Indulto, retinent *naturam* Votivae privatae; non autem innui, *tres* semper dicendas esse Orationes etiamsi in eis Duplex commemoretur, ideoque huius ratione *per accidens* tertia de Tempore vel de infra Octavam Oratio depellatur.

Revera enim, in Decreto 2582 tres dicendae *per se* Orationes designantur in Missa votiva pro Sponso et Sponsa, quia nonnulli cum Hymno Angelico ac Symbolo eamdem Votivam legebant et cum unica Oratione « ea freti ratione, quod haec Missa ceu solemnis et pro *re gravi* haberi debeat », ut in eodem Decreto observatur. Igitur declaratum fuit, in eadem Missa retineri *naturam* Votivae privatae, quae *per se* trinas exigit Orationes; non vero negatus fuit influxus Duplicis in ipsa commemorati ad excludendam *per accidens* tertiam Orationem de Tempore vel de infra Octavam. Quod adeo verum esse probatur, ut per Decretum in *Assisien.* die 15 Maii sequenti anno 1819 sub n. 2597 ad 2, admissus fuerit influxus Duplicis primae vel secundae classis in Votiva ex Indulto celebranda super Collectis ab Ordinario Loci imperatis.

Insuper, in Decreto 3922 unice declaratum fuisse videtur, in Missis cantandis ex Indulto retineri etiam naturam Missae vo-

(1) Intelligi debet utique de Votivis cantatis sine Duplicis occurrentis commemoratione, quia nempe de illo altera Missa Conventualis celebratur; quo quidem in casu tres semper dicuntur Orationes, quarum secunda erit de Spiritu Sancto et tertia *Ecclesiae* vel pro Papa, licet Officium duplex occurrat, quod omnem *per se* Commemorationem in huiusmodi Missis votivis solemnibus amittere debeat: quemadmodum nempe ex Decreto sub n. 3553 ad 2, ad Missam Conventualem Feriae seu Vigiliae, reticita per se Commemoratione Duplicis etiam primae classis, admittuntur secunda et tertia Oratio de Tempore vel de infra Octavam necnon Collectae ab Ordinario in Defunctorum quoque suffragium ordinatae, eo quod Missa talis nullam cum occurrente Duplici relationem asservet.

Digitized by Google

tivae privatae, quae *per se* tres exigit Orationes; non autem praefiniri tres item recitandas Orationes, si *per accidens* ipsae Votivae in Duplicibus cumque horum Commemoratione celebrentur. Non enim deesse poterant, qui falso arbitrarentur, eam *semper* canendam esse cum unica Oratione, quia nempe permittitur etiam in Duplicibus maioribus, quae unicam habent Orationem: cui falsae opinioni voluit contradicere Sacra Rituum Congregatio, asserens ex Indulto non adimi tali Missae naturam Votivae privatae, quae *per se* tres reposcit Orationes; quamvis *per accidens*, ratione nempe Duplicis in ipsa commemorati, *tertia* de Tempore vel de infra Octavam Oratio et aliquando etiam *Collectae* ab Ordinario Loci imperatae debeant excludi. Tunc enim relata Decreta nostram everterent sententiam, si utrobique dictum esset: « Etiamsi dicantur in Duplicibus ». Cum ergo ista clausula in utroque Decreto minime reperiatur, utrumque iuxta modum debet intelligi, uti clarius edicitur in Decreto 2542 ad 1: « Scilicet: in Feriis, Simplicibus et Semiduplicibus *tres* dicendas esse Orationes, in Duplicibus *duas* ».

Hanc porro explicationem tenere debent omnes, qui inter diversa Decreta Sedis Apostolicae harmoniam student inducere, et quamlibet contradictionem satagunt amovere inter agnitas legitimae Auctoritatis decisiones. Nam, etiam Dominica ritus semiduplicis *per se* tres reposcit Orationes; et tamen *per accidens*, ratione Octavae, prouti ex Rubricis generalibus sub tit. IX ac nn. 10-11 eruitur, ipsa duas tantum admittere noscitur.

Rationem vero aequam a nullo Auctore datam hucusque credimus. Nobis rem sedulo investigantibus, hae videntur occurrere rationes, quarum duae primae opinionem nostram confirmant: 1. Quum dies Octava possit occurrere in Dominicis primae vel secundae classis atque ad ritum simplicem redigi, ratione diei Octavae ritum *duplicem* habentis tertia repellitur Oratio; hinc ut *unica* daretur norma, statutum est *congruentius* in Dominica qualibet infra Octavam ad Missas diei tertiam omittendam esse Orationem. 2. Quum antiquitus in Dominicis infra Octavas ageretur Officium ac Missa de die infra Octavam sub ritu *duplici*, uti

Digitized by Google

aliquas infra Octavas etiamnunc fit apud Carmelitas antiquae Observantiae iuxta ritum Hierosolymitanum; hinc Pius V restituens Officium integrum Dominicae occurrenti, exceptis Octavis Domini, noluit quidpiam circa numerum Orationum immutare, ne solemnitas Dominicae infra Octavam maius detrimentum aucto Orationum numero pateretur. 3. Aequum non esse videbatur, ut Missa Dominicae occurrentis tertiam Orationem e die infra Octavam acciperet, cui praevalet adimitque integrum Officium ac Missam; neque pariter consonum, ut Missa Dominicae occurrentis ordinariam suam tertiam Orationem retineret maiori dierum spatio recitandam, repulsa nempe Oratione tertia infra Octavam dumtaxat assumenda: hinc in Dominicae atque diei infra Octavam conflictu eamdem tertiam Orationem reposcentium, eandem omitti statuebatur. 4. Ratio autem solemnitatis a nonnullis Auctoribus admissa, nobis non probatur; nam si dies Octava integrum Officium ac Missam obtinens tertiam Orationem non depellit, non est cur eam repellat in Dominica in qua solam commemorationem asservat.

Missa item ferialis *tres* in Missali Romano *positas* exigit Orationes; et tamen infra Octavas, uti ex Rubrica speciali 14 Decembris resultat, Orationes ipsius Octavae *speciales*, suis amissis, illa mutuatur; quae influxum Officii occurrentis ad Missas, in quibus commemoratur, evidenter ostendit.

Missa Feriae IV Cinerum, utpote ferialis, et Missa cuiusvis Dominicae etiam maioris sub ritu semiduplici, tres equidem requirit Orationes; ast, si ad eam Commemoratio Sanctissimi Sacramenti solemniter expositi peragatur, iuxta Decretum sub n. 3574 ad V Quaestione 1–4, unica dicitur Oratio cui sub una conclusione adiicitur Commemoratio Sanctissimi Sacramenti, omissis aliis Orationibus et Collectis atque Commemorationibus. Inde porro, non solum Officii occurrentis, sed etiam Missae commemoratae asseritur influxus.

Attamen ne ipse influxus immerito extra Orationum numerum ac speciem extendatur, audiantur ea, quae clarus Menghini,

Digitized by Google

in opere *De Oratione Quadraginta Horarum*... (Romae 1904), ad pag. 62-63, observat: « In nostro casu, ut praecipitur, ita faciendum est, nempe omittentur *quaecumque* Commemorationes... Non tamen Oratio *super populum* omittenda est Feria IV Cinerum et Feriis II, III et IV Maioris Hebdomadae, cum ad Commemorationes non pertineat... Solemnitas tamen Expositionis (in casu nostro, solemnitas Festi duplicis) non influit in hoc, quod addi possit *Gloria* vel *Credo*, diebus in quibus Missa excepta est absque illis, verbi gratia, die Nativitatis S. Ioannis Baptistae quoad *Credo*, Dominica I Adventus quoad *Gloria*, Feria IV Cinerum quoad utrumque, quia Missa Conventualis (et privata) iuxta proprias Rubricas celebrari debet, *excepto Orationum numero*, sic lege (in casu nostro, iure Decretorum sub nn. 2542 ad 1 atque 2597 ad 1 et 2) disponente. Nec quod cantus adhibeatur solemnis, quando Missa (etiam Votiva ex Indulto, si non respondeat Officio suo sub ritu duplicis vel semiduplicis excolendo) exigit ferialem, verbi gratia, Feria IV Cinerum ».

Itaque, licet Commemoratio occurrentis Duplicis nihil influere possit in Missa votiva quoad *Gloria* et *Credo* et speciem cantus ferialis in Votivis exquisiti (1), influit tamen in numerum et qualitatem Orationum in eiusmodi Votiva habendarum.

Restat nobis, ut aliqua etiam de influxu Semiduplicis occurrentis in Missis votivis, in quibus commemoratur, opportune adiungamus. Et quoniam ubi eadem est ratio, ibi eadem viget legis dispositio; hinc, attento Duplicis influxu, si ad Missam votivam etiam privatim agendam commemoretur Semiduplex eo die occurrens, ternarius nequit excedi Orationum numerus, neque ulla Oratio pro Defunctis valet admitti. In Festis enim Semiduplicibus integrum eo die Officium ac Missam obtinentibus, ideoque etiam

(1) Enimvero, si Expositio Sanctissimi Sacramenti ratione Quadraginta Horarum Feria IV Cinerum occurrat, ad Missam ferialem, licet una tantum Feriae et Sacramenti sub una conclusione admittatur Oratio, Orationes tamen Missae necnon Praefatio et *Pater Noster* cantari debent in tono feriali, prouti ex Decreto sub n. 3574 ad V Quaestione 5 ordinatur.

Digitized by Google

ad Missas votivas memorandis, prohibentur: 1. Orationes plures in Missa ultra ternarium numerum addi pro Sacerdotum lubito, postque Commemorationes et Collectas ab Ordinario Loci impositas; sicuti ex Decreto sub n. 3832 ad 8 eruitur; 2. Aliqua pro Defunctis adiungi in eadem Missa Oratio, sive haec ad Celebrantium placitum sive de Ordinarii iussu eligatur; prouti ex Decreto sub n. 1322 ad 8 pariter declaratur.

Hinc ut patet, ultra ternarium numerum, plures ad Sacerdotis voluntatem Orationes et Collectae pro Defunctis tunc solummodo in Votiva possunt admitti, quum ipsa in diebus ritus simplicis aut ferialis habeatur, atque insuper privatim sine ulla Conventualis ratione celebretur, prouti Rubricae generales sub tit. V, n. 4, de Missis Defunctorum quotidianis disposuere, in quibus plures quam tres in eisdem Missis Orationes minime admittuntur.

Insuper hic advertere praestat, illud (nisi admittatur nostra sententia) exsurgere incommodum, quod in Missis eiusmodi votivis posset Oratio pro Defunctis in Duplicibus quamvis maioribus etiamque primae classis admitti; imoque infra Octavam Sanctissimi Corporis Christi, licet Duplicia tantum classica recipiat, et infra laetitiam Dominicae Nativitatis in tota Octava Defunctorum Commemorationes seu Missas communiter excludentem. Etenim si Officium diei non influat quidpiam in Votivis, eadem pro Defunctis Oratio, contra tamen Rubricas et Decreta, non potest in diebus hisce solemnioribus et Festis classicis prorsus excludi.

Neque infrequens erit casus, opinione nostra reiecta, ut Sacerdotum plerique nesciant in aliis maxime Sanctorum Votivis, quaenam tertio loco Oratio sit de Tempore vel de infra Octavam eligenda; quum, occurrente sine aliis in Officio diei peractis Commemorationibus Festo duplici, Kalendarium annuum nullimode secundam Orationem de Tempore vel de infra Octavam soleat indicare.

Ac demum, expensis in Commissione Liturgica et a Reverendissimo Domino Petro Piacenza Sacrae Rituum Congregatio-

Digitized by Google

nis Protonotario hisce dubiis, similis prorsus resolutio capta est, quam apposito Decreto per legitimam Auctoritatem brevi confirmatum iri non ambigebamus; prouti reapse per Decretum Sacrae Rituum Congregationis in una *Ordinis Fratrum Minorum* sub die 12 Maii anno 1905 (1) factum esse conspicimus.

Fr. PASCHALIS BRUGNANI O. F. M.
ex Academiae Liturgicae Romanae Censoribus.

# Consultationes.

## Dubiorum liturgicorum solutio.

PRO ALETIO.

Iuxta plura S. R. C. Decreta (cfr. Index Decr., pag. 251) laicis tempore divinorum Officiorum non licet in presbyterio stare vel sedere. Idem dicatur de laicis cuiuscumque Congregationis (S. R. C., 22 Ian. 1876, n. 3388 ad III et IV), necnon de laicis seu *Conversis* Regularibus, exceptis tamen illis, qui veste talari ac superpelliceo induti Clericorum munere funguntur (Gardellini, *Comment. ad Instr. Clem.*, § VII, n. 3). Imo ne Clerici quidem *absque superpelliceo* in presbyterio assistere possunt (S. R. C., 4 Mart. 1882, n. 3549 ad dub. ult.). Cfr. *Ephem. Liturg.*, vol. XVI, pag. 242, et vol. XVII, pag. 678; Menghini, *De Orat. XL Horar.*, pagg. 36, 102, 126.

PRO MISSIONE VERAPOLITANA.

1. Pius Pp. VI per Rescriptum S. C. de Propaganda Fide, 18 Mart. 1781, indulsit, ut, ubi campanae sonitus deest, fideles

(1) Hoc Decretum S. R. C. in proximo *Ephem. Liturg.* numero vulgabitur.

Digitized by Google

lucrari valeant indulgentias pro recitatione precis « *Angelus Domini* » concessas, si circa horas assignatas precem « *Angelus Domini* » vel « *Regina Coeli* » pro ratione temporis recitaverint (cfr. *Raccolta di orazioni e pie opere*, Roma, 1898, pag. 211).

2. Quoad candelarum numerum et qualitatem coram SS. Sacramento exposito, cfr. *Ephem. Liturg.* vol. XVII, pag. 388, ac vol. XIX, pag. 627 et 694.

3. Tam in Missa solemni quam in omnibus Missis privatis de Vigilia Pentecostes paramenta coloris *rubei* adhibenda sunt (Rubr. Miss., tit. XVIII, n. 3).

## Pro Gallia.

1. Si festum Apparitionis B. M. V. Immaculatae (11 Febr.) secundis Vesperis careat, in primis Vesperis, loco hymni *Ave, maris stella*, dicitur hymnus proprius de secundis Vesperis, ut alias dictum est (*Ephem. Liturg.*, vol. XIX, pag. 618).

2. Si in quodam Calendario, *a S. Sede approbato* antequam novissima Decretorum S. R. C. collectio prodiret, pro Officio S. Ioannis Chrysostomi perpetuo impedito assignata fuerit dies 19 Februarii, quia iuxta vetera Decreta (postea abrogata) dies 28 Ianuarii vacua relinquenda erat, praefatum Officium *absque indulto* anticipari nequit die 28 Ianuarii, nisi totum Calendarium reformetur. Cfr. *Ephem. Liturg.*, vol. XVIII, pag. 434.

## Pro Parma.

Si Dominica infra octavam Epiphaniae occurrat die 7 Ianuarii (uti hoc anno accidit), ubi eadem Dominica recolitur festum Inventionis D. N. I. C. in templo in medio Doctorum, ritu *dupl. mai.*, in secundis Vesperis Epiphaniae omittenda est commemoratio sequentis festi, quamvis diversum mysterium respicientis; hoc enim clare praescribitur in Rubrica speciali illius Officii. Sed die 7 Ian. facienda est commemoratio octavae in Officio et Missa.

Digitized by Google

# Cantus ecclesiasticus.

## EPISTOLA
## E.mi D. Cardinalis a Publicis Negotiis Secretarii de Kyrialis gregoriani Vaticana Editione.

*E.me ac Rev.me Domine mi Ob.me,*

Vaticana Kyrialis editio multas, ut Eminentiae Tuae compertum est, disceptationes, apud editores ceteros praesertim, commovit, ita quidem, ut pronum sit credere, minus iustas de eius indole opiniones fuisse diffusas. Hisce ut occurreret, illud Beatissimus Pater iussit me declarare Tibi, Vaticanam Editionem Kyrialis non equidem esse emissam, ut ad tempus tantummodo inserviret, sed esse vere et proprie authenticam, ita ut hic et nunc in usum deveniat apud omnes ecclesias. Huiusmodi autem authenticitatis character communisque pro praesenti tempore usus nihil obstare dicendi sunt quominus, si quando, Sanctae Sedis iudicio, mutationes aliquae afferendae esse videantur, eaedem induci in laudatum Kyriale, non proximo tamen tempore, possint. Interim Pontifex Summus non dubitat quin recentibus sacrorum concentuum formis Germania omnis obsecundet, eo vel magis quod eadem in natione, id est Argentorati, habita est non multo ante congressio de sacro gregoriano cantu, qua quidem congressione Beatissimus Pater iucunde est affectus.

Dum haec, Suae Sanctitatis mandato, pro Tua atque Archidioecesis notitia Tibi significo, peculiaris erga Te existimationis sensa profiteor, quibus manus Tibi humillime deosculor, ac permaneo

Eminentiae Tuae

Humillimus et addictissimus vere famulus
R. Card. MERRY DEL VAL

Romae, die XXVI Ianuarii a. 1906.

Dño Cardinali ANTONIO FISCHER,
Archiepiscopo Coloniensium,
Coloniam Agrippinam.

Digitized by Google

# Palaestra liturgica.

## SOLUTIO QUAESTIONIS
## pro mense Octobri 1905 propositae.

### De plurium Titularium Officio.

**Quaestio.** – Episcopus, qui duabus ecclesiis cathedralibus praeest, vel Sacerdos duabus ecclesiis stricte addictus, teneturne persolvere Officium Titularis utriusque ecclesiae ritu dupl. I classis cum octava, atque in Suffragiis Sanctorum commemorationem agere de utriusque ecclesiae Titulo?

### Prima solutio.

Quemadmodum decet et conveniens est maxime, ut diem onomasticam personarum nobis gratarum celebremus, a fortiori decens et maxime conveniens est ecclesiae, cui quis stricte qua pastor animarum adscriptus est, diem onomasticam, quae est Festum illius Titularis, celebrari ritu congruente. Quinimo hanc convenientiam et competentiam in obligationem Sancta nostra Ecclesia commutavit, praescribens, ut Titularis Festum in quibusvis ecclesiis publicisque oratoriis (etiam semipublicis) vel consecratis vel saltem solemniter benedictis, quae publico usui plus minus deserviunt (Decr. S. R. C. n. 4025[3]), quotannis a toto eisdem adscripto clero sub ritu dupl. I cl. cum octava celebretur.

Quum vero cuique obligationi ius, quo quis frui possit, correspondeat, in nostro quoque casu obligationi celebrandi Titulum correspondet seu potius adhaeret ius, quo gaudet quaecumque ecclesia seu oratorium suum Titulum celebrari curandi.

His praemissis, haud difficile erit enodare quaestionem problematicam, an Episcopus, qui duabus ecclesiis cathedralibus praeest, vel parochus duabus ecclesiis stricte adscriptus teneatur

Digitized by Google

nec ne persolvere officium. Titularis utriusque ecclesiae, et quatenus affirmative, quo ritu.

Haud difficilem iudicavimus enodationem problematis, cum in aprico sit, iure ad recolendum suum Titularem utramque in casu ecclesiam pollere, quapropter huic iuri conformiter etiam obligatio quemdam onerare debet celebrandi earumdem ecclesiarum diem onomasticam seu Titularis Festum.

Quis autem sit haec ad celebrandum Titularem obligata persona, iam non est dubium; S. R. C. enim centies declaravit, ad id obligatos esse respectivae ecclesiae stricte adscriptos clericos.

Nihil autem refert, quod quaedam ecclesia talem episcopum vel sacerdotem habeat adscriptum, qui forsitan alteri quoque ecclesiae sit adscriptus; nec suum ad proprium Titularem celebrandum ius propter hanc circumstantiam utracunque ecclesia perire potest. Hinc si episcopus vel sacerdos duabus ecclesiis sit scricte adscriptus, quis dubitet, eundem ad celebrandum Titulum utriusque ecclesiae stricte obligatum esse? (Cf. S. R. C. decr. n. 2002[5]).

Excipe solummodo casum, quo alterutra ex dictis ecclesiis temporis cursu corruta vel obruta sit, quia quod non est et non existit, nec ius habere potest.

E contra autem, si Titularis dirutae vel corrutae ecclesiae translatus sit ad altare ecclesiae superstitis, hoc in casu idem in eiusdem die festo tamen celebrandum manet (S. R. C. decr. n. 477[3]; Cavalieri: tom. I. dec. 26, n. I-XI.).

Notatu dignum erit, si episcopus duabus dioecesibus vel parochus duabus ecclesiis sit addictus, minime tamen obligationem etiam eorumdem subditos, ergo clerum dioecesanum, respective cooperatores pari ac Episcopum modo aggravare; quapropter eorum quivis suae propriae Cathedralis respective ecclesiae solummodo Titularem celebrare debent.

Quod vero ritum attinet, quo in nostro casu Episcopus sive sacerdos utriusque suae ecclesiae Titularem celebrare debeat, quemadmodum utraque ecclesia ius habet ad Titulum suum celebrandum, ita etiam ius habet ad idem celebrandum ritu, quem

Digitized by Google

Ecclesia in recolendo Titulo generatim praescribit; quapropter sive episcopus sit duabus cathedralibus, sive sacerdos duabus ecclesiis stricte adscriptus, utriusque Titulus sub ritu dupl. I cl. cum octava celebrari debet.

In casu supradicto specialissimo, quo scil. ecclesiae dirutae Titularis translatus est ad altare ecclesiae superstitis, eiusdem Titulus tantummodo ritu semiduplici est recolendus, ut hoc patet ex decreto S. R. C. n. 4773.

Quod alteram denique quaestionem propositam in pagellis nostrarum Ephem. attinet, an sc. debeat in casu, quod episcopus vel presbyter duabus ecclesiis est adscriptus, in suffragiis Sanctorum commemorari utriusque ecclesiae Titulus, pariter iam per se ex supradictis patebit.

Si enim quaelibet ecclesia publica ius habet ad Titulum suum recolendum ritu debito et praescripto, altera ex parte autem ad recolendum Titulum ecclesiarum pertinet commemoratio eiusdem in suffragio (diebus respectivis), procul dubio utrique Ecclesiae in nostro casu ius inhaeret suum Titulum commemorandi in suffragiis, eoque magis, quia etiam si una eademque ecclesia habeat plures Titulares aeque principales, unumquemque in sufragiis commemorare debere sat cognitum est.

Si duae vel plures dioeceses vel parochiae – ut in casibus supradictis – omnino et prorsus uniantur et coniungantur, seu si ex duabus facta sit una: episcopus vel respective parochus deinceps solummodo Titulum ecclesiae recens ortae dioeceseos vel resp. parochiae recolere debet.

GUILLELMUS TOWER
Mansionarius in Lakompak (Hungaria).

### Altera solutio.

De iurisprudentia currente est et extra controversiam positum, quod 1° in quibusvis ecclesiis publicisve oratoriis, vel consecratis vel saltem solemniter benedictis, relativum Titularis festum quotannis est recolendum sub ritu dupl. I cl. cum octava.

Digitized by Google

2° Relativi Titularis festum a toto clero, si extiterit, vel a sacerdote rectore ecclesiae aut publico oratorio addicto, *per integrum Officium* celebrandum est; secus, in defectu cuiusvis cleri, *per solas Missas* iuxta Rubricas (1). 3° Quilibet, sive saecularis, sive regularis, alicuius ecclesiae servitio, quocumque canonico titulo, addictus, dummodo ecclesia sit publica etsi non consecrata, tenetur tam in Vesperis quam in Laudibus, diebus a Ruhrica notatis, inter suffragia commemorationem agere de eiusdem ecclesiae Titulo, non obstante quacumque consuetudine contraria, etiam immemorabili, et quamvis commemoratio iam soleat fieri Patronorum loci vel regionis (2).

Atvero, pluralitate ecclesiarum, quibus addictus est Episcopus vel sacerdos rector, attenta, hic quaeritur: 1° An et quomodo in casu sit recolendum utriusque ecclesiae festum Titularis? 2° An sit unius et alterius commemoratio in suffragiis Sanctorum agenda?

I. *Ad primum*, duae supponuntur ecclesiae cathedrales vel parochiales inter se distinctae et separatae. Ambae manent independentes in suo statu et honore respectivis, et quamvis unum eumdemque Episcopum vel Parochum recognoscant, ipsae seorsim semper ab invicem distinctae perseverant, perinde ac si duobus Episcopis vel Parochis personaliter distinctis obedirent; unde Episcopus ipse vel Parochus qui eisdem praesidet, gerit vices duorum, et quatenus rector unius ex dictis ecclesiis, non se ingerit nec ingerere potest in negotiis alterius, sed solum quatenus est huius rector.

Quid exinde putandum quoad celebrationem Titularium? Si De Herdt audiamus, Episcopus vel Sacerdos rector duabus ecclesiis adscriptus tenetur de ambarum ecclesiarum Titulari *officium* recitare sub ritu dupl. I cl. cum octava, et cl. auctor affert in probationem decretum diei 24 Sept. 1842, n. 2849, rem declarans in Parocho verificari, qui alternatim nunc in una, nunc in altera ecclesia

(1) S. R. C. 5 Iunii 1899, n. 4025, ad I et IV.
(2) S. R. C. 27 Iunii 1899, n. 4043 ad 1.

Digitized by Google

celebrare tenetur officia; vel qui duas parochias regit, licet in un constanter resideat; aut qui praeter suam parochialem ecclesiam habet alteram vi canonicae institutionis in deservituram (*Sacrae Liturgiae Praxis*, Tom. II, n. 222).

Similiter Gobat (Tract. 3, n. 696, append. 2, lit. yy) dubium proponit: Num, si alicui committantur integre cum iure ad praebendae fructus duae vel tres Parochiae, uti alicubi non semel factum esse asserit temporibus bellicis, possit ille singularum Dedicationes et Patronos una cum Octavis excolere? Et respondet usum adesse talia *officia* celebrandi, cum unius et alterius ecclesiae cura fuit illi commissa (Apud Cavalieri, Tom. I, cap. II, dec. 26, n. 5).

Parumque refert, subdit Cavalerius, utrum praeter propriam ecclesiam Episcopus vel Parochus praesit alteri accessorie vel aeque principaliter. Si 1°, de Titulari ecclesiae accessoriae fieri debet *officium* dupl. I cl. cum Octava per ecclesiam principalem ad quam revera, licet accessorie, spectat. Si 2°, a fortiori de illius Titulari agendum est sub rit. dupl. I cl. cum Octava, quia tunc singulae sunt aeque principales, et idcirco ambae se habere debent, quasi duobus rectoribus personaliter distinctis subiicerentur. Caeterum collatio utriusque ecclesiae ad unam et eamdam personam operatur quod utraque ecclesia similiter est propria ecclesia praefati Episcopi vel Parochi; et sic ille tenetur utriusque Titularis celebrare *officium*.

In contrarium sentit Guyetus in sua *heortologia* (Lib. II, cap. 17, q. 5), ubi legimus: « Qui dignitatem aut Canonicatum aut aliud simile beneficium in duabus pluribusve ecclesiis cathedralibus et collegatis obtinet, debet in privata recitatione illius ecclesiae festa propria celebrare apud quam residet, non autem aliarum. Quod si in nulla resideat, satis est ut in festis celebrandis rationem habeat dignioris, aut si aequales sunt, utrius volet.

Prima pars, quod illius ecclesiae in qua residet, festa propria debeat celebrare, probatur a pari. Ex eo quod sentiat D. Thomas (*Quodlibet. I, art. 3*), caeterique post eum Doctores, quos citat



Digitized by Google

et sequitur Azor (*Lib. 10, 1ae Part., cap. 11, quaest. 11*), eum qui in duabus ecclesiis beneficia possidet, si diversam ambae illae ecclesiae Breviarii formam habeant, *iure communi antiquo*, ea privatim uti debere quae illius ecclesiae propria est apud quam residet; ergo et *iure novo*, utens Breviario Romano, debet illius ecclesiae festa celebrare apud quam commoratur.

Secunda pars, quod aliarum non debeat, inde colligi potest quod, quamdiu in una ecclesia moratur, illius ecclesiae morem ex dictis sequi debet. Atqui ecclesia illa tam prohibet aliena festa fieri quam iubet propria. Ergo apud eam residens, debet tantum propria illius facere, non vero aliena. Adde quod magna hinc confusio oriretur, magnaque feriarum strages, si de cuiusque illarum ecclesiarum festis propriis a beneficiato isto recitaretur officium.

Tertia denique pars consequens est ex duabus prioribus, ac simili constans argumentatione, quae itidem valet pro eo, qui in una eademque civitate domicilium habens, in pluribus ecclesiis beneficium obtinet, quas vicissim adire potest; is enim dignioris dumtaxat in privata recitatione debet habere rationem. In hac tamen et priori responsione casus unus excipiendus mihi videtur, si nimirum beneficiatus praesens adsit in festo solemni principali ecclesiae minus dignae; ut enim tum in Choro cantans cum aliis Officio satisfacit, sic et privatim recitans satisfacere omnino putandus est ».

Quomodo autem concludere post tantos Doctores inter se dissentientes? Superest ut interrogentur decreta, et videre est pro quo stent posteriora.

Servatum quidem est in nova collectione decretum, supramemoratum diei 24 Sept. 1842, quo declaratur Bellocchi parochum dioecesis Nucerinae una simul teneri *ad officium* sancti Gregorii, Titularis suae parochialis ecclesiae, et insuper *ad officium sancti Paterniani*, Titularis alterius ecclesiae, in eodem pago existentis (n. 2849). Sed illi contradicunt plura alia sequentia decreta.

Digitized by Google

Primo, ad preces R.mi Vicarii Apostolici Bombayen.: « Num Missionarius pluribus ibi ecclesiis adscriptus, dum in una tantum proprie residet, teneatur ad celebrandum officium Titularium omnium illarum ecclesiarum, idque sub ritu dupl. 1. cl. cum Octava? ». Sacra Rituum Congregatio, exquisito antea voto alterius ex Apost. Caerem. Magistris, sic rescribere rata est: « Negative, attentis particularibus circumstantiis; sed tantum ecclesiae, apud quam residere solet, vel dignioris » (S. R. C. 25 Aug. 1882, n. 3554).

Secundo, Coadiutor R.mi Archiepiscopi Cincinnaten. humiliter efflagitavit: « Missionarii, uno eodemque tempore septem diversis ecclesiis uti rectores stricte addicti, tenenturne de singulis earum Titularibus celebrare festa cum officiis et Missis sub ritu dupl. I cl. cum octava iuxta Rubricas? ». Et, audita alterius ex Apost. Caerem. Magistris sententia, responsum est: « Negative, iuxta decretum in una Vicariatus Apostolici Bombayen. Septentrinalis, diei 25 Aug. 1882 » (S. R. C. 27 Febr. 1883, n. 3571).

Tertio, Episcopo Oveten. proponente: « Ex parochis sunt nonnulli qui aliam ecclesiam (vel sacellum) habent praeter parochialem, non tamen stricte filialem declaratam; sed ex antiquo, annuente Episcopo, pro commoditate fidelium longe a Parochia degentium, ibidem per se vel per alium Missam celebrant et in nonnullis sacramenta praeter baptismum administrant. Tenenturne ad officium Titularis praefatae ecclesiae recitandum? » Responsio fuit: « Negative » (S. R. C. 11 Augusti 1877, n. 3431, Pars I, ad VII).

Quarto, exponitur quod, non obstante existentia ecclesiae S. Dionysii, attamen propter eius arctitudinem translatum fuit beneficium curatum ei adnexum ad aliam ecclesiam S. Francisci in districtu Paroeciae existentem; et ad quaesitum: an Parochus S. Francisci teneatur ad celebrandum duos Titulares? Roma dixit: « Celebret festum S. Francisci in ecclesia S. Francisci; festum S. Dionysii in ecclesia succursali sancti Dionysii » (S. R. C., Iunii 1880, n. 3515, dub. V ad 2).

Digitized by Google

Neque dicas hoc potius vergere ad confirmationem decreti diei 24 Sept. 1842, quam in oppositum. Res ita se haberet, si Congregatio vocem « officium » adhibuisset; sed verbo « festum » usa est cunsulto ad reservandum ius Titularis S. Dionysii *ad Missam* in sua ecclesia, quod nunquam Titulares deperdere valent. Itaque, cum S. R. C. compererit nonnullus irrepsisse abusus circa Titularium festa celebranda, per novissimum decretum generale declaravit: « Relativi Titularis festum a toto clero, si extiterit, vel a sacerdote rectore, ecclesiae aut publico oratorio addicto, per integrum officium celebrabitur (talis est casus ecclesiae S. Erancisci); secus, in defectu cuiusvis Cleri (talis est casus ecclesiae S. Dionysii), per solas Missas iuxta Rubricas », id est dummodo in ipsa ecclesia praelaudati S. Dionysii Missa celebretur in incidentia illius festi, quia generaliter omnes et singuli sacerdotes ex decreto 3862 celebrare debent conformiter ad Kalendarium ecclesiae vel Oratorii publici, ubi Missam peragunt (S. R. C., 5 Iunii 1899, n. 4025, ad IV).

Quinto denique, R.mus Bolognesi Episcopus Bellunen. et Feltren., inquirens: « Quo ritu ipse Episcopus recitabit officia Ss. Patronorum principalium vel aliorum sanctorum unius vel alterius suae dioeceseos », pro responso habuit, audito Commissionis Liturgicae voto: « Rmus Episcopus recitet officia, de quibus in casu, sub ritu quo recoluntur in Dioecesi, in qua actu moratur » (S. R. C., 28 Maii 1898, n. 3993, dub. I). Cfr. etiam Decreta S. R. C., 17 Jan. 1880, n. 3508, et 4 Febr. 1898, n. 3979, dub. VI.

Hinc, sententiam Guyeti tenentes, opinamur Episcopum vel sacerdotem pluribus ecclesiis addictum debere tantum *in recitatione officii* festa propria illius ecclesiae celebrare apud quam residere solet, et si in nulla resideat, satis esse ut in sequendo Kalendario rationem habeat ecclesiae dignioris, aut si aequales sint, utrius volet. Aliter, per transitionem passim repetitam de uno Kalendario ad alterum, unitas recitationis abrumperetur; magna hinc confusio oriretur; saepe beneficiarius ille, praeter magnam feriarum stragem quae hodie non satis aestimatur, occupatus foret in celebrandis

Digitized by Google

propriis festis et Octavis; et mixtus inde resultaret ordo, qui neutri ecclesiae conveniret: quod implicat. Qua de causa, arbitramur, decretum oppositum 24 Sept. 1842 et alterum antiquius 5 Iulii 1698, n. 2002[5], per inadvertentiam conservata fuisse in nova collectione officiali, aut aliter nunc Congregationem sentire, et proinde posteriora decreta praevalere, eisque standum esse iuxta solitum.

Exquirente Archiepiscopo *Gnesen.* et *Posnanien.*, quemnam Ordinem divini Officii sequi deberet, cum utraque dioecesis, cui praeerat, diversum Ordinem haberet, S. R. Congregatio die 3 Martii 1866 (n. 5359 vet. collect.), respondit: « Ad libitum Archiepiscopi, servatis tamen festis Patronorum et Dedicationis *utriusque ecclesiae* »; hoc autem responsum e nova decretorum collectione expunctum est. Item per decretum d. 16 Sept. 1865, n. 3140, declaratum est a S. R. C., quod Canonici cathedralis ecclesiae *Concordien.*, qui divinum Officium canunt in ecclesia concathedrali a S. Andrea nuncupata, celebrare tenentur festa Titularis et Dedicationis *utriusque ecclesiae*, et quidem cum octava; postea vero eadem S. R. C., die 23 Nov. 1888, n. 3696, declaravit, « praefatum Capitulum teneri ad Officia specialia ecclesiae *auxiliaris* tamquam propriae, utpote ad Officia Dedicationis et Titularis *unius ecclesiae* ». Contrariam igitur nonnullorum opinionem (cfr. *Ephem. Liturg.*, vol. XIII, pag. 153, et vol. XIV, pagg. 445-446) derelinquere cogimur.

Quoad Missam, mirum non est quod ea celebretur iuxta Kalendarium uniuscuiusque ecclesiae, independenter ab officio celebrantis, quum impraesentiarum, exceptis diebus in quibus Rubricae Missalis permittunt Missam de Requie vel votivam vel de feria occurrenti, semper concordare debeat cum officio ecclesiae, in qua actu celebratur (S. R. C., 9 Iulii 1895, n. 3862).

II. *Ad secundum* habetur iam vetus decretum, ubi S. R. C., ad preces Archipresbyteri Cathedralis Neritonen. declaravit, « Beneficiatos non teneri quotidie facere commemorationem de Sancto seu Sanctis Titularibus utriusque beneficii simplicis » (2 Apr. 1667, n. 1354[1]).

Digitized by Google

Atvero, magis ad rem venit decretum Halifaxien., ubi legimus: « Quum Episcopus praeter cathedralem alias habeat ecclesias, ex quibus fructum aliquem ad eius sustentationem percipit, debetne ipse, quando suffragia sanctorum agenda sunt, commemorationem de earum ecclesiarum Titularibus addere; an sufficit commemoratio tantum de propriae cathedralis Titulari? Et an eadem ratio vigeat pro Missionario qui alias habeat ecclesias, praeter principalem? ». Porro, exquisito voto alterius ex Ap. Caer. Magistris, S. R. C. respondendum censuit: « Tenetur tantum ad commemorationem Titularis ecclesiae cathedralis; Missionarius vero, cui plurium ecclesiarum cura commissa est, tenetur ad commemorationem tantum de Titulari ecclesiae dignioris, vel ecclesiae apud quam residere debet: ad tramitem decreti dati pro Vicariatu Apostolico Bombayen. Septentrionali, sub die 25 Aug. 1882 » (S. R. C., 16 Aprilis 1886, n. 3661, ad II). Unde hic episcopus aut missionarius pluribus ecclesiis addictus ad unam tantum tenetur commemorationem, scilicet vel Titularis residentiae, vel Titularis ecclesiae dignioris.

Ratio caeterum liturgica hoc confirmat. Quippe commemoratio Tituli in suffragiis ab iisdem fit, a quibus officium recitatur; adest enim inter unum et alterum correlatio, teste decreto diei 2 Sept. 1871, n. 3255, dub. II. Hinc nostra extra controversiam videtur conclusio posita.

A. FOURNERET
ex Acad. Liturg. Rom. Censoribus.

## QUAESTIO A CONSOCIATIS SOLVENDA pro mense Aprili 1906.

### De altari Sepulcri.

Quaenam normae servandae sunt in designando exornandoque altari Sepulcri, ubi feria V et VI maioris hebdomadae Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum publicae adorationi exponitur?

Digitized by Google

# Appendix.

## S. CONCILII CONGREGATIO

### I.

### DECRETUM
### De quotidiana SS. Eucharistiae sumptione.

Sacra Tridentina Synodus, perspectas habens ineffabiles quae Christifidelibus obveniunt gratiarum divitias, sanctissimam Eucharistiam sumentibus (*Sess. 22, cap. 6*), ait: *Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent.* Quae verba satis aperte produnt Ecclesiae desiderium ut omnes Christifideles illo coelesti convivio quotidie reficiantur, et pleniores ex eo sanctificationis hauriant effectus.

Huiusmodi vero vota cum illo cohaerent desiderio, quo Christus Dominus incensus hoc divinum Sacramentum instituit. Ipse enim nec semel nec obscure necessitatem innuit suae carnis crebro manducandae suique sanguinis bibendi, praesertim his verbis: *Hic est panis de coelo descendens; non sicut manducaverunt patres vestri manna et mortui sunt: qui manducat hunc panem vivet in aeternum* (Ioan. VI, 59). Ex qua comparatione cibi angelici cum pane et manna facile a discipulis intelligi poterat, quemadmodum pane corpus quotidie nutritur, et manna in deserto Hebraei quotidie refecti sunt, ita animam christianam caelesti pane vesci posse quotidie ac recreari. Insuper quod in oratione Dominica exposci iubet *panem nostrum quotidianum*, per id Ss. Ecclesiae Patres fere unanimes docent, non tam materialem panem corporis escam, quam panem eucharisticum quotidie sumendum intelligi debere.

Desiderium vero Iesu Christi et Ecclesiae, ut omnes Christifideles quotidie ad sacrum convivium accedant, in eo potissimum est

Digitized by Google

ut Christifideles, per sacramentum Deo coniuncti, robur inde capiant ad compescendam libidinem, ad leves culpas quae quotidie occurrunt abluendas, et ad graviora peccata, quibus humana fragilitas est obnoxia, praecavenda: non autem praecipue ut Domini honori ac venerationi consulatur, nec ut sumentibus id quasi merces aut praemium sit suarum virtutum (S. August. *Serm. 57 in Matth., De Orat. Dom. n. 7*). Unde S. Tridentinum Concilium Eucharistiam vocat *antidotum quae liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur* (*Sess. 13, cap. 2*).

Hanc Dei voluntatem priores Christifideles probe intelligentes, quotidie ad hanc vitae ac fortitudinis mensam accurrebant. *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis* (*Act.*, II, 42). Quod saeculis posterioribus etiam factum esse, non sine magno perfectionis ac sanctitatis emolumento, Sancti Patres atque ecclesiastici Scriptores tradiderunt.

Defervescente interim pietate, ac potissimum postea, Ianseniana lue undequaque grassante, disputari coeptum est de dispositionibus, quibus ad frequentem et quotidianam Communionem accedere oporteat, atque alii prae aliis maiores ac difficiliores, tamquam necessarias, expostularunt. Huiusmodi disceptationes id effecerunt, ut perpauci digni haberentur qui SS. Eucharistiam quotidie sumerent, et ex tam salutifero sacramento pleniores effectus haurirent; contentis ceteris eo refici aut semel in anno, aut singulis mensibus, vel unaquaque ad summum hebdomada. Quin etiam eo severitatis ventum est, ut a frequentanda caelesti mensa integri coetus excluderentur, uti mercatorum, aut eorum *qui essent matrimonio coniuncti*.

Nonnulli tamen in contrariam abierunt sententiam. Hi arbitrati Communionem quotidianam iure divino esse praeceptam, ne dies ulla praeteriret a Communione vacua, praeter alia a probato Ecclesiae usu aliena, etiam feria VI in Parasceve Eucharistiam sumendam censebant, et ministrabant.

Ad haec Sancta Sedes officio proprio non defuit. Nam per decretum huius Sacri Ordinis, quod incipit *Cum ad aures*, diei 12 mensis Februarii anni 1679, Innocentio PP. XI adprobante, errores huius-

Digitized by Google

modi damnavit et abusus compescuit, simul declarans omnes cuiusvis coetus, mercatoribus atque coniugatis minime exceptis, ad Communionis frequentiam admitti posse, iuxta singulorum pietatem et sui cuiusque Confessarii iudicium. Die vero 7 mensis Decembris anni 1690, per decretum *Sanctissimus Dominus noster* Alexandri PP. VIII, propositio Baii, purissimum Dei amorem absque ullius defectus mixtione requirens ab iis qui ad sacram mensam vellent accedere, proscripta fuit.

Virus tamen ianseniānum, quod bonorum etiam animos infecerat, sub specie honoris ac venerationis Eucharistiae debiti, haud penitus evanuit. Quaestio de dispositionibus ad frequentandam recte ac legitime Communionem Sanctae Sedis declarationibus supervixit: quo factum est ut nonnulli etiam boni nominis Theologi, raro et positis compluribus conditionibus, quotidianam Communionem fidelibus permitti posse censuerint.

Non defuerunt aliunde viri doctrina ac pietate praediti, qui faciliorem aditum praeberent huic tam salubri Deoque accepto usui, docentes, auctoritate Patrum, nullum Ecclesiae praeceptum esse circa maiores dispositiones ad quotidianam, quam ad hebdomadariam aut menstruam Communionem; fructus vero uberiores longe fore ex quotidiana Communione, quam ex hebdomadaria aut menstrua.

Quaestiones super hac re diebus nostris adauctae sunt et non sine acrimonia exagitatae; quibus Confessariorum mentes atque fidelium conscientiae perturbantur, cum christianae pietatis ac fervoris haud mediocri detrimento. A viris idcirco praeclarissimis ac animarum Pastoribus SS.mo D.no Nostro Pio PP. X enixae preces porrectae sunt, ut suprema Sua auctoritate quaestionem de dispositionibus ad Eucharistiam quotidie sumendam dirimere dignaretur: ita ut haec saluberrima ac Deo acceptissima consuetudo non modo non minuatur inter fideles, sed potius augeatur et ubique propagetur, hisce diebus potissimum, quibus Religio ac fides catholica undequaque impetitur, ac vera Dei caritas et pietas haud parum desideratur. Sanctitas vero Sua, cum Ipsi maxime cordi sit, ea qua pollet sollicitudine ac studio, ut christianus populus ad Sacrum Convivium perquam frequenter et

Digitized by Google

etiam quotidie advocetur eiusque fructibus amplissimis potiatur, quaestionem praedictam huic Sacro Ordini examinandam ac definiendam commisit.

Sacra igitur Concilii Congregatio in plenariis Comitiis diei 16 mensis Dec. 1905 hanc rem ad examen accuratissimum revocavit, et rationibus hinc inde adductis sedula maturitate perpensis, ea quae sequuntur statuit ac declaravit:

1. Communio frequens et quotidiana, utpote a Christo Domino et a Catholica Ecclesia optatissima, omnibus Christifidelibus cuiusvis ordinis aut conditionis pateat; ita ut nemo, qui in statu gratiae sit et cum recta piaque mente ad s. mensam accedat, prohiberi ab ea possit.

2. Recta autem mens in eo est, ut qui ad sacram mensam accedit non usui, aut vanitati, aut humanis rationibus indulgeat, sed Dei placito satisfacere velit, ei arctius caritate coniungi, ac divino illo pharmaco suis infirmitatibus ac defectibus occurrere.

3. Etsi quam maxime expediat ut frequenti et quotidiana Communione utentes, venialibus peccatis, saltem plene deliberatis, eorumque affectu sint expertes, sufficit nihilominus ut culpis mortalibus vacent, cum proposito se nunquam in posterum peccaturos: quo sincero animi proposito, fieri non potest quin quotidie communicantes a peccatis etiam venialibus, ab eorumque effectu sensim se expediant.

4. Cum vero Sacramenta Novae Legis, etsi affectum suum ex opere operato sortiantur, maiorem tamen producant effectum quo maiores dispositiones in iis suscipiendis adhibeantur, idcirco curandum est, ut sedula ad sacram Communionem praeparatio antecedat, et congrua gratiarum actio inde sequatur, iuxta uniuscuiusque vires, conditionem ac officia.

5. Ut frequens et quotidiana Communio maiori prudentia fiat uberiorique merito augeatur, oportet ut Confessarii consilium intercedat. Caveant tamen Confessarii ne a frequenti seu quotidiana Communione quemquam avertant, qui in statu gratiae reperiatur et recta mente accedat.

Digitized by Google

6. Cum autem perspicuum sit, ex frequenti seu quotidiana S. Eucharistiae sumptione unionem cum Christo augeri, spiritualem vitam uberius ali, animam virtutibus effusius instrui, et aeternae felicitatis pignus vel firmius sumenti donari, idcirco Parochi, Confessarii et Concionatores, iuxta probatam Catechismi Romani doctrinam (*Part. II, cap. 4, n. 60*), christianum populum ad hunc tam pium ac tam salutarem usum crebris admonitionibus multoque studio cohortentur.

7. Communio frequens et quotidiana praesertim in religiosis Institutis cuiusvis generis promoveatur; pro quibus tamen firmum sit decretum ***Quemadmodum*** diei 17 mensis Decembris 1890 a S. Congr. Episcoporum et Regularium latum. Quam maxime quoque promoveatur in clericorum Seminariis, quorum alumni altaris inhiant servitio; item in aliis christianis omne genus ephebeis.

8. Si quae sint Instituta, sive votorum solemnium sive simplicium, quorum in regulis aut constitutionibus, vel etiam calendariis, Communiones aliquibus diebus affixae et in iis iussae reperiantur, hae normae tamquam mere *directivae* non tamquam *praeceptivae* putandae sunt. Praescriptus vero Communionum numerus haberi debet ut quid minimum pro Religiosorum pietate. Idcirco frequentior vel quotidianus accessus ad eucharisticam mensam libere eisdem patere semper debebit, iuxta normas superius in hoc decreto traditas. Ut autem omnes utriusque sexus Religiosi huius decreti dispositiones rite cognoscere queant, singularum domorum moderatores curabunt, ut illud quotannis vernacula lingua in communi legatur intra Octavam festivitatis Corporis Christi.

9. Denique, post promulgatum hoc Decretum, omnes ecclesiastici scriptores a quavis contentiosa disputatione circa dispositiones ad frequentem et quotidianam communionem abstineant.

Relatis autem his omnibus ad SS.mum D. N. Pium PP. X per infrascriptum S. C. Secretarium in audentia diei 17 mensis Decembris 1905, Sanctitas Sua hoc E.morum Patrum decretum ratum habuit, confirmavit atque edi iussit, contrariis quibuscumque minime obstantibus. Mandavit insuper ut mittatur ad omnes locorum Ordinarios et Praelatos Regulares, ad hoc ut illud cum suis Seminariis,

Digitized by Google

Parochis, Institutis religiosis et Sacerdotibus respective communicent, et de executione eorum, quae in eo statuta sunt, S. Sedem edoceant in suis relationibus de Dioecesis seu Instituti statu.

Datum Romae, die 20 Decembris 1905.

† VINCENTIUS, Card. Episc. Praenest., *Praefectus.*

L. ✠ S. CAIETANUS DE LAI, *Secretarius.*

II.

## DECRETUM
## De Seminariorum alumnis.

Vetuit S. Tridentina Synodus ad sacros ordines ascendere, vel ordines iam susceptos exercere eos omnes qui a suo Episcopo fuerint etiam extraiudicialiter prohibiti. Ita namque in *cap. 1, Sess. 14 de reform.* statuitur:

« Cum honestius ac tutius sit subiecto, debitam Praepositis obedientiam impendendo, in inferiori ministerio deservire, quam cum Praepositorum scandalo graduum altiorum appetere dignitatem; ei, cui ascensus ad sacros ordines a suo Praelato, ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extraiudicialiter, fuerit interdictus, aut qui a suis ordinibus seu gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius Praelati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus et dignitates sive honores, restitutio suffragetur ».

Cum vero generalis haec lex Seminariorum quoque alumnos comprehendat, si quis eorum, sive clericus sive clericatui adhuc non initiatus, e pio loco dimittatur eo quod certa vocationis signa non praebeat, aut qualitatibus ad ecclesiasticum statum requisitis non videatur instructus, hic certe deberet, iuxta grave S. Concilii monitum, sui Pastoris iudicio subesse et acquiescere.

At contra saepe contingit ut e Seminario dimissi, eorum qui praesunt iudicium parvipendentes et in sua potius opinione confisi, ad sacerdotium nihilominus ascendere studeant. Quaeritant itaque aliud Seminarium, in quod recipiantur, ubi studiorum cursum expleant,

Digitized by Google

ac denique aliquo exhibitò plus minusve sincero ac legitimo domicilii aut incardinationis titulo, ordinationem assequuntur. Sanctuarium autem ingressi haud recta via, quam saepissime fit ut Ecclesiae utilitati minime sint. Passim vero utrumque Ordinarium, et originis et ordinationis, diu fastidioseque vexant ut sibi liceat ad natale solum regredi, ibique consistere, dioecesi in qua et pro qua ordinati sunt derelicta, et alia optata, pro cuius necessitate aut utilitate minime assumpti sunt, ubi imo eorum praesentia otiosa est et quandoque etiam damnosa: unde Episcopi in graves angustias coniiciuntur.

His itaque de causis nonnullarum provinciarum Episcopi inter se convenerunt statuentes in sua Seminaria neminem admittere qui ante fuerit a proprio dimissus.

Sed cum particularis haec conventio non plene neque undique sufficeret, complures Ordinarii S. Sedem rogaverunt ut generalem legem ferret, qua malum radicitus tolleretur.

His itaque attentis, et omnibus ad rem mature perpensis, SS.mus D. N. Pius PP. X, cui cordi quam maxime est ecclesiasticam disciplinam integram conservare, et a sacris avertere quemlibet qui probatissimus non sit, accedente etiam voto Em.$^{um}$ S. C. Concilii Patrum in Congregatione diei XVI mensis Decembris 1905 emisso, praesentibus litteris statuit atque decernit:

1. Ut in posterum nullus loci Ordinarius alterius dioecesis subditum sive clericum sive laicum in suum Seminarium admittat, nisi prius secretis litteris ab Episcopo Oratoris proprio expetierit et cognoverit, utrum hic fuerit olim e suo Seminario dimissus. Quod si constiterit, omittens iudicare de causis, aut determinare utrum iuste an iniuste alius Episcopus egerit, aditum in suum Seminario postulanti praecludat.

2. Qui vero bona fide admissi sunt, eo quod reticuerint se antea in alio Seminario versatos esse et ab eo deinde dimissos, statim ut haec eorum conditio cognoscatur, admonendi sunt ut discedant. Quodsi permanere velint, et ab Ordinario id eis permittatur, eo ipso huic dioecesi adscripti maneant, servatis tamen canonicis regulis pro eorum incardinatione et ordinatione; sed aucti sacerdotio in dioe-

Digitized by Google

cesim, e cuius Seminario dimissi fuerint, regredi ibique stabile domicilium habere prohibentur.

3. Pariter cum similis ferme ratio vigeat, qui dimissi ex Seminariis aliquod religiosum Institutum ingrediuntur, si inde exeant postquam sacris initiati sunt, vetantur in dioecesim redire, e cuius Seminario dimissi fuerint.

4. Dimissi vero ex aliquo religioso Instituto in Seminarium ne admittantur, nisi prius Episcopus secretis litteris a moderatoribus eiusdem Iustituti notitias requisierit de moribus, indole et ingenio dimissorum, et constiterit nil in eis esse quod sacerdotali statui minus conveniat.

Denique meminerint Episcopi, fas sibi non esse, nomine proprio manus cuiquam imponere qui subditus sibi non sit eo modo et uno ex iis titulis, qui in Constitutione *Speculatores* Innocentii XII et in decreto S. C. Concilii quod incipit *A primis* die xx m. Iulii 1898 statuuntur. Ac pariter neminem ordinari posse qui non sit utilis aut necessarius pro ecclesia aut pio loco pro quo assumitur, iuxta praescripta a S. Tridentino Concilio in *cap. 16, Sess. 23 de reform.*

Vult autem Sanctitas Sua ut statuta haec et cautelae omnes a sacris canonibus in re tam gravi adiectae, ab omnibus Ordinariis ad unguem serventur; idque ipsorum conscientiae et sollicitudini quam maxime commendat.

Praesentibus valituris, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, die 22 m. Decembris 1905.

† VINCENTIUS Card. Episc. Praenest., *Praefectus.*

L. ✠ S. CAIETANUS DE LAI, *Secretarius.*

Digitized by Google

# Chronica.

*Die 20 Februarii 1906*, in Palatio Apost. Vaticano, habita fuit Congregatio Ss. Rituum Ordinaria, in qua E.mi ac R.mi DD. Cardinales sacris tuendis Ritibus praepositi, infrascriptas Causas retulerunt: E.mus Card. Tripepi, *Veronen.*, Beatif. et Canoniz. S. D. GASPARIS BERTONI, Fundatoris Congreg. a Ss. Stigmatibus D. N. I. C., *Super Introductione Causae*; *Mantuana*, Confirmationis Cultus ab immemorabili praestiti Ven. S. D. MARCO DE MARCONIBUS, Ordinis S. Hieronymi Congreg. B. Petri de Pisis, Beato nuncupato. E.mus Card. Martinelli, *Nuscana*, Confirmationis Cultus ab immemorabili praestiti Ven. S. D. IOANNI, Episcopo Montis Marani, Sancto nuncupato. E.mus Card. Ferrata, *Ordinis* Fratr. Minor., Concessionis et approbationis Officii et Missae propr., in honorem Mysteriorum VIAE DOLOROSAE et SEPTEM GAUDIORUM B. M. V.; *Lugdunen.*, Concessionis et approbationis Officii et Missae, in festo B. IOANNIS ALOISII BONARD, Martyris; *Spalaten.*, Dubiorum. E.mus Card. Vives y Tuto, *Caurien.*, Confirmationis electionis B. M. V. DIVINAE GRATIAE in Patronam Civitatis Caceres; *S. Sebastiani Flaminis Ianuarii*, Concessionis et approbationis Officii et Missae in honorem B. M. V. IMMACULATA, v. d. « *de Apparecida* ». E.mus Card. V. Vannutelli, *Valentinen.* seu *Cameracen.*, Beatif. seu declarationis Martyrii Servar. Dei MARIAE CLOTILDIS ANGELAE a S. Francisco Borgia, et ALIARUM X MONIALIUM URSULINARUM, de Valenciennes; *Atrebaten.* seu *Cameracen.*, Beatif. et Canoniz. Servar. Dei MAGDALENAE FONTAINE et SOCIARUM PUELLARUM A CARITATE. E.mus Card. Ferrata, *Abyssinen.*, Beatif. seu declarationis Martyrii VV. Servor. Dei APOLLINARIS DE ALMEIDA, Ep. Nicaeni, ABRAHAMI DE GEORGIIS, et ALIORUM e SOCIETATE IESU, in odium Fidei a Schismaticis interfectorum; *Rotterburgen.*, Beatif. et Canoniz. S. D. PHILIPPI IENINGEN, Sac. Professi e Societate Iesu. E.mus Card. Gotti, *Sinarum*,

Digitized by Google

*Tunquinen.* et *Cochinquinen.*, Beatif. seu declarationis Martyrii Servor. Dei TRISTANI DE ATTIMIS, Sac. Professi, et ALIORUM e SOCIETATE IESU, in odium fidei ab idololatris interfectorum. E.mus Card. Steinhuber, *Westmonasterien.*, Beatif. seu declarationis Martyrii Servor. Dei GEORGII HAYDOC, Sac. Saecularis, IOANNIS ROBERTS, Sac. Ord. S. Bened., ARTHURI BELL, Sac. Ord. Minor., ROBERTI ROUTWELL, Sac. Prof. e Soc. Iesu, PHILIPPI HOWARD, Comitis de Arundel, et CCLV SOCIORUM, sub Henrico VIII et regina Elisabeth, in Anglia in odium Fidei interfectorum. — Postremas sex, *Super revisione Scriptorum.*

## Nuncia.

**Qui, e nostris Consociatis, obliti sunt pretium subnotationis, pro anno 1905, solvere, hos enixe rogamus, velint quamprimum rationibus Administrationis obsecundare.**

**Qui novae, pro anno 1906, subnotationi subscribunt, solliciti mittere pretium, ac propagatores facti nostrarum *Ephemeridum*, Directionis et Administrationis grati animi sensa suscipiant.**

**Qui *novum* nobis acquiret *Consociatum*, exemplar gratis recipiet *Kyrialis* (textus Vaticani reproductionem), editionem rhythmicis adnotationibus, per Benedictinos Solesmenses, adornatam.**

**ADMINISTRATIO.**

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR.
Fr. Albertus Lepidi, O. P. S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR.
† Iosephus Ceppetelli, Patr. Constant., Vicesgerens.

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclee, Lefebvre et Soc. Romae, *Sponsor.*

Ex Off. typ. Soc. S. Ioannis Ev. - Tornaci in Belgio.

Digitized by Google

# Acta Sanctae Sedis
sacram Liturgiam spectantia.

## SS. RITUUM CONGREGATIO

I.

**Solvuntur plura dubia super celebrandis Missis votivis ac praesertim Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis.**

ORDINIS FRATRUM MINORUM.

Quo facilius uniformitas habeatur in celebranda Missa votiva Immaculatae Conceptionis ex Indulto Apostolico Ordini Fratrum Minorum in Duplicibus etiam permissa, hodiernus Reverendissimus Procurator Generalis eiusdem Ordinis sequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi exsolvenda humiliter proposuit; nimirum:

I. An Missa votiva cantata celebrari possit ac debeat semper post Primam in Choro recitatam, vel pro commoditate populi etiam post Nonam; prouti Rubricae Generales sub Tit. XV, n. 3, de Missis Defunctorum, extra solemnem eorumdem Commemorationem, permittunt?

II. An in Missa votiva, etiam Vigiliae respondente, dicenda, in qua commemoratur Duplex eo die integrum Officium ac Missam habens, debeat ratione Duplicis omitti Oratio tertia de Tempore; immo et Collectae ad omnem Votivam, si Commemoratio Duplicis primae classis



Digitized by Google

habeatur; et si memoria fiat Duplicis secundae classis, Collectae debeant in Missa votiva cantata reticeri, et in privatis ad libitum Celebrantis permitti?

III. An in Missa votiva, in qua commemoratur Semiduplex eo die integrum Officium ac Missa obtinens, possint post tertiam et Collectas aliae pro Celebrantis lubito adiungi Orationes intra septenarium numerum; in iisque aliqua etiam pro Defunctis Oratio valeat recitari, prouti in diebus ritus simplicis seu ferialis conceditur?

IV. An in Missa votiva cantata vel solemni vel Conventualis instar habenda, si omittenda sit Commemoratio Duplicis vel Semiduplicis eo die occurrentis, quia nempe de alterutro vel una Missa votivam praecesserit vel Conventualis de eodem Officio occurrente debeat celebrari; ad Missam votivam eiusmodi Orationum numerus et qualitas ita debeant ordinari, perinde ac si Duplex vel Semiduplex non occurreret?

V. An in Missa votiva Tonus festivus seu solemnis reservari dumtaxat debeat pro casu, in quo eadem Votiva respondeat Officio Duplici vel Semiduplici (quamvis per accidens Simplici) ipsius Personae?

VI. An in aliis casibus adhibendus sit Tonus simplex ferialis, etiamsi Duplex vel Semiduplex in Votiva commemoretur, excepto Hymno Angelico et *Ite, Missa est* in Missis Deiparae votivis?

Digitized by Google

VII. An in Missa votiva Symbolum adhiberi debeat, si pro Votiva sumatur Missa Duplicis eo die ad instar Simplicis redacti, cum idem Festum Deiparae vel Sanctorum *Credo* reposcat?

VIII. An in Missa votiva, quae respondet diei infra Octavam, quae solam eo die Commemorationem habeat; vel etiam, si occurrat Feria maior Missam propriam obtinens, quamvis Officium fuerit de die infra Octavam peractum; ultimum Evangelium possit esse de Feria occurrenti, et Missa post Tertiam celebrari?

IX. An in Missa votiva cantata vel solemni vel instar Conventualis habenda in diebus ritus simplicis et ferialis plures usque ad septem pro Celebrantis lubito addi possint Orationes, prouti in iisdem diebus licet in Missa votiva privata?

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audita sententia Commissionis Liturgicae adhaerentis voto Reverendissimi Consultoris Petri Piacenza, respondendum censuit: «Communicetur Votum praelaudati Reverendissimi Consultoris in exemplari authentico»:

Ad I. *Affirmative*, sed servari quoque potest consuetudo cantandi huiusmodi Missam ante Primam, aut post Sextam, iuxta Decreta 3059 ad XII et 3914 ad IV; excepta tamen Missa votiva *pro re gravi*, vel *cum populi concursu*, quae post Nonam omnino cantari debet iuxta Rubricas.

Digitized by Google

Ad II. *Affirmative* in omnibus, ad mentem Decretorum 2542 ad II, et 2597 ad II, ac praesertim 3574 ad V (quaest. 1–4).

Ad III. *Negative*, ad mentem Decretorum 1322 ad VIII, et 3832 ad VIII.

Ad IV. *Affirmative*, iuxta Decretum 3553 ad II.

Ad V. *Affirmative.*

Ad VI. *Affirmative*, iuxta Decretum 3574 ad V (quaest. 5).

Ad VII. *Affirmative*, ad mentem Decreti 15 Maii 1903 ad III, in una *Ordinis Minorum Capuccinorum Provinciae Belgicae.*

Ad VIII. Serventur Decreta pro Missis votivis edita ac praesertim 3922 tam quoad ultimum Evangelium, quam quoad horam celebrationis Missae solemnis.

Ad IX. *Negative*, iuxta Rubricas Missalis Tit. V, num. 4, pro Missis Defunctorum. In Missis autem Conventualibus et Cantatis, quando dici possint ad libitum aliquae Orationes, non pro lubito Celebrantis, sed Praefecti Capituli aut Superioris Communitatis sunt eligendae.

Atque ita rescripsit die 12 Maii 1905.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*
† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

Digitized by Google

## Commentarium.

Ad II-VI. Responsa S. R. C. ad proposita dubia iam satis explicantur ex iis quae in praeterito fasciculo nostrarum *Ephemeridum* (pagg. 157-170) dicta sunt de influxu Duplicis vel Semiduplicis integrum Officium habentis atque in Missis quibuslibet votivis commemorati. Ex praesenti autem Decreto haec colligi possunt: I. Duplex vel Semiduplex, quod eo die integrum Officium ac Missam obtinuit, in Votivis tam per Rubricas quam per Indultum permissis influere in Orationum numerum et qualitatem, quoties in iisdem Votivis commemoretur. II. Ipsum vero Duplex vel Semiduplex, quod eo die integrum Officium ac Missam habuit, ad Votivas e Rubricis vel ex Indulto concessas nullimode influere in Hymnum Angelicum nec Symbolum (1) neque in speciem cantus ad easdem seligendi. III. Nullum influxum Duplici vel Semiduplici reservari in Missa votiva solemni aut cantata aut instar Conventualis habita, quoties vel una saltem Missa cantata (2) Officii currentis Votivam eiusmodi praecesserit, vel debeat eo die Missa conventualis de ipso Officio occurrente utcumque antea vel postea celebrari. IV. Denique sicut Commemoratio Sanctissimi Sacramenti ratione Expositionis Quadraginta Horarum easdem prorsus Commemorationes et Collectas excludit, quas repellit integra Missa de eodem Sanctissimo Sacramento ob eamdem Expositionem habenda; ita Duplex et Semiduplex in Votivis commemoratum easdem prorsus Orationes admittit vel reiicit, perinde ac si Missam integram eo die obtineret, quo et integrum Officium assequebatur. Haec autem haud valere *videntur*, si Duplex vel Semiduplex etiam in Officio diei currentis ad ritum Simplicem fuerit redactum; quoniam Missae votivae, quoad Orationum numerum et qualitatem, a ritu tantum Officii currentis gubernantur; itemque in Dominicis privilegiatis, in quibus occurrit commemoratio facienda

(1) S. R. C., 13 Ian. 1674, n. 1497 [1], et 30 Iun. 1896, n. 3922, § III.

(2) Cf. *Ephem. Liturg.*, vol. XVIII, pag. 626.

Digitized by Google

de Officio duplici ad instar Simplicis redacto, omitti nequit tertia Oratio in Missa, sicut non omittuntur suffragia Sanctorum, neque preces ad Primam et Completorium (S. R. C., 28 Mart. 1775, n. 4378[7] in vet. collect.).

Ad VII. Per citatum Decretum d. 15 Maii 1903 (apud *Ephem. Liturg.*, vol. XVII, pag. 388), S. R. C. declaravit, in qualibet Missa votiva de die infra octavam B. M. V. aut alicuius Sancti, de qua tantum commemoratio in Officio recitata sit, dicendum esse *Credo*, si nempe illa octava *Credo* habeat. Ratio est, quia Missa in casu, cum respondeat Officio commemorato, potiusquam votiva, merito *festiva* dicenda est, ideoque ut in festo celebranda, idest cum *Gloria* et *Credo* (S. R. C., n. 3922 et 4020, et *Ephem. Liturg.*, vol. XIV, pag. 561). Eadem autem ratio valet pro Missa votivo-festiva alicuius Duplicis eo die ad instar Simplicis redacti, quod ex sua natura ius ad Symbolum habeat, v. gr. alicuius festi Deiparae vel Sanctorum Ecclesiae Doctorum. Quare in hac quoque Missa *Credo* dicendum est.

Ad VIII. Missa votiva de die infra octavam, de qua tantum commemoratio fit in Officio diei, aut etiam, si feria maior occurrat Missam propriam obtinens, integrum Officium recitatur, est potius *festiva*, ut supra diximus; ideo praefata Missa probabilius dicenda videtur post Tertiam (Rubr. Miss., tit. XV, n. 2), et cum ultimo Evangelio de feria maiori occurrente (*Ephem. Liturg.*, vol. XIX, pag. 170). Nihilominus, quoad hoc dubium, S. R. C. dare noluit decretorium responsum.

Ad IX. In Missis votivis etiam solemnibus, nisi sint *pro re gravi*, plures dicuntur Orationes, ut in festis simplicibus; scilicet dicuntur tres, ut in semiduplicibus, aut quinque; et possunt etiam dici septem ad libitum (Rubr. Miss., tit. IX, n. 12 et 14). Hae autem Rubricae intelligendae sunt iuxta superiorem Rubricam (tit. V, n. 4), quae, agens de Missis quotidianis defunctorum, declarat: « Quod si in iisdem quotidianis Missis plures (quam tres) Orationes Celebranti placuerit recitare, *ut de Feriis et Simplicibus dicetur infra in Rubrica de Orationibus*, id fieri potest *tantum*

Digitized by Google

*in Missis lectis* ». Quare in Missis votivis cantatis vel conventualibus pro re non gravi, diebus ritus simplicis et ferialis, tres tantum Orationes dicendae sunt, nisi plures commemorationes aut Collectae ab Ordinario imperatae recitandae occurrant.

Cum autem iuxta Rubricas dicenda est tertia Oratio *ad libitum* in Missa cantata vel conventuali, electio illius Orationis non pertinet ad Celebrantem, ut merito S. R. C. nunc declarat, sed ad Capituli Praefectum aut Communitatis Superiorem; ideoque eligi nequit Oratio *pro seipso Sacerdote* (De Herdt, *S. Liturg. Prax.*, tom. I, n. 83).

II.

**De Collectis ab Ordinario imperatis, de Missa conventuali lecta, de administratione sacrae Communionis, ac de processione pro indulgentia Portiunculae.**

## Ordinis Fratrum Minorum Provinciae Apuliae.

Hodiernus Redactor Kalendarii Fratrum Minorum in Regulari Provincia Apuliae, de consensu sui Reverendissimi Procuratoris Generalis, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime expostulavit; nimirum:

I. An Collectae ab Episcopo seu Ordinario loci imperatae, quae simul cum Orationibus a Rubrica praescriptis septenarium numerum excedunt, omitti debeant?

II. An Missa Conventualis, quae sine cantu celebratur in Ecclesiis Regularium, debeat aequiparari Missae solemni sive quoad omittendam Commemorationem Simplicis et reticen-

Digitized by Google

das Collectas ordinarias ab Ordinario loci praescriptas, sive quoad praetermittendas orationes post Missam iniunctas: idque etiamsi postea alia Missa de die concinatur?

III. An Sacerdos, sacris vestibus Sacrificii indutus, possit administrare Sacram Communionem, data rationabili causa, ante vel post Missam solemnem aut cantatam aut etiam Conventualem, sicuti permittitur ante vel post Missam privatam?

IV. An in processione, quae die prima Augusti sub Vesperis fit per Ecclesiam et ante Conventum per aliquot passus, ad annuntiandam sive incipiendam Indulgentiam Portiunculae, Sacerdos pluviali albo indutus gestare possit Reliquiam Sancti Patris Francisci, vel tabellam cum inscriptione Indulgentiae Plenariae: et quaenam, silente Caeremoniali Ordinis, in eadem processione preces recitandae sint?

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. Servetur Decretum num. 3697, *Ordinis Minorum Capuccinorum Sancti Francisci*, 7 Decembris 1888 ad VII, et alterum num. 2740, *Tridentina*, 12 Martii 1836, ad VII.

Ad III. *Negative.*

Ad IV. Nihil obstat in casu quominus Reliquia Sancti Francisci in hac processione

Digitized by Google

gestetur, recitando vel cantando aliquem hymnum in honorem eiusdem Sancti: tabula autem Indulgentiae Plenariae non deferatur in processione, sed affigatur, si placeat, ante portam Ecclesiae.

Atque ita rescripsit, die 19 Ianuarii 1906.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*
† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

## Commentarium.

Ad I. Possunt quidem R.mi Episcopi seu locorum Ordinarii praescribere ut, praeter Orationes a Rubricis assignatas, plures etiam Collectae in Missa recitentur (Cfr. *Ephem. Liturg.* vol. I, pag. 611). In hoc autem Decreto prudenter declaratur, omittendas esse illas collectas quae simul cum Orationibus a Rubrica praescriptis *septenarium* numerum excedunt; Rubricae enim Missalis, quamvis in Missis de festis Simplicibus aut de Feriis per annum, nec non in Missis votivis privatis atque in Missis quotidianis lectis de requie, plures Orationes ad Celebrantis libitum admittant, non permittunt tamen numerum septenarium excedere. Itaque, si dies 29 vel 31 Decembris in Dominica venerit, una tantum ex Collectis ab Ordinario imperatis in Missa recitari potest; sex enim Orationes in casu a Rubricis praescribuntur, prima nempe de S. Thoma aut S. Silvestro, altera de Dominica infra octavam Nativitatis Domini, deinde aliae quatuor de totidem octavis.

Ad II. Decretum priori loco citatum ita se habet: « DUBIUM VII. Utrum Missae Conventuales sine cantu considerari possint veluti solemnes, sive quoad Collectas, sive quoad Preces in fine Missae ex mandato Sanctissimi Domini Nostri Leonis Papae XIII recitandas, sive quoad numerum cereorum in Altari accensorum? » Responsumque fuit: « Ad VII. *Affirmative* ». Decretum vero posteriori loco allegatum ita sonat: « DUBIUM VII.

Digitized by Google

An in Missa Conventuali plana omittenda sit in Duplicibus secundae classis commemoratio Simplicis, quando ratione Solemnitatis altera Missa cantatur? » Atque declaratum est: « Ad VII. *Negative, in casu* ». Praeterea S. R. C. in Decreto generali d. 2 Dec. 1891, n. 3757, ad II, quoad Missam Conventualem a Regularibus celebrandam declaravit: « Sive Missa illa legatur, sive fiat cum cantu, non solum in duplicibus 1, sed etiam 2 classis, omittendam esse commemorationem Simplicis occurrentis ». Ex hisce porro Decretis, uti etiam contextus hodiernae declarationis insinuat, patet abunde: — 1° Missa Conventualis sine cantu, quando alia non canitur Missa de *eodem* Officio, non solum potest sed etiam debet tamquam solemnis quoad commemorationem Simplicis et Collectas imperatas et Preces in fine Missae adiungendas aestimari. — 2° Preces in fine Missae sunt reticendae, non solum post Conventualem de Officio occurrente, sed etiam post Missam de Feria vel post Votivam, sicubi ipsa Missa Feriae instar Conventualis vel Votiva cum assistentia Communitatis celebretur. — 3° Si vero, praeter Conventualem sine cantu, altera vel de ipso Officio occurrente, vel de eodem Mysterio (etiamsi votivo more) Missa Conventualis in cantu habeatur; tunc Missa Conventualis plana tamquam *privata* iugiter computatur. Ratio est, quia Missa Conventualis plana maximeque apud Regulares *praesumitur* tamquam *solemnis*; atque haec praesumptio cessat omnino, si reapse alia Missa Conventualis cantata de *eodem* Officio locum habeat, quum iuxta Liturgicas normas apud unam eamdemque Ecclesiam atque una eademque die deque uno eodemque Mysterio plures Missae in officiatura chorali cantari nequeant (S. R. C., 30 Jun. 1896, n. 3921), ut antiquiori disciplinae mos geratur unam dumtaxat Missam in singulis Ecclesiis permittenti, cui reliqui Sacerdotes tamquam concelebrantes consueverant assistere.

Ad III. Ex Decreto S. R. C., 17 Iulii 1894, n. 3832 [3], non est prohibitum SS.mam Eucharistiam fidelibus, iusta de causa, ante vel post Missam immediate distribuere; nihilominus, in Missa solemni aut cantata, aut etiam conventuali, sacra Communio infra

Digitized by Google

Missam administranda est, postquam Celebrans sacratissimum Domini Sanguinem sumpserit (Caerem. Episc., lib. II, cap. VIII, n. 82, cap. XXIX, n. 3, et cap. XXX, n. 4; Rubr. Missal., part. II, tit. X, n. 9).

III.

**De Missa votiva «Rorate», de Pyxidis expositione ac de Reliquiis in altaris sepulcro includendis.**

VILNEN.

Hodiernus R.mus D.nus Episcopus Vilnensis a Sacrorum Rituum Congregatione solutionem sequentium dubiorum humillime petiit; videlicet:

I. Pro dioecesi Vilnensi habetur Decretum, quo permittitur Missa votiva cantata dicta *Rorate* tempore Adventus. Missa ista, quae celebratur cum magna solemnitate magnoque concursu populi, cantatur, vi antiquissimae consuetudinis, cum *Gloria* et *Credo*. — Quaeritur, utrum haec consuetudo possit servari, cum in Decreto supradicto nihil de modo cantandi tales Missas dicatur?

II. In eadem dioecesi solent cantari, post Missam solemnem, invocationes *Sanctus Deus*, *Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis* etc. coram Sanctissimo Eucharistiae Sacramento exposito in Pyxide. — Quaeritur, utrum expositio haec fieri possit per expositionem Pyxidis in superiori parte Tabernaculi, eo fine ut Pyxis possit a frequenti populo bene videri, an Sanctissimum Sacramentum non possit e Tabernaculo tolli?

Digitized by Google

III. Quaeritur, utrum pro valida consecratione altaris fixi vel portatilis sufficiat, ut in Sepulcro includantur Reliquiae unius Martyris et Confessorum aut Virginum, vel utrum unius solummodo Martyris; an sit omnino necessarium, ut in Sepulcro deponantur Reliquiae plurimorum Martyrum?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae reque accurate perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. Iuxta Decreta, Missa *Rorate* cantari potest in casu, cum *Gloria* et *Credo*, solummodo in Novendiali aute festum Nativitatis Domini, ratione consuetudinis et concursus populi; in praecedentibus vero diebus Adventus cantari debet sine *Gloria* (praeterquam in Sabbatis et infra Octavam festi B. Mariae Virginis) et sine *Credo*.

Ad II. Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.

Ad III. Affirmative ad primam partem quoad utrumque; Negative ad secundam.

Atque ita rescripsit. Die 16 Februarii 1906.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

Digitized by Google

## Commentarium.

Ad I. In novendiali ante festum Nativitatis Domini, idest a die 15 ad diem 23 Decembris, aliquibus locis cantari solet ex indulto Missa votiva *Rorate* in honorem B. M. V. Haec autem Missa, ratione consuetudinis et concursus populi considerari potest ad instar Missae votivae solemnis *pro re gravi*, ideoque permittitur etiam in duplicibus 2 classis atque in Dominicis privilegiatis 2 classis, non autem in Vigilia Nativitatis Domini (*Ephem. Liturg.*, vol. XIX, pag. 435), et cantari potest cum unica oratione, atque cum *Gloria* et *Credo* (Cfr. Decr. S. R. C., n. 1093, 2223, 2257, 2259). Aliis vero diebus, tempore Adventus, Missa votiva *Rorate*, quamvis ex privilegio etiam in festis duplicibus cantetur, habenda est uti votiva *ex privata causa*, ideoque, nisi aliter constet ex indulto, canenda est cum tribus orationibus, sine *Gloria*, nisi dicatur in Sabbato (Rubr. Miss., tit. VIII, n. 4), et sine *Credo*, ut aperte statuitur in Decreto generali S. R. C., n. 3922, § V, nec non in antiquioribus Decretis, n. 2378 [7] et 2417 [5].

Ad. II. Quamvis iuxta vigentem disciplinam expositio ac benedictio SS. Sacramenti fieri possit cum Pyxide, haec tamen e tabernaculo extrahi nequit, nisi in actu benedictionis, uti pluries a S. R. C. declaratum est. Cfr. Index Decr. pagg. 414-415.

Ad III. Iuxta praescriptum Pontificalis Romani, in altari sive fixo sive portatili consecrando, Reliquiae *plurium Sanctorum Martyrum* includendae sunt (S. R. C., 6 Oct. 1837, n. 2777); ideo Sacerdos post confessionem osculans Altare, profert verba: « *Quorum Reliquiae hic sunt* ». Nihilominus, quoad *validitatem* consecrationis, in praesenti Decreto declaratur, sufficere ut in altaris sepulcro includatur Reliquia *unius* Sancti Martyris cum vel absque Reliquiis Sanctorum Confessorum aut Sanctarum Virginum; cessat igitur dubium, de quo agitur in Decreto S. R. C., 13 Aprilis 1867, n. 3155.

Digitized by Google

IV.

**De ritibus servandis in expositione SS. Sacramenti.**

SOCIETATIS SALESIANAE.

Quum circa reverentias a sacris ministris faciendas in expositione ac repositione SS.mi Eucharistiae Sacramenti dissideant probati S. Liturgiae interpretes, hodiernus R.mus Procurator Generalis Piae Salesianae Societatis sequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna declaratione humillime subiecit; nimirum:

I. Cum flectendum est utrumque genu ad Sacramentum adorandum (puta in accessu ad altare ubi expositum est SS. Sacramentum et in recessu ab eodem), flexioni genuum estne addenda profunda inclinatio totius corporis an solius capitis?

II. Cum expositor, aperto ostiolo Tabernaculi, genuflectit priusquam SS. Sacramentum extrahat, et cum, reposito Sacramento, genuflectit priusquam ostiolum claudat, debentne ceteri qui genuflexi adsunt adorare cum profunda inclinatione corporis, an cum inclinatione solius capitis, an, utpote iam genuflexi, nullam praeterea reverentiam exhibere?

III. An et quam reverentiam exhibere debeat minister genuflexus antequam surgat aliquid facturus? Videlicet 1) Celebrans antequam surgat recitaturus orationem *Deus, qui nobis sub Sacramento* etc. debetne omittere quamlibet reveren-

Digitized by Google

tiam, an inclinare caput, an corporis inclinatione adorare? 2) Idem quaeritur de Celebrante ac ministris surrecturis ad imponendum incensum; 3) De Celebrante antequam surgat ad altare ascensurus ut populo benedicat; 4) De expositore antequam surgat ascensurus ad altare ad deponendnm e throno SS. Sacramentum; 5) De acolytho antequam surgat iturus ad abacum ad velum accipiendum.

IV. Celebrans postquam, Benedictione impertita, ab altari descendit et genua flexit in infimo gradu, debetne omittere quamlibet inclinationem, an inclinare caput, an totius corporis inclinatione adorare?

V. More apud Subalpinos recepto, secundo thus imponitur post cantatam orationem *Deus, qui nobis* etc. Iam quaeritur 1) an mos servari possit? Et quatenus affirmative, quaeritur 2) an sacerdos, cantata oratione, debeat ante impositionem incensi aliquam praestare reverentiam et qualem?

VI. Utrum sacerdos qui SS. Sacramentum exposuit et ab altari descendit thus impositurus debeat ante impositionem adorare uno genu flexo, an utroque, an statim absque genuflexione incensum imponere ut quidam eruunt ex Memoriali Rituum Benedicti XIII, c. II, § III, n. 5?

VII. Iuxta Caeremoniale Episcoporum dum Celebrans canit orationem *Deus, qui nobis* etc. ministri librum sustinent genuflexi: contra Liturgiae expositores eos surgere iubent vel saltem id eis permittunt. Quaeritur qua norma utendum?

Digitized by Google

VIII. An Celebranti in impertienda Benedictione cum SS. Sacramento ministrare queant, loco diaconi et subdiaconi, duo clerici pluvialibus induti? An diacono et subdiacono dalmatica et tunicella indutis adiungi queant duo vel quatuor clerici induti pluviali?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Inclinatio mediocris, id est capitis, et modica humerorum inclinatio, quae in casu habetur uti profunda.

Ad II. Nulla reverentia facienda est.

Ad III. Quoad 1^um^. Nullam reverentiam debet facere;

Quoad 2^um^. Inclinationem mediocrem faciant;

Quoad 3^um^, 4^um^ et 5^um^. Nulla reverentia facienda est; at si acolythus transeat ante altare, genuflectat in medio.

Ad IV. Nulla reverentia facienda est.

Ad V. Quoad 1^um^. Negative.

Quoad 2^um^. Provisum in praecedenti.

Ad VI. Ambo genua flectat in infimo gradu, inclinationem mediocrem faciat, assurgat et ponat incensum in thuribulo.

Ad VII. Ministri genuflexi maneant, librum sustinendo iuxta Caeremoniale Episcoporum, lib. II, cap. XXXIII, n. 27.

Ad VIII. Quoad 1^um^. Affirmative, si Benedictio cum SS.mo Sacramento fiat immediate post

Digitized by Google

Vesperas solemnes, id est si Celebrans cum Pluvialistis non recedat ab altari: dummodo alter sacerdos vel diaconus exponat et reponat Sanctissimum Sacramentum, illudque Celebranti tradat et ab eo recipiat.

Quoad 2^um^. Negative.

Atque ita rescripsit. Die 16 Februarii 1906.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *S. R. C. Pro-Praef.*
† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

## Commentarium.

Ad I. In his *Ephem. Liturg.*, vol. XIX, pag. 551, iuxta communiorem liturgistarum doctrinam dictum est, profundam *totius corporis* inclinationem nunquam faciendam esse ab iis, qui sunt iam genuflexi, vel genuflexionem duplicem peragunt. Hoc autem principium nunc tutum evadit per praesens Decretum, quod valde opportunum est ad uniformitatem in liturgicis functionibus obtinendam. Itaque, quidquid nonnulli antea docuerint, quotiescumque fit gennflexio utroque genu, addenda est tantum *profunda capitis inclinatio*, quae trahit secum modicam etiam *humerorum* inclinationem (Merati, part. II, tit. II, n. II), seu, ut melius iuxta recens Decretum loquamur, addenda est tantum *mediocris inclinatio corporis*, quae fit capitis et modica humerorum inclinatione; haec enim mediocris inclinatio corporis, facta ab iis qui sunt genuflexi, aequivalet profundae corporis inclinationi, quae fit ab iis qui stant seu sunt erecti (1). Contraria igitur aliquorum doctrina emendanda est iuxta hodiernam S. Sedis declarationem, quae utpote authentica Rubricarum interpretatio ab omnibus accipienda est.

Ad II, III et IV. In publicis functionibus, ut uniformitas habeatur, nulla reverentia facienda est praeter eas, quae ex Ru-

(1) In *Ephem Liturg.*, vol. XIX, pag. 552, lin. 1 et 2, deleantur verba « *vel mediocri* ».



Digitized by Google

bricis seu Decretis praescribuntur (Cfr. Decr. S. R. C., 2 Augustis 1698, n. 2008, atque *Ephem. Liturg.*, vol. IV, pag. 262, et vol. XIII, pag. 156); sapienter igitur declaravit S. R. Congregatio, nullam reverentiam in expositis casibus faciendam esse. Nihilominus, antequam Celebrans ac Ministri surgant ad incensum imponendum, iuxta communem praxim (quam nunc servandam iubet S. R. C.), mediocris inclinatio corporis facienda est, quae in casu (sicut in responso ad I dictum est) habetur uti profunda. Quotiescumque enim Celebrans imponit incensum in thuribulum ad altare, ubi est expositum Venerabile, non debet stare in altaris medio sed aliquantulum versus cornu Evangelii, facie versa ad cornu Epistolae; ideo, priusquam ille ab altaris medio recedat et aliquantulum ad cornu Evangelii se retrahat impositurus incensum, reverentiam peragere tenetur (Cfr. Merati, part. II, tit. XIV, n. 7 et 12).

Ob eamdem rationem patet, quod sive ad verba « *veneremur cernui* », sive ante et post Sacramenti incensationem (cfr. Decr. S. R. C., n. 3086[3]), sive in aliis similibus casibus, mediocris (non autem profunda) inclinatio corporis peragenda est, quae respondet profundae capitis inclinationi, iuxta nonnullos liturgistas.

Ad V. In SS. Sacramenti expositione tolerari nequit, ut Sacerdos officium faciens Sacramentum incenset post cantatam orationem *Deus, qui nobis*, etc.; Rubricae enim Ritualis Romani ac Caeremonialis Episcoporum in festo Corporis Christi aperte mandant, ut incensatio fiat, dum cantatur hymnus *Tantum ergo*. Quamvis autem nonnulli olim docuerint, incensationem fieri posse aut debere, dum cantatur prima eiusdem hymni strophes, Clementina tamen Instructio (§ XXIV) praescribit, ut Sacramentum thurificetur, dum canitur altera hymni strophes *Genitori Genitoque*; quae nunc est doctrina praxisque communior; nihilominus incensum in thuribulum imponi potest, cum cantantur duo ultimi versus primae strophes (Cfr. Gardellini, *Comment. ad Instr. Clement.*, § XXIV, n. 16 et 17), vel immediate post verba *veneremur cernui* (Cfr. Caerem. ad usum Capuccin. a S. R. C. approb. anno 1892, art. 1207).

Digitized by Google

Ad VI. In Memoriali Rituum iussu Benedicti XIII edito (tit. V, cap. II, § III, n. 5), statuitur ut, Feria sexta in Parasceve, Celebrans aperiat capsulam, genuflectat, descendat primum gradum, et stans imponat incensum in thuribulo: quamvis autem nihil hoc loco dicatur de genuflexione in infimo gradu facienda ante thuris impositionem, declarat tamen S. R. C., duplicem genuflexionem cum mediocri corporis inclinatione esse peragendam a Sacerdote, qui SS. Sacramentum exposuit et ab altari descendit thus impositurus; et merito quidem; nam (ut in responso ad III dictum est) Celebrans ac ministri surrecturi ad imponendum incensum, inclinationem mediocrem facere debent.

Ad VII. Dum ante solemnem benedictionem cum SS. Sacramento Sacerdos cantat orationem *Deus, qui nobis*, etc., librum vel sustinebunt Ministri assistentes *genuflexi*, vel (si necessitas adsit) poterit ipse sibi manibus sustinere (Caerem. ad usum Capuccin. a S. R. C. approb. anno 1892, art. 1208); admitti autem nequit, librum in casu sustineri posse a sacris Ministris *stantibus* seu erectis, quia Caeremoniale Episcoporum (lib. II, cap. XXXIII, n. 27) aperte praescribit, ut in festo Corporis Christi, dum Episcopus orationem cantat, librum Diaconi assistentes *genuflexi* hinc inde sustineant: hoc igitur sensu emendentur quae dicta sunt in his *Ephem. Liturg.*, vol. XIII, pag. 155. Cfr. Gardellini, *Comment. ad Instr. Clement.*, § XXIV, n. 22, et A Carpo, *Caerem.*, part. III, n. 200.

Ad VIII. Iuxta Rubricas generales Missalis Romani (part. I, tit. XIX, n. 5), « *dalmatica* et *tunicella* utuntur *Diaconus* et *Subdiaconus* in Missa solemni, et Processionibus, et Benedictionibus, quando Sacerdoti ministrant ». Attamen, si Benedictio cum SS. Sacramento fiat *immediate* post Vesperas solemnes, idest si Celebrans cum Pluvialistis ab altari non recedat, idem paramentorum color adhiberi potest (cfr. *Ephem. Liturg.*, vol. XIX, pag. 732), ideoque in hoc casu Celebranti Benedictionem impertienti assistere possunt duo Ministri pluvialibus induti (cfr. *Ephem. Liturg.*, vol. III, pag. 565 et vol. XIV, pag. 490), dum-

Digitized by Google

modo alter Sacerdos vel Diaconus superpelliceo stolaque indutus exponat et reponat SS. Sacramentum (S. R. C., 17 Sept. 1785, n. 2528[3]), illudque, iuxta praxim, Celebranti tradat et ab eo recipiat (S. R. C., 14 Ian. 1898, n. 3975[4]).

Si vero post Vesperas solemnes Celebrans cum Pluvialistis in sacristiam redeat, ut fit in pluribus cathedralibus ecclesiis, in quibus immediate post Vesperas recitatur in choro Completorium absque sacris paramentis, hoc in casu oportet, ut ad Benedictionem cum Venerabili impertiendam post Completorium, sacri Ministri induantur dalmatica et tunicella super albam, atque paramenta albi coloris adhibeantur (S. R. C., 12 Maii 1893, n. 3799).

Ut autem alias diximus in his *Ephem. Liturg.* (vol. XIV, pag. 490), praeter Diaconum et Subdiaconum dalmatica ac tunicella indutos, assistere nequeunt ad Benedictionem duo vel quatuor clerici pluvialibus induti; hoc enim arbitrarium esset. Iure igitur ad secundam dubii octavi partem S. R. C. negativum dedit responsum.

## S. CONGREGATIO INDULGENTIARUM

### I.

### Conceditur Indulgentia 200 dierum recitantibus orationem ad B. V. Dolorosam.

*Beatissimo Padre* (1),

Il Comitato internazionale del solenne omaggio a Gesù Cristo Redentore e al suo Augusto Vicario, prostrato ai piedi del vostro trono, implora umilmente la grazia, che ai fedeli, i quali con

(1) Versio:

*Beatissime Pater*,

Comitatus internationalis pro Solemni Obsequio Iesu Christo Redemptori et eius Augusto Vicario praestando, ad pedes vestri Solii provolutus, gratiam humiliter implorat, qua fidelibus, corde saltem contrito ac devote recitantibus

Digitized by Google

cuore almeno contrito e devotamente reciteranno la seguente preghiera alla B. V. Addolorata, in qualunque lingua tradotta, sia concessa Indulgenza di duecento giorni, una volta al giorno, applicabile ancora alle anime del Purgatorio.

## Sanctissimae Virgini Dolorosae.

O Virgo et Mater sanctissima, cuius animam in divini Filii tui passione doloris gladius pertransivit, et quae in gloriosa Eius resurrectione perennem triumphantis laetitiam percepisti: intercede nobis supplicibus tuis; ita sanctae Ecclesiae adversitatibus, summique Pontificis doloribus consociari, ut optatis etiam consolationibus laetificari cum ipsis mereamur, in caritate et pace eiusdem Christi Domini nostri. Amen.

**Ai fedeli che reciteranno devotamente e con cuore almeno contrito questa preghiera, tradotta in qualunque lingua, concediamo per una volta al giorno l'indulgenza di duecento giorni, applicabile anche alle anime sante del Purgatorio.**

**Li 25 Gennaio 1906** (1).

**PIUS PP. X.**

Praesentis Rescripti documentum exhibitum fuit huic Secretariae S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem, etc.

Datum Romae, ex eadem Secretaria, die 3 Februarii 1906.

L. ✠ S. † D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

sequentem orationem ad B. V. Dolorosam, in quemcumque translatam sermonem, Indulgentia concedatur ducentorum dierum, semel in die, sanctis Purgatorii animabus quoque applicabilis.

(1) Versio:

Christifidelibus, devote et corde saltem contrito hanc orationem, in quemcumque sermonem translatam, recitantibus, Indulgentiam ducentorum dierum, semel in die lucrandam, sanctis Purgatorii animabus quoque applicabilem, concedimus.

Die 25 Ianuarii 1906.

Digitized by Google

## II.

**Indulgentia 200 dierum conceditur recitantibus iaculatoriam precem ad Nostram Dominam Liberatricem Captivorum.**

*Très Saint-Père,*

Humblement prosterné aux pieds de Votre Sainteté, Léon Lavignac, Evêque titulaire de Pacando, et Supérieur général de la Société des Missionnaires d'Afrique (Pères-Blancs), Vous supplie instamment de vouloir bien enrichir de quelque Indulgence l'invocation suivante: *Notre Dame, Libératrice des esclaves, priez pour nous;* et cela afin d'obtenir de Dieu, par l'intercession de la Très-Sainte Vierge, que les pauvres esclaves de l'Afrique soient délivrés de l'esclavage du corps et surtout du péché.

Que Dieu etc. (1).

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita utendo facultatibus a SS. D. N. Pio PP. X sibi tributis, omnibus ex utroque sexu christifidelibus, qui corde saltem contriti ac devote praefatam iaculatoriam precem recitaverint, Indulgentiam biscentum dierum, semel in die lucrandam, defunctis quoque applicabilem, benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romae, e Secretaria S. C. eiusdem, die 31 Ianuarii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. ✠ S. Pro Secretario

IOSEPHUS M. Can. COSELLI, *Substitutus.*

(1) Versio:

*Beatissime Pater,*

Leo Lavignac Episcopus titularis Pacandi, et Superior Generalis Societatis Missionariorum Africae (Pères-Blancs), ad pedes S. V. humiliter provolutus, instanter petit ut S. V. aliqua velit ditare Indulgentia sequentem invocationem: « *Domina nostra, captivorum liberatrix, ora pro nobis* », id autem ut obtineatur a Deo, intercedente B.ma Virgine, miseros captivos Africae a captivitate corporis liberari, ac potissimum a peccato.

Et Deus etc.

Digitized by Google

## III.

### Indulgentia 300 dierum conceditur recitantibus orationem ad Iesum defunctum.

PREGHIERA A GESÙ MORTO (1).

O Gesù, che nell'amara vostra passione diventaste l'obbrobrio degli uomini e l' uomo dei dolori, io venero il vostro volto divino, su cui brillava l'avvenenza e la dolcezza della divinità, ora divenuto per me come quello di un lebbroso! Ma sotto queste deformi sembianze io ravviso l' amor vostro infinito, e mi struggo dal desiderio di amarvi e di farvi amare da ogni uomo. Le lagrime che sgorgarono dal vostro sguardo mi appariscono come preziose perle che io amo di raccogliere, affine di comprare col loro valore infinito le anime dei poveri peccatori.

O Gesù, il cui volto è la sola bellezza che rapisce il mio cuore, io accetto di non vedere quaggiù la dolcezza del vostro sguardo, di non sentire l'ineffabile bacio della vostra bocca: ma deh! vi supplico d'imprimere in me la vostra divina somiglianza, d'infiammarmi del vostro amore, acciocchè esso mi consumi rapidamente, ed io giunga ben presto a vedere il vostro volto glorioso nel Cielo! Amen.

(1) Versio:

ORATIO AD IESUM DEFUNCTUM.

O Iesu, qui in amara tua passione obbrobrium hominum et vir dolorum factus es, tuum vultum divinum ego veneror, in quo venustas et pulchritudo fulgebat divinitatis, nunc pro me factum tanquam vultum leprosi? At sub hoc tamen deformi aspectu, amorem tuum infinitum dignosco, et consumere me sentio desiderio Te amandi, ac efficiendi ut homines singuli Te ament. Lacrymae, quae tuis ex oculis defluunt, quasi pretiosae mihi videntur margaritae, quas colligere cupio, ut illarum pretio infinito animas miserorum peccatorum acquiram. O Iesu, cuius vultus unica est pulchritudo, quae rapiat cor meum, ni videro hoc in mundo tui vultus pulchritudinem, ni sensero osculum ineffabilem tui oris, acquiescam: sed imprime, quaeso, in me tuam divinam imaginem, tuo amore me inflamma, ut ipse me extemplo consummet, et ego quamcito ad tuum vultum gloriosum in caelo aspiciendum perveniam. Amen.

Digitized by Google

*Ex Audientia SS.mi, die 13 Februarii 1906.*

SS.mus D. N. Pius PP. X omnibus Christifidelibus praefatam precem devote recitantibus, quoties id egerint, tercentum dierum indulgentiam, animabus etiam in Purgatorio detentis profuturam, benigne concessit. Contrariis quibuscumque non obstantibus. In quorum fidem etc.

L. ✠ S. CASIMIRUS Card. GENNARI.

Praesens Rescriptum exhibitum fuit huic Secretariae S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem.

Datum Romae, ex eadem Secretaria, die 16 Februarii 1906.

L. ✠ S. Ios. M. Can. COSELLI, *Substit.*

## IV.

### Privilegium conceditur fidelibus Sacram Communionem quotidie sumentibus.

DECRETUM URBIS ET ORBIS.

Sanctissimo Domino nostro Pio Pp. X vel maxime cordi est, ut efficacius in dies propagetur, uberioresque edat virtutum omnium fructus laudabilis illa ac Deo valde accepta consuetudo, qua fideles, in statu gratiae, rectaque cum mente, ad sacram Communionem quotidie sumendam accedant. Quamobrem supplicia plurimorum vota ab Eminentissimo Viro Cardinali Casimiro Gennari delata benigne libenterque excipiens, iis plane cunctis, qui memoratam consuetudinem habent, aut inire exoptant, specialem merito gratiam elargiri statuit. Clemens porro Pp. XIII f. r., per decretum huius Sacri Ordinis, sub die 9 Decembris 1763, omnibus christifidelibus, « qui frequenti peccatorum Confessione animum studentes expiare, semel saltem in hebdomada ad Sacramentum Poenitentiae accedere, nisi legitime impediantur, consueverunt, et nullius lethalis culpae a se, post praedictam ultimam Confessionem, commissae sibi conscii sunt, indulsit, ut omnes et quascunque Indulgentias consequi possint, etiam sine actuali Confessione,

Digitized by Google

quae ceteroquin ad eas lucrandas necessaria esset. Nihil tamen innovando circa Indulgentias Iubilaei, tam ordinarii quam extraordinarii, aliasque ad instar Iubilaei concessas, pro quibus assequendis, sicut et alia opera iniuncta, ita et sacramentalis Confessio, tempore in earum concessione praescripto peragantur ». Nunc vero Beatissimus Pater Pius X, omnibus christifidelibus, qui in statu gratiae, et cum recta piaque mente quotidie Sancta de Altari libare consuescunt, quamvis semel aut iterum per hebdomadam a Communione abstineant, praefato tamen f. r. Clementis Pp. XIII Indulto frui posse concedit, absque hebdomadariae illius Confessionis obligatione, quae ceteroquin, ad Indulgentias eo temporis intervallo decurrentes rite lucrandas necessaria extaret. Hanc insuper gratiam eadem Sanctitas Sua futuris quoque temporibus fore valituram clementer declaravit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, die 14 Februarii 1906.

L. ✠ S.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*
✝ D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

# S. CONGREGATIO EPISCOPORUM ET REGULARIUM

## De campanarum sonitu.

*Beatissime Pater,*

Episcopus Sanctae Fidei in Republica Argentina humiliter ac reverenter exponit, quod, attentis querelis sive privatim sive publice sive etiam per ephemerides excitatis ex abusu circa campanarum sonitum, necnon iure meritoque metuens auctoritatis civilis aut municipalis interventum, quem opera sui Vicarii Generalis semel vitare potuit, decretum edere statuit, vi cuius, campanarum sono diebus Dominicis, festivis aliisque anni temporibus haud prohibito, earumdem campanarum usus tantummodo moderatur et limitatur. Quum vero Fratres Praedicatores, qui in hac Sanctae Fidei civitate Conventum

Digitized by Google

habent, contra praefatum episcopale decretum opponant privilegium ipsis a S. Pio V Constitutione *Etsi Mendicantium* die 16 Maii 1567 concessum, atque a resolutione S. Congr. Episcoporum et Regularium diei 11 Martii 1892 confirmatum, duo sequentia dubia resolvenda proponit:

I. Utrum, attentis gravibus adiunctis supra relatis, dicti Fratres Praedicatores obtemperare teneantur dispositionibus in citato episcopali decreto contentis? Et quatenus negative:

II. Quomodo se gerere debeat Ordinarius ad interventum civilis vel municipalis auctoritatis vitandum?

Sacra Congregatio Emorum ac Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, re sedulo perpensa, praefatis dubiis respondendum censuit, prout respondet:

Firmo remanente Fratrum Praedicatorum privilegio pulsandi campanas quando eis placuerit, ad tramitem Constitutionis S. Pii V *Etsi Mendicantium*, Episcopus potest, propter specialia loci et temporum adiuncta, pulsationum durationem ad certum tempus limitare.

Romae, 15 Novembris 1905.

L. ✠ S.

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*
PHILIPPUS GIUSTINI, *Secretarius.*

## Ad *Motu-proprio* de Protonotariis Apostolicis Commentarium.

(*Continuatio.* V. num. 3, anni curr., pagg. 137-140).

### De Protonotariis Apostolicis Supranumerariis.

25. Extra Urbem (1), et impetrata venia Ordinarii loci (2), cui erit arbitrium eam tribuendi quoties et pro quibus Solemnitatibus voluerit (3), atque obtento etiam consensu Praelati ecclesiae exemptae in qua forte celebrandum sit (4), pontificali ritu Missas et Vesperas aliasque sacras functiones peragere poterunt (5). Quod

Digitized by Google

functiones attinet collegialiter, seu Capitulo praesente, celebrandas, a propriis Constitutionibus de Ordinarii consensu, provideatur, iuxta Apostolica documenta (6).

26. Ad ecclesiam accedentes, Pontificalia celebraturi, ab eaque recedentes, habitu praelatitio induti, supra Mantelletum Crucem gestare possunt pectoralem (a qua alias abstinebunt): et nisi privatim per aliam portam ingrediantur, ad fores ecclesiae non excipientur ut Ordinarius loci, sed a Caeremoniario et duobus clericis, non tamen a Canonicis seu Dignitatibus: seipsos tantum aqua lustrali signabunt, tacto aspersorio sibi porrecto, et per ecclesiam procedentes populo numquam benedicent (7).

(1) *Extra Urbem* hic decernitur, quia Protonotarii cuiusvis ordinis, usum pontificalium non habent in urbe Roma, aut in loco ubi actu residet Summus Pontifex in reverentiam eius maiestatis. Vide quae supra diximus in nota ad § 5.

(2) Quoad impetrandam veniam ab Ordinario loci, pro pontificalibus celebrandis, vide item quae diximus in notis ad § 5.

(3) Episcopus loci Ordinarius pro suo arbitrio, *quoties et pro quibus solemnitatibus voluerit*, facultatem facere potest Protonotariis ut Missas et Vesperas, aut etiam, ut videbimus infra, processiones pontificaliter peragant. In hoc ergo Protonotarii, etiam *ad instar*, in meliori conditione sunt quam Abbates. Abbates enim, ex notissima constitutione Alexandri VII, d. d. 27 Septembris 1659 (§ *2 et 5*) nonnisi ter in anno, diebus nempe Patroni loci, vel Fundatoris Ordinis, Tituli et Dedicationis Ecclesiae, et (§ *8*) in suis tantum Ecclesiis, pontificalia celebrare possunt, nam extra, neque Episcopus licentiam eis dare potest id agendi (*S. R. C., decret. 577, 803 et 1815*).

Digitized by Google

Igitur Protonotarius, in quacumque orbis Ecclesia, non tamen Urbis, consentiente Ordinario, ac sine ulla dierum limitatione pontificalia agere potest.

(4) In ecclesiis autem exemptis, in illis nempe quae existunt quidem in territorio alicuius dioecesis, ab Ordinario tamen non dependent, uti sunt ecclesiae Regularium, requiritur quoque Superioris illarum ecclesiarum consensus.

Licet enim in huiusmodi exemptis ecclesiis Episcopi, a Concilio Tridentino (*Decr. de observ. et evit. in cel. Mis.*) tamquam Apostolicae Sedes delegati ea quae ad cultum externum attinent, omnino moderari possunt et debent, nihilominus ecclesiae regularium *vere* exemptae dicuntur et sunt. Incongruum porro esset, si Protonotarius, solo cum beneplacito Episcopi, in illis ecclesiis pontificali ritu celebrare posset. Ceterum consensus etiam Superioris ecclesiae exemptae supponitur semper; quando enim Protonotarius invitatur ad functiones in ea peragendas, a quo invitatur nisi a Superiore?

Nihilominus fieri potest, ex. gr. ut Abbas alicuius Monasterii alias ecclesias habeat sibi subiectas, sive filiales, ideoque exemptas a loci Ordinario; in eis certo certius non sufficit beneplacitum Episcopi, et invitatio Rectoris ecclesiae filialis, sed requiritur et consensus Abbatis.

In ecclesiis ergo exemptis, Superioris invitatio et consensus nihil valet tam pro Episcopo extraneo, quam pro aliquo Protonotario, ut inibi aliquid pontificali ritu perficiant, scilicet mitra induti, sed et beneplacitum Episcopi semper est requirendus. Vide quae diximus in nota 15.

(5) Non tantum Missas, ut in constitutione Pii Pp. IX iam citata (§ 17) definitum est, sed et *Vesperas* et *alias functiones*, peragere nunc poterunt Protonotarii, prout S. R. C. suo decreto d. d. 9 Martii 1904 declaravit pro Protonotariis *ad instar*, nempe *benedictiones* cum Ss. Sacramento solemniter impertiendas, *processiones*, et unam ex quinque *absolutionibus* in solemnioribus exequiis de quibus agitur in Pontificali Romano.

Digitized by Google

Super hoc fusius agemus inferius, ad §§ 47 et 48.

(6) Protonotarii supranumerarii non habentur, nisi Canonici Patriarchalium Urbis, ac aliarum quarumdam ecclesiarum cathedralium. In hisce, iuxta Apostolica indulta, nonnullae functiones celebrantur, in quibus omnes Canonici mitra utuntur, sive praesente sive absente loci Ordinario. Item aliquando, toto praesente Capitulo, aliquis ex canonicis Missas solemniter cantat ritu pontificali. De huiusmodi functionibus nil novi disponitur in hoc *Motu proprio*, sed in unaquaque ecclesia, et ab unoquoque capitulo ea erunt retinenda quae in Apostolicis indultis determinantur, atque ut melius in posterum inalterate serventur, ritus distincte describendi erunt in capitularibus constitutionibus, audito Episcopo, prout hic decernitur.

Iuxta Benedictum XIV (*De Synod. dioec., l. 3, c. 11, n. 12*) Canonici privilegio pontificalium decorati, assumptis sacris vestibus quae communes sunt aliis canonicis, nempe rocheto, amictu, pluviali vel planeta, aut dalmatica, mitra sola uti possunt tam in publicis supplicationibus incedentes, quam in synodalibus sessionibus. Et concludit: « Quod possint in praedictis actibus Mitram adhibere, ex verbis colligitur privilegiorum, quibus potiuntur; in illis siquidem vel usus Mitrae ipsis tribuitur etiam expresse et nominatim in Synodo, quemadmodum sonant verba privilegii concessi Canonicis Viterbiensibus; vel saltem generalis facultas datur, Mitram gestandi in omnibus functionibus ecclesiasticis, quibus etiam Synodales comprehenduntur ».

(7) De gestatione crucis pectoralis deque accessu ac receptione Protonotarii ad fores Ecclesiae, ad quam pergit celebraturus, vide quae diximus in notis ad § 7.

(*Continuabitur*).

Doct. Petrus Piacenza.

Digitized by Google

# Acta Academiae Liturgicae Romanae.

*Die 17 Ianuarii 1906*, in S. Aede Congregationis Missionis prope Curiam Innocentianam, habitus est Conventus academicus, in quo Rev. D. Iosephus Candidori, Pontificii Seminarii Rom. alumnus, quaestionem enodavit:

## De Praefatione in quadam Missa votiva.

Post Censorum animadversiones et placita, alter ex illis, R.mus P. Paschalis Brugnani O. F. M. epitomen resolutionum fecit, quam excepit pia collatio de ecclesiasticis officiis.

### Quaestionis propositio.

Ecclesiae cuidam, quae collegialis est, privilegium concessum fuit celebrandi in singulis diebus infra octavam Imm. Conceptionis Deiparae, etsi ritus duplex minus occurrat, solemnem Missam votivam de eadem Imm. Conceptione, conventuali tamen nunquam omissa. Hinc quaestio exorta est circa praefationem propriam, an scilicet tam in Missa conventuali, quam in votiva, praefatio de Immaculata dicenda sit, an alia potius de communi. Plures enim sustinent, dictam praefationem esse de Immaculata non posse, saltem in votiva, quia in alia conventuali iam recitata est. In Missis enim duabus conventualibus, sicut eaedem nunquam iterantur Orationes, ita nec eadem videtur iteranda praefatio. Oppositum nihilominus plerique defendunt ob Rubricam Missalis, quae praefationem exigit in Missis votivis

Digitized by Google

propriam, si habeatur, vel de octava, aut de Dominica, aut de tempore, aut de communi. Re in incerto sic posita, ad hanc Academiam datae sunt litterae, in quibus quaeritur:

1. *Ad quamnam antiquitatem liturgicam praefationes in Missa pertineant, et num semper recitatae in Missis fuerint, seu latinae seu graecae Ecclesiae disciplina inspecta?*

2. *Quaenam leges, sive generalibus, sive specialibus Rubricis attentis, praefationem dirigant, quando Missae plures conventuales occurrant, et num ad votivas sint illae applicandae?*

3. *Pro quibus ex disceptantibus ratio pugnet, ut in casu?*

**Solutio.**

I. *Ad quamnam antiquitatem liturgicam praefationes in Missa pertineant, et num semper recitatae in Missis fuerint, seu latinae seu graecae Ecclesiae disciplina inspecta?*

O quam suavis memoria, quam speciosus apparatus Ecclesiae priorum temporum, cum populus non tanquam extraneus aderat liturgicae actioni, et verbis ac mysteriis illius nutriebatur! Quanta simplicitas in antiqua prece, quaenam lux, qualis vita ex illa profluunt! Inter sublimiores illas precationes, in quibus nunc etiam antiquam sentimus fervere christianam pietatem, praecipuum locum tenet procul dubio *Praefatio*.

Praefatio est praeludium seu introductio ad Precem antonomastice, ad Canonem. Haec sane fidelem populum invitat ad corda sublevanda et ad gratias Deo agendas, cum ad eum acceditur, ad prodigiorum maximum impetrandum.

In Missali mozarabico Praefatio vocatur *Inlatio*, in gallicano *Contestatio*, et in gothico *Immolatio*.

Digitized by Google

Solemus hodie considerare verba *Per omnia saecula saeculorum* tanquam initium Praefationis, quamvis sint certe conclusio praecedentis orationis. Et sane in antiquioribus Sacramentariis Canon, cuius pars erat Praefatio, incipit verbis *Sursum corda*. Sacerdos in populi salutatione ad illum non vertitur, quia in usu antiquae Liturgiae, Altare ante Praefationem velis abscondebatur, ac proinde inutilis erat conversio Celebrantis, qui populum non videbat (Cfr. Rohault de Fleury, *La Messe*, vol. I, pag. 29).

In Ecclesiis Occidentis Praefatio decantabatur, dum in orientalibus submissa voce recitabatur.

Praefatio est oratio Sacerdotis, nomine totius coetus facta, sed solemnior et magnificentior ceteris. Praefatio typica, ideoque antiquior, a qua omnes aliae (*Exultet*, etc.) derivarunt, est Praefatio eucharistica. Potest imo affirmari, eius originem esse christiana Religione anteriorem, quippe quae nihil aliud est, quam precatio, aliquatenus mutata, patris familias, in convivio paschali. Celebrabantur tunc Dei beneficia erga populum electum, creatio, servatio Noe, revelatio Moysi facta, fuga in desertum, terrae promissae adeptio. Quaedam revera analogiae inveniuntur inter Praefationem liturgicam et psalmos 116–117, qui verbis iubilationis ac sublimibus ad Deum laudandum invitant et ad gratiarum actiones ei impendendas. Hi psalmi in ritu veteris legis ad coenam paschalem ad modum responsorii recitabantur, ante *magnum Hallel*, psalmum videlicet 135 (Cfr. Wapelhorst, *Comp. S. Liturg.*, pag. 197, 198). Sacerdos novae Legis, qui in coena eucharistica Patris familias partes suscepit, eamdem recitat precem. Sed post decantatas veteris foederis glorias, recogitat plane, se verum celebrare Pascha, et sub oculis habere, non amplius agnum hebraici Paschatis, sed Agnum immaculatum, qui ut tolleret peccata mundi, sacrificatus est. Tunc is vocem elevat, et canit Incarnationem, Redemptionem, institutionem Eucharistiae. Haec est antiquior forma, quae olim unum et idem cum Canone erat; Praefatio itaque est tanquam petra fundamentalis, super qua simul consistunt vetus et novum foedus, et est adhuc testimonium duorum rituum commixtionis.

Digitized by Google

Obvium fuit quidem, Apostolos Missam celebrasse, Coenam paschalem repraesentando, quam Iesus in magno Hierosolymitano Coenaculo celebravit. Apostoli profecto nullam reliquerunt scriptam Liturgiam, proindeque nullam Praefationem. Ad id probandum, considerare sufficit, Ecclesiam nunquam reipsa ullum librum recognovisse liturgicum ab Apostolis exaratum. Habentur re quidem vera nonnullae Liturgiae, Apostolicae nuncupatae, v. gr. Liturgia *Constitutionum Apostolicarum*, alia *Duodecim Apostolorum*, Liturgiae S. Iacobi, S. Marci ac aliae permultae, quae in liturgicis collectionibus Renaudot et Assemanni inveniuntur. Verum hae a peritis omnibus tanquam apocryphae habentur, et pseudonomae. Aliud tamen est id asserere, aliud ipsas, substantialiter non pertinere ad apostolicum aevum, et traditionem oralem non referre, ac priorum saeculorum praxim, quoad praecipua Sacrificii Eucharistici.

Antiquior Liturgia, quam novimus, est illa, quae a S. Iustino nuncupatur. Is, in sua prima Apologia, quae inter tria eiusdem opera a rigorosa critice authentica probatur, inter annos 139–150 exarata, exhibet iam (cap. 66, 67) distinctionem Missae Catechumenorum et Missae fidelium. Ante Offertorium fideles pacis osculum sibi invicem tradunt; memores forte verbi Iesu: « Si ergo offers munus tuum ad Altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te: relinque ibi munus tuum ante Altare, et vade prius reconciliari fratri tuo: et tunc veniens offeres munus tuum (Matth. V, 20). Unde ait S. Iustinus (par. 67): « Ubi desiimus precari, panis offertur et vinum et aqua; et qui praeest (scilicet Episcopus) preces et gratiarum actiones totis viribus emittit ». *Preces* et *gratiarum actiones* id sunt praecise, quod serius in Ecclesia Occidentali vocatum est Canon, cuius pars erat, uti iam diximus, etiam Praefatio, et in Orientali Anaphora. Canon reipsa, a S. Iustino *gratiarum actiones* vocatus, ab hymno laudis initium sumebat, qui Deo tribuebatur, ut ipsemet in paragrapho praecedenti, in eadem Apologia declarat. Deinde, ei qui praeest, panis offertur et poculum aquae et vini; quibus ille acceptis, laudem et gloriam universorum Parenti, per nomen Filii et Spi-



Digitized by Google

ritus Sancti emittit, et eucharistiam, sive gratiarum actionem prolixe exequitur. « In hoc hymno laudis et gloriae in SS. Trinitatem, cuius Canon erat continuatio, clarissime patet prima adumbratio Praefationis, quae in omnibus Liturgiis typum praesefert specialem, et Trisagio Angelico terminatur.

Potest igitur affirmari, saeculi II initio, Praefationem iam saltem adumbratam extitisse; quamvis minime affirmari debeat, tunc iam scripto exaratam fuisse, neque prout nunc habemus fuisse. Admitti semper potest hypothesis, ab initio, ob arcani disciplinam, Praefationem et Canonem inter sacrorum ministros fuisse transmissa memoriter, sed id multa probabilitate non gaudet. Hodie potius altera praefertur hypothesis (V. Duchesne, Cabrol, etc.), volens, Praefationem ab initio extempore enunciatam fuisse, sub religiosae inspirationis influxu, aliquo super themate praestatuto ac praeviso, quae postea paulatim scripto firmata permanserit, quod procul dubio saeculo IV peractum est.

Haec Prefationis antiquitas a nobilissimo quoque Carthaginiensi Episcopo, S. Cypriano confirmatur; ipse inter annos 200 et 258 vitam duxit; in suo opere *De Oratione dominica*, pag. 107, ait: « Ideo Sacerdos ante orationem, praefatione praemissa, parat fratrum mentes, dicendo: *Sursum corda!* ut dum respondet plebs: *Habemus ad Dominum*, admoneatur, nihil aliud se quam Dominum cogitare debere ». Dialogus quae Praefationem praecedebat, considerari valet tanquam unus ex primariis lapidibus aedificii Liturgiae primaevae. Praeter S. Cyprianum, Canones Hippolyti, S. Cyrillus Hierosolymitanus, S. Augustinus et alii Patres III et IV saeculi idem innuunt. Hac aetate iam evolvitur typus praefationis, quam vidimus in S. Iustino. In *Constitutionibus Apostolicis* (ann. 320–340, iuxta recentiorem criticen) amplissimam formam Praefationis invenimus in Liturgia, quae inibi integre refertur (libr. VIII). Post orationem sub silentio peractam, Episcopus, cruce se muniens in fronte, incipit ex populi salutatione per gratiam omnipotentis Dei, caritatem Domini Iesu Christi et communionem Spiritus Sancti; prosequitur invitatione ad animos sursum elevandos, atque ad

Digitized by Google

gratias Domino referendas. Hic Prex Eucharistica maxime evolvitur, a Dei maiestate inaccessibili incipiendo, omnia beneficia erga creaturas commemorando, omnia mirabilia quae in natura sunt enumerando, venerandos Typos veteris Foederis evocando, et concludendo denique cum reditu ad mysticum Divinitatis Sanctuarium, in quo Divina Maiestas residet, inter Spiritus, ubi Cherubim et Seraphim aeternum Trisagii hymnum concinunt. Hic populus vocem suam elevat ut suum immisceat cantum angelicis choris. Desinit hymnus, silentium redit, et Episcopus interruptum Eucharisticon resumit. Est Canonis initium, quod Praefationem sequitur. Praeterquam in Constitutionibus Apostolicis, Praefationem invenimus in Anaphora Liturgiae graecae, S. Basilii et S. Ioannis Chrysostomi, qua et nunc utuntur Graeci; sic etiam in Liturgiis graecis posterioribus S. Iacobi et S. Marci, v saec. Hoc vere mirandum, quomodo, a IV saeculo ad nos usque, tanta haberi potuit morum constantia!

In Liturgia graecae Ecclesiae unica tantum habetur formula Praefationis, dum in Ecclesia latina tanta varietas habetur, olim autem praegrandis. A Papa S. Damaso incoepit brevior reddi antiqua forma Praefationis, quae in *Constitutionibus Apostolicis* habebatur, nonnullis insertis verbis, quae mysterii praesentis characterem distingueret. Post praefatum Pontificem vero multiplicari coeperunt Praefationes, ita ut in Sacramentario Gelasiano habeantur numero 46; at S. Gregorius Magnus decem tantum retinuit, easdem, quae, una cum Praefatione B. Virginis, quam nonnulli Urbano VIII tribuunt, etiamnum in Missali Romano habentur.

Sed a varietate abstrahendo, Praefatio, in sua substantia, est vere et proprie hymnus gratiatum actionis, qui, ut talis, in omnibus inveniri datur Liturgiis. Invitatorium iam indolem designat cantus qui sequitur: *Gratias agamus Domino Deo nostro*, et Praefatio invitationem obsecundat, cui respondet. Haec est causa, cur quamvis sit initium et introductio Precis eucharisticae, minime habetur exclusive in Missa, et invenitur etiam in aliis consecrationibus ac benedictionibus solemnibus.

Digitized by Google

Concludimus, praecipuam Praefationis partem ad originem Ecclesiae esse referendam; namque, iuxta divum Augustinum, quod antiqui et universalis usus est in Ecclesiis, ex communi fonte derivare dicendum est, traditione nempe apostolica (Smith, *Diction. of Christ.*, ant. II, 1694).

II. *Quaenam leges, sive generalibus, sive specialibus Rubricis attentis, praefationem dirigant quando Missae plures conventuales occurrant, et num ad votivas sint illae applicandae?*

Praefationes, prout in *Ordo Missae* notatur, dicendae sunt. Ad Rubricas generales recurrendum est, ut leges dignoscantur, quae Praefationem dirigunt, quando plures Missae conventuales occurrant:

1° Si Missa propriam habet, propriam recitare oportet, excepto festo S. Ioannis ap., die 27 Decembris, in quo dici debet propria Nativitatis Domini;

2° Si Missa non habens propriam Praefationem, octava decurrente celebratur, dicenda est Praefatio huius octavae, quamvis nulla habeatur commemoratio octavae, excepto casu, in quo, infra octavam, dicitur Missa feriae, absque octavae commemoratione, ut accidit in secunda Missa conventuali; tunc in Missa feriae dicitur Praefatio de Tempore aut communis;

3° Sin autem Missa non habeat Praefationem propriam neque alteram de octava, Praefatio temporis propria dicenda est: de Quadragesima nempe, de Passione, de Paschate;

4° Nisi vero locum habet Praefatio Missae propria, aut temporis, dicitur communis, si Missa infra hebdomadam incidit; de SS. Trinitate, in Dominicis.

Insuper S. Rituum Congregatio, inter sua decreta, haec ad rem habet:

1° Praefationes propriae Quadragesimae, temporis Passionis et paschalis etiam in Dominicis dicuntur, ac in festis eo tempore occurrentibus, dummodo talia festa propria careant (2515, ad 16);

2° Si infra octavam alicuius festi, propriam Praefationem habentis, festum de maioribus occurrerit celebrandum propriam

Digitized by Google

non habens; dicetur illa quae ad octavam pertinet, quamvis de hac nulla in Missa habenda sit commemoratio (2439, ad 2);

3° In Missis votivis dicitur Praefatio propria, si habeatur, quae si est de Spiritu Sancto, in ea omittitur *hodierna die*, et si de B. M. V., in hac dicitur *Et te in veneratione*; quae vero propriam non habent, sumunt de tempore currenti, aut de octava, si Missa infra octavam celebrari contigerit; quod si, eodem tempore, plures octavae occurrerint, propriam Praefationem habentes, ex. gr. de SS. Trinitate et de SS. Corpore Christi, de digniori dicetur, aut de festo quod universalius est. Si quando autem, ex legitima causa, Missa votiva in Dominica diceretur, atque haec Missa, vel octava vel tempus, propria carerent Praefatione, de SS. Trinitate dicenda erit, quippe quae propria est Dominicae, et idcirco pertinet ad tempus (2449, 3683 et 3922);

4° In Missa conventuali de feria, quae in die octava occurrit Nativitatis B. M. V., communis Praefatio recitanda erit (428);

5° Cum Missa celebratur votiva, Praefatione propria gaudens, infra octavam etiam privilegiatam alicuius festi, quod item propria fruitur, de votiva sumetur, cum *Communicantes* de octava (1265 ad 3, et 3922);

6° Praefatio de octava dicenda est in Missa Vigiliae, Feriae Quatuor Temporum vel Quadragesimae, infra octavas propriam habentes, secus communis (2319 ad 26).

III. *Pro quibus ex disceptantibus ratio pugnet, ut in casu?*

His praemissis, in casu de quo sermo est, videretur in utraque Missa, Praefatio esse dicenda de Immaculata: in Conventuali de festo occurrente, eo quod incidit infra octavam, ratione octavae; in Conventuali votiva, ratione sibi intrinseca, quia votiva est de Immaculata, propriamque habet Praefationem. Sed, si consideretur, ex Rubricis nunquam bis fieri commemorationem de eodem, concludendum est, neque Praefationem esse bis dicendam, quae aliquid festi proprium commemoret.

Itaque, quoad casum propositum, in Missa Conventuali de festo occurrente, nihil de octava Immaculatae Conceptionis fa-

Digitized by Google

ciendum est, eo quod altera Missa Conventualis de eadem octava celebratur; proinde Praefatio in prima Missa non erit de Immaculata, sed communis; in altera vero Missa dicetur Praefatio eiusdem Missae votivae propria, nempe de Immaculata, et sic omnis difficultas evanescit. Conclusio autem nostra plane confirmatur per Decretum S. R. C., 19 Iunii 1903, *Ordinis Fratr. Minorum* (apud *Ephem. Liturg.*, vol. XVII, pag. 455), quo ad dubium II: « Quaenam Praefatio dicenda sit in Missa votiva Conventuali, quando alia celebretur Missa de die infra octavam vel eius fiat commemoratio in Missa de Officio occurrente, an scilicet Praefatio communis, vel Praefatio de octava », S. R. C. rescribendum censuit: « *Affirmative* ad primum, *Negative* ad secundum ».

# Expositio Rubricarum.

## EXPOSITIO NOVISSIMA
### RUBRICARUM BREVIARII ROMANI

(*Continuatio.* V. num. 3, anni curr., pagg. 149-152).

Cl. Ulysses Chevalier (*Université Catholique*, t. VIII, 1891, p. 122) non inepte notat, correctionem Urbanianam ortum praecipue habuisse ex eo, quod saeculo XVII prorsus ignorabantur regulae poësis rhytmicae, ideoque hymni ex. gr. S. Thomae Aquinatis dicebantur *Etrusco rhythmo* scripti (1).

(1) Tribus lectissimis Societatis Iesu viris a Merato citatis, quartus adiicendus est, nempe Matthias Sabiewski polonus († 1640), ut refert Bäumer (*ibid.*), qui ex carminum elegantia, Horatio comparatus fuit ab Hugone Grotio Hinc est, quod ut plurimum, praecipuam in hymno-

Digitized by Google

Ceterum, subdit Bäumer (*ibid. p. 292*) facilitas, simplicitas ac popularis nobilitas in hymnis disparuit; *accessit latinitas et recessit pietas.* Hodie tamen, ex quo in archigymnasiis quamplurimis, in quibus a laicis etiam summo studio praediliguntur scriptores sacri inferioris latinitatis, hymni quoque eiusdem aetatis maxima aestimatione habentur, ita ut multi ex hodiernis liturgiae cultoribus totis viribus antiquam formam hymnorum defendant, atque eorum restaurationem desiderent (cf. Bouix, *De iure liturgico*, part. VI, c. II, § V, nota). Haec forsan restitutio hymnorum ad primaevam formam suam necessario erit introducenda, quando in Vaticana typographia, hymnarium quoque iuxta cantum traditionalem, iussu Pii Pp. X imprimendum erit.

Hoc autem eo magis desiderandum est, quia in ipsa Vaticana Basilica, in Breviario *Capellae papalis*, apud universum Ordinem S. Benedicti, sicut et apud Cartusianos, Cistercienses, Dominicanos, Carmelitas antiquae observantiae, ac Praemonstratenses Canonicos, hymni antiqui servati sunt.

rum correctione partem habuisse Patres Societatis Iesu, traditur; ita ut Faustinus Arevalo, et ipse eiusdem Societatis Sacerdos in sua *Hymnodia hispanica* § 28 (*in* MIGNE, *P. L. ante Prudentii opera*) nec non Pimont O. S. B. (*Les Hymnes du Brév. Rom.* Paris, 1874-84), aperte doceant, Urbanum VIII non auctorem correctionis, sed illius inspiratorem tantum extitisse. Cl. Tiraboschi (*Istoria della letterat. ital.*) ubi agit de scriptoribus, qui ineunte saeculo XVII floruerunt, de Urbano VIII scribit tamen hymnorum correctorem praecipuum fuisse, quamquam, ut eruitur in sua bulla *Divinam psalmodiam*, talis apparere noluerit. Quae Tiraboschi opinio, hodie certissima est, nam Venturi (*Gli inni della Chiesa*, edit. III, 1880) quamdam edidit epistolam praedicti Famiani Stradae, Urbano VIII missam, in qua manifeste apparet, hunc pontificem operam propriam in hymnorum correctione, impendisse. Quapropter moderanda nunc est censura plurimorum, qui, hac de re agentes, aiunt Patres Societatis Iesu plus aequo processisse in hymnis corrigendis, ac sub praetextu ipsos restaurandi iuxta metricae et boni sermonis regulas, venerandae antiquitatis operam deturpasse (cf. BATIFFOL, p. 263).

Digitized by Google

Lectores nostri certo certius, antequam historiam hymnorum deseramus, nomen auctoris cuiusque hymni scire cupient; en ergo syllabus hymnorum, qui in Breviario Romano nunc inveniuntur, addito auctorum nomine:

## I. — In Psalterio.

1. In Dominica ad Matutinum:
   *Primo die quo Trinitas.* S. Gregorius I Papa † 604.
2. *Nocte surgentes.* Id.
3. In Dominica ad Laudes:
   *Aeterne rerum conditor.* S. Ambrosius Mediolanensis Episc. † 397.
4. *Ecce iam mortis.* S. Gregorius.
5. Ad Primam: *Iam lucis.* S. Ambrosius.
6. Ad Tertiam: *Nunc, sancte.* Id.
7. Ad Sextam: *Rector potens.* Id.
8. Ad Nonam: *Rerum, Deus.* Id.
9. Feria II, ad Matutinum: *Somno refectis.* Id.
10. » ad Laudes: *Splendor paternae.* Id.
11. Feria III, ad Matutinum: *Consors paterni.* Id.
12. » ad Laudes: *Ales diei.* Prudentius praefectus praetorii in Hispania † 413.
13. Feria IV, ad Matutinum: *Rerum creator.* S. Ambrosius.
14. » ad Laudes: *Nox et tenebrae.* Prudentius.
15. Feria V, ad Matutinum: *Nox atra rerum.* S. Ambrosius.
16. » ad Laudes: *Lux ecce surgit.* Prudentius.
17. Feria VI, ad Matutinum: *Tu Trinitatis.* S. Ambrosius.
18. » ad Laudes: *Aeterni caeli.* Id.
19. Sabb. ad Matutinum: *Summae Parens.* Id.
20. » ad Laudes: *Aurora iam.* Id.
21. Dominica ad Vesperas: *Lucis creator.* S. Gregorius.
22. Feria II, ad Vesperas: *Immensae caeli.* S. Ambrosius.
23. » III, » *Telluris almae.* Id.

Digitized by Google

24. Feria IV, ad Vesperas: *Caeli, Deus sanctissime.* S. Ambrosius.
25. » V, » *Magnae Deus.* Id.
26. » VI, » *Hominis supernae.* Id.
27. Sabbato, » *Iam sol recedit.* Id.
28. Ad Completorium: *Te lucis ante.* Id.

## II. — In Proprio de Tempore.

29. In Adventu, ad Vesperas: *Creator alme.* S. Ambrosius.
30. » ad Matutinum: *Verbum supernum.* Id.
31. » ad Laudes: *En clara vox.* Id.
32. In Natali Domini: *Iesu, Redemptor.* Id.
33. » *A solis ortu.* Sedulius, presbyter † 430.
34. Ss. Innocentium: *Audit tyrannus.* Prudentius.
35. » *Salvete, flores.* Id.
36. Epiphaniae: *Crudelis Herodes.* Sedulius.
37. » *O sola magnarum.* Prudentius.
38. In Quadragesima, ad Vesperas: *Audi, benigne.* S. Gregorius.
39. » ad Matutinum: *Ex more docti.* Id.
40. » ad Laudes: *O sol salutis.* Anonymus IX saec.
41. Temp. Passionis, ad Vesperas: *Vexilla regis.* S. Fortunatus, episcopus Pictaviensis † 600.
42 Temp. Passionis, ad Matutinum: *Pange, lingua... lauream.* Claudianus Mamertus, presbyter Viennensis † exeunte saec. V.
43. Temp. Passionis, ad Laudes: *Lustra sex.* Id.
44. Temp. Paschali, ad Vesperas: *Ad regias Agni.* S. Ambrosius.
45. » ad Matutinum: *Rex sempiterne.* Id.
46. » ad Laudes: *Aurora caelum.* Id.
47. Ascensionis: *Salutis humanae Sator.* Id.
48. » *Aeterne Rex.* S. Gregorius.
49. Pentecostes: *Veni, creator.* Carolus Magnus, imperator † 814 (cf. Guéranger, *Année liturgique*).
50. Pentecostes: *Iam Christus astra.* S. Ambrosius.

Digitized by Google

51. Pentecostes: *Beata nobis gaudia.* S. Hilarius Pictaviensis † 367.
52. SS. Trinitatis: *Summae Parens.* S. Ambrosius.
53. » *Tu, Trinitatis.* Id.
54. Corporis Christi, ad Vesperas: *Pange, lingua... Corporis.* S. Thomas Aquinas † 1274.
55. Corporis Christi: *Sacris solemniis.* Id.
56. » *Verbum supernum.* Id.

III. — In Proprio Sanctorum.

57. Immacul. Conceptionis B. M. V.: *Praeclara custos virginum.* Anonymus saeculi XVII.
58. SS. Nominis D. N. I. C.: *Iesu, dulcis memoria.* Abbatissa quaedam Ord. S. Benedicti, quae saeculo XIV floruit (Guéranger, *Année liturgique*).
59. SS. Nominis D. N. I. C.: *Iesu, rex admirabilis.* Eadem.
60. « » *Iesu, decus angelicum.* Eadem.
61. Cathedrae S. Petri: *Quodcumque in orbe.* S. Paulinus Aquileiensis † 431, vel Elpis, uxor Boetii † 524.
62. Cathedrae S. Petri: *Beate pastor.* Id. vel ead.
63. Conversionis S. Pauli. *Egregie doctor Paule.* Id. vel ead.
64. S. Martinae: *Martinae celebri.* Urbanus VIII † 1644.
65. » *Tu natale solum.* Id.
66. Ss. VII Fundatorum: *Bella dum late.* P. Eugenius Polletti Ord. Servorum B. V. M. Rmus Vincentius Tarozzi emendavit. Ambo adhuc vivunt.
67. » » *Sic patres vitam.* Id. id.
68. » » *Matris sub almae.* Anonymus saeculi XVIII, id. Rmus V. Tarozzi emendavit.
69. S. Ioseph: *Te, Ioseph, celebrent.* Anonymus saeculi XVII.
70. » *Caelitum, Ioseph.* Id.
71. » *Iste, quem laeti.* Id.

Digitized by Google

72. VII Dolorum B. M. V., *Stabat Mater dolorosa.* Iacobonus a Tuderto O. M. † 1306.
73. S. Hermenegildi M.: *Regali solio.* Urbanus VIII.
74. » *Nullis te genitor.* Id.
75. S. Venantius M.: *Martyr Dei Venantius.* Anonymus saec. XVII.
76. » *Athleta Christi.* Id.
77. » *Dum nocte pulsa.* Id.
78. Sacri Cordis Iesu: *Auctor beate.* Anonymus saec. XVIII.
79. » *En ut superba.* Id.
80. » *Cor, arca legem continens.* Id.
81. S. Iulianae Virg.: *Caelestis Agni nuptias.* Fr. Laurentini, florentinus † 1719.
82. S. Ioannis Baptistae: *Ut queant laxis.* Paulus Diaconus Aquileiensis O. S. B. † 774.
83. S. Ioannis Baptistae: *Antra deserti.* Id.
84. » » *O nimis felix.* Id.
85. Ss. Petri et Pauli: *Decora lux.* Elpis, uxor Boetii.
86. » » *Beate Pastor Petre.* Eadem.
87. Pretios. Sanguinis D. N. I. C.: *Festivis resonent.* Anonymus saeculi XVIII.
88. Pretios. Sanguinis D. N. I. C.: *Ira iusta conditoris.* Id.
89. » » *Salvete, Christi vulnera.* Id.
90. Ss. Cyrilli et Methodii: *Sedibus caeli.* Leo XIII † 1903.
91. » » *Lux o decora.* Id.
92. S. Elisabeth Viduae: *Domare cordis impetus.* Urbanus VIII.
93. » » *Opes decusque.* Id.
94. S. Mariae Magdalenae: *Pater superni luminis.* Card. Robertus Bellarminus † 1621.
95. S. Mariae Magdalenae: *Maria castis osculis.* S. Odo Ab. Cluniacensis † 942.
96. S. Mariae Magdalenae: *Summi Parentis unice.* Id.
97. S. Petri ad Vincula: *Miris modis.* S. Paulinus, vel Elpis.
98. » » *Quodcumque in orbe.* Id. vel eadem.
99. Transfigurationis Domini: *Quicumque Christum.* Prudentius.

Digitized by Google

100. Transfigurationis Domini: *Lux alma, Iesu.* S. Bernardus Ab. Claravallensis † 1153.
101. VII Dolorum B. M. V.: *O quot undis.* Anonymus saec. XVII.
102. » » *Iam toto subitus.* Id.
103. » » *Summae, Deus, clementiae.* Id.
104. S. Michaelis Arch.: *Te, splendor.* Rabanus Maurus, Episc. Moguntinus † 856.
105. S. Michaelis Arch.: *Christe, Sanctorum.* Id.
106. Solemn. S. Rosarii: *Caelestis aulae nuntius.* Fr. Thomas Ricchinius Cremonensis, Ord. Pred., Secret. Congr. Indicis, qui floruit medio saec. XVIII.
107. » » *In monte olivis consito.* Id.
108. » » *Iam morte victor obruta.* Id.
109. » » *Te gestientem gaudiis.* Id. Fr. Eustachius Sirena Ferrariensis, Ord. Pred., qui floruit exeunte saec. XVIII.
110. Ss. Angelorum Custodum: *Custodes hominum.* Card. Bellarminus.
111. Ss. Angelorum Custodum: *Aeterne rector siderum.* Id.
112. S. Theresiae: *Haec est dies.* Urbanus VIII.
113. » *Regis superni nuntia.* Id.
114. S. Ioannis Cantii: *Gentis Polonae.* Anonymus saec. XVIII.
115. » *Corpus domas ieiunii.* Id.
116. » *Te deprecante, corporum.* Id.
117. Omnium Sanctorum: *Placare, Christe.* Anonymus saec. IX (Rabanus Maurus?).
118. Omnium Sanctorum: *Salutis aeternae dator.* Id.

## IV. — In Communi Sanctorum.

119. Apostolorum: *Exultet orbis gaudiis.* Anonymus saec. IX-XIV.
120. » *Aeterna Christi munera.* Anonymus V saec.
121. » *Tristes erant Apostoli.* S. Ambrosius.
122. » *Paschale mundo gaudium.* Id.

Digitized by Google

123. Unius Martyris: *Deus, tuorum militum.* S. Ambrosius.
124. » *Invicte martyr.* Anonymus saec. IX–XIV.
125. Plurimorum Martyrum: *Sanctorum meritis.* Anonymus saec. VI–IX.
126. Plurimorum Martyrum: *Christi profusum sanguinem.* Anonymus saeculi V.
127. Plurimorum Martyrum: *Rex gloriose martyrum.* Anonymus IX–XIV saeculi.
128. Confessorum: *Iste Confessor.* Id. (1).
129. Conf. Pontificis: *Iesu, Redemptor.* Id.
130. Conf. non Pontificis: *Iesu, corona celsior.* S. Ambrosius.
131. Virginum: *Iesu, corona Virginum.* Id.
132. » *Virginis proles.* Anonymus saeculi IX–XIV.
133. Nec Virginum nec Martyrum: *Fortem virili pectore.* Silvius Antonianus, Cardinalis † 1603.
134. Dedicationis Ecclesiae: *Caelestis Urbs Ierusalem.* Anonymus saeculi IX–XIV.
135. Dedicationis Ecclesiae: *Alto ex Olimpi.* Id.
136. De B. Maria V.: *Ave, maris stella.* Fortunatus.
137. » *Quem terra, pontus.* Id.
138. » *O gloriosa Virginum.* Id.

Confer Bernard (*Le Bréviaire Romain*, 1887, pag. 236–247), et Maugère (*Le Bréviaire Romain commenté*, pag. 290).

(*Continuabitur*).

Doct. PETRUS PIACENZA.

(1) Ferunt, hunc hymnum *Iste confessor*, in honorem S. Martini Ep. Turonensis fuisse primitus conscriptum.

Digitized by Google

# Quaestiones Liturgicae.

## De occurrentia festorum eiusdem ritus.

**Quaestio.** – Currenti anno 1906, die 19 Augusti, in Ordine Seraphico simul occurrunt festa S. Ioachim Conf. et S. Ludovici Episcopi Conf. I Ordinis, quae sunt duplicia 2 classis. Quodnam ex illis est praeferendum?

**Resp.** – In casu agendum esse de festo S. Ludovici Tolosani Episcopi et Confessoris I Ordinis, translato Officio S. Ioachim Confessoris et Patris Beatae Mariae Virginis, ex eo probatur, quod prius festum est prae altero *fixum* et *magis proprium* Ordini Seraphico; prouti Rubricae etiam generales Breviarii Romani sub tit. X ac n. 6 sic agendum esse praecipiunt: « At si omnia fuerint *Duplicia*, vel omnia Semiduplicia, fiat de digniori seu solemniori, *videlicet*, de festo potioris ritus prae alio ritus inferioris, aut in paritate ritus, de primario prae secundario, aut iisdem primariis vel secundariis, de digniori ratione Personae, aut in paritate dignitatis, de *fixo* prae mobili, aut denique ceteris paribus, de *magis proprio* prae minus proprio; et quae Duplicia minoris solemnitatis sunt, si transferri valeant, transferantur ».

Quum ergo Rubricae laudatae, quae minutiose describunt titulos, unde festum quodpiam alteri praeferatur, *titulum feriationis* non apponant, neque nos necessario cogimur eumdem admittere; ideoque nec festum S. Ioachim adigimur Officio S. Ludovici *fixo* et *magis proprio* anteferre, ex eo quod nempe S. R. C. per Decretum *Urbis et Orbis* sub die 20 Septembris et 3 Octobris anno 1738 evulgatum statuit, ut festum ipsius S. Ioachim e die 20 Martii perpetuo in Dominicam infra Octavam Assumptionis Deiparae amandaretur, ne festa feriationem habentia plus aequo multiplicarentur, neve umquam idem Patriarcha minus quam eius sancta Coniux Anna, iam festum sub utroque habens praecepto sub die 26 Iulii, videretur excultus.

Digitized by Google

Insuper, *titulus feriationis* nullo umquam Decreto *praecipitur* absolute attendi, sed tantum *sinitur* in consideratione nonnumquam haberi. Revera, Decretum Generale sub n. 3881, n. II de Anniversario Dedicationis Ecclesiae propriae ita declarat: « *Permitti* nihilominus ut Patroni festum, cuiuscumque sit personalis dignitatis, ratione *feriationis* praedicto Anniversario praeferatur ». Praeterea, Decretum sub n. 2378, ad 2, de concurrentia sic authentice resumitur in Indice ad pag. 164: « Duplicia festa per annum, quae solemniter celebrantur a Choro et in Populo sunt *feriata*, in concurrentia cum aequalibus quoad ritum (ceteris paribus), habere *possunt* integras Vesperas ad sensum Rubricae tit. XI Breviarii Romani n. 2 ».

Adversus hanc sententiam nostram immerito provocatur ad Decretum sub n. 2591 ad 2, in quo Sacra Rituum Congregatio declaravit, non esse consideranda *tamquam mobilia* Patronorum festa cum praecedentibus in Sabbato Vigiliis in utriusque Siciliae Regno in Dominicam sequentem infra eorumdem Octavas cum Officio ac Missa perpetuo amandata, ac nonnisi per accidens illinc transferenda, prout ex Indultis Summi Pontificis Pii VII, sub nn. 2589 et 2590, iniuncta respective vel permissa sunt transferri; quoniam: 1. Decretum illud est *particulare* et *sola* Patronorum principalium festa respicit, editumque fuit antequam titulus *fixi* prae mobili, ex Decretis sub n. 3885 ad 1 et 3919 ad 3 in Rubricas generales sub tit. X ac n. 6 insertis, ceu praeferentiae causa inferretur.

2. Decretum ipsum de solis Patronorum principalium festis congruenter accipitur, dum haec omnibus semper aliis Sanctorum Officiis praeponuntur, quae Duplicia primae classis non fuerint ac solemniora et primaria apud Ecclesiam universalem, et dum si quandoque illa impediantur tam perpetuo quam per accidens, iure translationis seu repositionis nunquam fraudantur; ideoque non debent ipsa considerari tamquam mobilia, cum Officiorum mobilium legibus in occursu pariter et concursu ac repositione nullimode subiiciantur.

Digitized by Google

3. Decretum praemissum eo sensu debet intelligi, quem Aloisius Gardellinius in tom. IV editionis novissimae ad pag. 185 exponit, quique sic ad solutionem controversiae nostrae indifferens omnino videtur: « Festa Patronorum perpetuo affixa certae Dominicae *immediate* post diem propriam, vel alteri pro casuum diversitate assignatae, adnumeranda non sunt festis mobilibus, nisi lato modo, quia scilicet non semper eadem die mensis celebrantur: habent tamen certam sedem, a qua nonnisi accidentaliter queunt amoveri. Vere mobilia censentur et sunt illa, quae *pendent* a Cyclo Paschali ».

4. Decretum idem, ut videtur, *arbitrario* per nonnullos cum cl. I. F. Van der Stappen in opere *Sacra Liturgia*, sub tom. I, ad pag. 240, de solis intelligitur Officiis mobilibus in levamen Cleri, uti Puritatis et Maternitatis Beatae Mariae Virginis indultis; non vero de festis mobilibus accipitur, quae, uti Pretiosissimi Sanguinis et Patrocinii S. Ioseph aliaque, ideo affixa fuerunt Dominicis, ut cum feriatione possent celebrari: quoniam eiusmodi norma in diversis casibus obscura est, nullo Rubricarum Decretorumve loco fulcitur, iuxtaque eam saepe unum idemque festum aliis videri possit in Dominica affixum ob feriationem, aliisque e contra ob levamen Cleri, sicque dubia nimis multiplicarentur sine causa sufficienti.

5. Relatum denique Decretum optime applicatur festis Patronorum, quae *communiter* in Dominicis infra eorumdem Octavas perpetuo consignata, revera adhuc sunt in die suo *natali* ac propemodum *fixo*, quoniam omnes dies infra Octavam pro una solent festivitate computari; prouti nempe non mutatur in Hymno versus *Meruit beatas*, si festum Confessoris habens Octavam, non ultra illam transferatur, uti ex Decreto sub n. 2365 ad 3 eruitur; sed tamen iuxta hoc ipsum Decretum in Officio S. Ioachim semper immutari debet, quia festum die 20 Martii occurrens, nimium remote extra totam suam Octavam in Dominica infra Octavam Assumptionis Deiparae collocatur.

Itaque, cum ratio feriationis *necessario* non debeat attendi, ac praesertim in casu nostro, quo ipsa etiam in festo S. Annae est

Digitized by Google

reducta; cum insuper in occurrentia vel perpetua, ceteris paribus, dies *natalitia* praeferatur diei *quasi-natalitiae* iuxta Decretum 3811 n. II; cum dein iuxta Decetum 4034 ad 1, ratio *fixi* prae mobili attendi ceteris paribus debeat, ubi festum Reliquiarum Dominica ultima Octobris peragendum cum Officio diei mensis affixo simul occurrat; cum denique Rubricae peculiares sub nn. 79-89 ac praesertim 82 nullam aut non magnam pro casu nostro post Rubricas generales *ultimo* reformatas et qualitatem *fixi* attendentes vim amplius obtinere videantur: hinc nos, haec aliaque superius exposita sedulo expendentes, agendum esse arbitramur sub die 19 Augusti festum S. Ludovici Tolosani I Ordinis, utpote fixum, magis proprium, in die occurrens natalitia, antiquius insuper in possessione diei, et infima dignitate Personali praestantius; atque transferendum in diem sequentem Officium S. Ioachim Confessoris et Patris Beatae Mariae Virginis, utpote sub expositis respectibus inferius, haud nempe attenta feriatione, quae ceteris paribus solum nec umquam necessario videtur consideranda, et in ipsius festo S. Ioachim non amplius ab omnibus exstans agnoscitur. Iuxta enim *Ephemerides Liturgicas*, anno X, sub pag. 512, Victorius ab Appeltern in tom. II operis *Manuale Liturgicum*, ad pag. 169, opinatur: « Hoc festum strictim pertinet ad classem Sanctorum Confessorum (S. R. C., 19 Dec. 1829, ad 4, n. 2672), nec censetur festum pollens privilegio feriationis. Hinc, si apud nos haec Dominica inciderit in festum S. Ludovici Episcopi Confessoris I Ordinis, ritus pariter duplicis 2 classis, festum S. Ioachim, utpote mobile et minus proprium, transferendum est in primam diem liberam. Si vero praefata festa simul concurrant, Vesperae dividantur a Capitulo, eo quod in concursu festum diei mensis affixum vel magis proprium quoad praelationem non considerentur ».

Atque ita nos quidem sentimus, salvo semper meliori sapientum ac praesertim legitimae Auctoritatis iudicio.

Fr. PASCHALIS BRUGNANI O. F. M.
ex Academiae Liturgicae Romanae Censoribus.



Digitized by Google

# Consultationes.

## I. — Dubiorum liturgicorum solutio.

E Civitate S.

**Dub. 1.** – Episcopus Missae solemni cum pluviali vel cappa assistens, dum aquam benedicit, debetne dicere orationem *Deus, qui humanae substantiae etc.*?

**Resp.** – Huic dubio S. R. C. die 11 Sept. 1847 in una *Angelopolitana* ad 9, respondit: « *Dicendum esse orationem* »; cui responso cohaeret doctrina cl. De Herdt (*Prax. pontif.*, tom. II, n. 148), qui tamen merito dubitavit, an Celebrans eamdem orationem omittere deberet. Verum praefatum Decretum e nova collectione expunctum est.

Anno autem 1883, sequens dubium eidem S. R. C. propositum est, nimirum: « Episcopus Missae solemni assistens pluviali vel cappa indutus, dum benedicit aquam, debetne orationem *Deus, qui humanae substantiae etc.* proferre, et illam Celebrans omittere; an potius praedictam orationem tenetur Celebrans recitare, et Episcopus, benedicendo aquam, tantum dicere debet « *In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen* »?

Cui dubio S. R. Congregatio, die 27 Ianuarii 1883 (n. 5865[2] in vet. collect.) rescripsit: « *Servetur consuetudo* ». Posterius hoc Decretum in novissima quoque collectione legitur sub n. 3569; sed relativum responsum sic immutatum est: « *Negative*, ad primam partem; *Affirmative*, ad secundam ».

Quare Episcopus cum pluviali vel cappa Missae solemni assistens, dum aquam benedicit, tantum dicere debet: « *In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen* » (cfr. Index Decr., pag. 173); oratio autem « *Deus, qui humanae substantiae etc.* » a Celebrante recitanda est, qui tamen signum Crucis omittit.

Digitized by Google

**Dub. 2.** – Potestne tolerari, quod Celebrans dum Canonicos aqua benedicta aspergit ante Missam conventualem diebus Dominicis, aspersorium a parte inferiori ad superiorem elevet?

**Resp.** – Celebrans, dum se ipsum aspergit, potest vel aspersorium ad frontem elevare, vel per manus dexterae motum aquam in se ipsum proiicere, quin frontem cum aspersorio tangat (De Herdt, *Prax. pontif.*, tom. I, n. 131); dum autem Canonicos ac reliquos aspergit, omnes aspergere debet demittendo aspersorium a superiori parte ad inferiorem; neque contraria consuetudo servari potest (S. R. C., 12 Maii 1905, *Congr. Eremit. Camald. Montis Coronae*, ad dub. VII, apud *Ephem. Liturg.*, vol. XIX, pag. 461).

## II. — Breviora responsa.

Pro Gallia.

1. Si eadem die occurrant festum S. Ioachim Patris B. M. V. atque aliud festum fixum, magis proprium eiusdemque ritus, hoc praeferendum videtur, ut supra quoad similem casum dictum est (pag. 238).

2. Siquis, loco Missae de festo semiduplici, cuius Officium recitaverit, celebrare velit Missam de feria maiori occurrente, in hac Missa facienda est commemoratio Officii diei, ut alias dictum est. Cfr. *Ephem. Liturg.*, vol. XIX, pag. 300.

3. Festum Inventionis D. N. I. C., assignatum Dominicae infra octavam Epiphaniae, anticipari nequit absque privilegio in praecedens Sabbatum, quoties Epiphania in Dominica venerit, licet anticipetur Officium Dominicae; sed, si habeatur indultum transferendi Officia particularia mobilia, illud festum impeditum transferendum est de more in primam diem liberam *subsequentem*. Idem dicatur de festo S. Familiae, assignato Dominicae tertiae post Epiphaniam, quod anno proximo 1907 impeditum ob occursum Dominicae Septuagesimae, anticipari non potest in Sabbatum praecedens, etsi anticipetur Officium Dominicae tertiae post Epipha-

Digitized by Google

niam (Cfr. *Ephem. Liturg.*, vol. XVIII, pag. 158). Quibusdam autem locis indultum est, ut, si dies Epiphaniae Dominica fuerit, festum Inventionis D. N. I. C. fiat in sequenti Feria IV, idest die nona Ianuarii, uti constat ex peculiari Rubrica eiusdem Officii a S. Sede approbati.

## Pro Pisis.

In conservatoriis puellarum, Missae inservire potest, pro responsis tantum et *ex necessitate*, extra cancellos vel longius ab Altari, aliqua ex puellis vel Monialibus, si non facile sit alium inservientem invenire (S. R. C., 27 Aug. 1836, 2745[8], et 18 Martii 1899, n. 4015[6]). Ad R.mum autem Ordinarium spectat iudicare de *necessitate* in casu, si saepe atque habitualiter fiat.

## Pro Belgio.

1. Regulares utriusque sexus, e propriis monasteriis civiliter expulsi, celebrare tenentur festum praecipui Patroni loci, ubi nunc degunt (S. R. C., n. 3863), non autem loci, unde discesserunt. Ipsi vero ius semper habent ad sequendum suum proprium Calendarium, quod antea habebant. Cfr. tamen *Ephem. Liturg.*, vol. XVII, pag. 370, et vol. XVIII, pag. 120.

2. Illi qui inter choralem divini Officii recitationem aliquid omittunt propter chori servitium, non tenentur omissa supplere, quia chorus, cui inserviunt, supplet pro ipsis. Hoc tamen valet quoad obligationem choralem; siquis enim ratione Ordinis sacri ad divinum Officium sit obligatus, ex hoc titulo per se tenetur omissa supplere. Cfr. De Herdt, *Prax. capit.*, cap. XXVI, § 5, n. I.

Digitized by Google

# SPECIMEN
# Calendarii Universalis Ecclesiae
## pro anno Domini 1907.

**Pascha contingit die 31 Martii.**

### Tabella Temporaria.

| | |
|---|---|
| Litera Dominicalis . . . . | f. |
| Aureus Numerus . . . . . | 8. |
| Epacta . . . . . | XVI. |
| Litera Martyrologii . . . . | r. |
| Indictio Romana . . . . . | V. |
| Cyclus Solaris . . . . . | 12. |
| Dominicae post Epiphaniam . | 2. |
| Dominicae post Pentecosten . | 27. |

### Festa Mobilia.

| | |
|---|---|
| Septuagesima . . . . . | 27 Ian. |
| Dies Cinerum . . . . . | 13 Febr. |
| PASCHA RESURRECTIONIS . | 31 Mart. |
| Rogationes . . . . | 6, 7, 8 Maii. |
| ASCENSIO DOMINI . . . . | 9 Maii. |
| PENTECOSTES . . . . . | 19 Maii. |
| CORPUS CHRISTI . . . . | 30 Maii |
| Dominica 1. Adventus . . | 1 Dec |

### Quatuor Anni Tempora.

| | |
|---|---|
| In vere . . . . | 20, 22, 23 Febr. |
| In aestate. . . . | 22, 24, 25 Maii. |
| In autumno . . . | 18, 20, 21 Sept. |
| In hyeme . . . | 18, 20, 21 Dec |

NUPTIAE CELEBRARI POSSUNT

A die 7 Ianuarii ad diem 12 Februarii inclusive, et a die 8 Aprilis ad diem 30 Novembris pariter inclusive.

### IANUARIUS

✠ 1 F. 3. CIRCUMCISIONIS D.NI *d. 2. cl.*
2 F. 4. Oct. Stephani *d.* c. octavar.
3 F. 5. Oct. Ioannis *d.* c. oct.
4 F. 6. Oct. Innoc. *d.*
5 S. Vigil. Epiph. *sem.* c. Telesphori.
✠ 6 D. (*vacat*) **Epiphaniae D.ni** *d. 1. cl. cum oct. privil.*

CRAS MANE APERIUNTUR NUPTIAE

7 F. 2. De 2. die infra oct. *sem.*
8 F. 3. De 3. die infra oct. *sem.*
9 F. 4. De 4. die infra oct. *sem.*
10 F. 5. De 5. die infra oct. *sem.*
11 F. 6. De 6. die infra oct. *sem.* c. Hygini.
12 S. De D. infra oct. *sem.* c. oct.
✠ 13 D. (*vacat*) Oct Epiph. *d.* — *Inc. Ep. I. ad Corinth*
14 F. 2. Hilarii *d.* c. Felicis.
15 F. 3. Pauli I Erem. *d.* c. Mauri.
16 F. 4. Marcelli I. *sem.* — *Resumuntur Suffragia.*
17 F. 5. Antonii *d.*
18 F. 6. Cathedrae Rom. *d. m.* c. Pauli Ap. ac Priscae.
19 S. Canuti *sem. ad lib.* c. Marii et Soc.
✠ 20 D. 2. p. Epiph. NOMINIS IESU, *d. 2. cl.* c. Fabiani et Sebastiani ac Dom.
21 F. 2. Agnetis *d.*

Digitized by Google

22 F. 3. Vincentii et Anastasii *sem.* — *Inc. Ep. II ad Corinthios*, ex Dom. praec.
23 F. 4. Raymundi a Pennaf. *sem.* c. Emerentianae — *aliq. loc.* Desponsat. B. M. V. *d. m.* c. Ioseph ac Emerentianae.
24 F. 5. Timothei *d.*
25 F. 6. Conversio Pauli *d. m.* c. Petri Ap.
26 S. Polycarpi *d.* — ll. 1. Noct. ac 9 l. hom. et com. Dom. III. p. Epiph.
✠ 27 D. Septuag. *2. cl. sem.*
28 F. 2. Io. Chrysostomi (*f. heri*) *d.* c. Agnetis.
29 F. 3. Francisci Salesii *d.* — *aliq. loc.* Orationis D.ni *d. m.*
30 F. 4. Martinae *sem.*
31 F. 5. Petri Nolasco *d.*

## FEBRUARIUS

1 F. 6. Ignatii *d.*
✠ 2 S. Purificationis B. M. V. *d 2. cl.*
✠ 3 D. Sexag. *2. cl. sem.* c. Blasii.
4 F. 2. Andreae Corsini *d.*
5 F. 3. Agathae *d.* — *aliq. loc.* Comm. Passionis *d. m.*
6 F. 4. Titi *d.* c. Dorotheae.
7 F. 5. Romualdi *d.*
8 F. 6. Ioannis de Matha *d.*
9 S. Cyrilli Alexandrini *d.* c. Apolloniae.
✠ 10 D. Quinquag. *2. cl. sem.* c. Scholasticae.
11 F. 2. Sept. Fundatorum *d.*
12 F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost. — *aliq. loc.* Column. Flagell. *d. m.*

Cras clauduntur nuptiae

13 F. 4. Cinerum *simp.* « Cessant Octave ».
14 F. 5. De ea (*vel* Vot. Sacram.) c. Valentini. (Per tot. Quadrag. in Off. de Ss. dicitur 9. l. de hom. et fit com. feriae).
15 F. 6. De ea (*vel* Vot. Passionis) c. Faustini et Iovitae. — *aliq. loc.* Spineae Coronae D.ni *d. m.* c. Faustini et Iovitae.
16 S. De eo — *vel* Vot. Imm. Concept.

### Incipit pars verna Breviarii.

✠ 17 D. 1. Quadrag. *1. cl. sem.*
18 F. 2. De ea (*vel* Vot. Angel.) c. Simeonis.
19 F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost.
20 F. 4. Quat. Temp. De ea — *vel* Vot. Ioseph.
21 F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacram.
22 F. 6. Quat. Temp. Cathedrae Antiochiae *d. m.* c. Pauli Ap. — *aliq. loc.* Lanceae et Clavorum *d. m.*
23 S. Quat. Temp. Vigil. (de qua nihil in Off.) Petri Damiani *d.* (In Miss. 3. or. Vigil.).
✠ 24 D. 2. Quadrag. *2. cl. sem.*
25 F. 2. Mathiae (f. heri) *d. 2. cl.*
26 F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost.
27 F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph.
28 F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacram.

## MARTIUS

1 F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis — *aliq. loc.* Sindonis D.ni *d. m.*
2 S. De eo — *vel* Vot. Imm. Concept.
✠ 3 D. 3. Quadrag. *2. cl. sem.*
4 F. 2. Casimiri *sem.* c. Lucii I.
5 F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost.
6 F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph.
7 F. 5. Thomae Aquin. *d.* c. Perpetuae et Felicitatis.
8 F. 6. Ioannis de Deo *d.* — *aliq.*

Digitized by Google

*loc.* Quinque Vulnerum D.ni *d. m.* c. Ioannis de Deo.
9 S. Franciscae Rom. *d.*
✠ 10 D. 4. QUADRAG. 2. *cl. sem.* c. XL Mm. (quorum Secret. sumit. ex Miss. *Sapientiam*).
11 F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel.
12 F. 3. Gregorii Magni I. *d.*
13 F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph.
14 F. 5. De ea — *vel* Vot Sacram.
15 F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis — *aliq. loc.* Pret. Sanguin. D.ni *d. m.*
16 S. De eo — *vel* Vot. Imm. Concept.
✠ 17 D. PASSIONIS *1. cl. sem.* c. Patritii. « Cessant Suffragia et Off. vot. ».
18 F. 2. Cyrilli Hierosol. *d.*
✠ 19 F. 3. **Ioseph** *d. 1. cl.*
20 F. 4. De ea.
21 F. 5. Benedicti *d. m.* In 2 Vesp. com. seq.
22 F. 6. VII Dolorum B. M. V. *d. m.* (Hymn. Vesp. iung. cum hym. Mat (S. R. C., n. 3764 ad 17).
23 S. De eo.
✠ 24 D. PALMARUM, *1. cl. sem.*
✠ 25 F. 2. mai. hebd. *simp.*
26 F. 3. mai. hebd. *simp.*
27 F. 4. mai. hebd. *simp.*
28 F. 5. in COENA D.NI *d. 1. cl.* (nihil de Ioanne a Capistr.).
29 F. 6. in PARASCEVE *d. 1. cl.*
30 SAB. SANCTUM *d. 1. cl.*
✠ 31 D. **Pascha Resurrectionis** *d. 1. cl. cum oct.*

## APRILIS

† 1 F. 2. DE EA *d. 1. cl.*
† 2 F. 3. DE EA *d. 1. cl.* (nihil de Francisco a Paula).
3 F. 4. De ea *sem.*
4 F. 5. De ea *sem.*
5 F. 6. De ea *sem.* c. Vincentii Ferrerii.
6 S. De eo *sem.*
✠ 7 D. IN ALBIS *1. cl.* De ea *d.* CRAS MANE APERIUNTUR NUPTIAE.
8 F. 2. **Annuntiationis B. M. V.** (*f. 25 Mart.*) *d. 1. cl.*
9 F. 3. Ioannis Damasceni (*f. 27. Mart.*) *d.*
10 F. 4. Isidori (*f. 4. hui.*) *d.*
11 F. 5. Leonis I. *d.*
12 F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis. — *Inc. lib. Act. App.* ex fer. 2. praec. « Suffr. de Cruce ».
13 S. Hermenegildi *sem.*
✠ 14 D. 2. p. Pascha. Iustini *d.* c. Dom. ac Tiburtii et Soc.
15 F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel. In 2. Noct. loco ant. *Ascendit* dic. ant. *Immittet* (S. R. C., n. 3764 ad 16).
16 F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost.
17 F. 4. Aniceti *simp.* — *vel* Vot. Ioseph, c. Aniceti.
18 F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacram.
19 F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis.
20 S. De B. M. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept.
✠ 21 D. 3. p. Pascha. PATROCINII IOSEPH *d. 2. cl.* c. Dom.
22 F. 2. Soteris et Caii *sem.* — *Inc. lib. Apocal.* ex Dom. praec.
23 F. 3. Georgii *sem.*
24 F. 4. Fidelis a Sigmaringa *d.*
25 F. 5. MARCI *d. 2. cl.*
26 F. 6. Cleti et Marcellini *sem.*
27 S. Anselmi (*f. 21. hui.*) *d.*
✠ 28 D. 4. p. Pascha. Pauli a Cruce *d.* c. Dom. et Vitalis. — *Inc. Ep. Iacobi.*
29 F. 2. Petri *d.*
30 F. 3. Catharinae Sen. *d.*

Digitized by Google

## MAIUS

† 1 F. 4. PHILIPPI ET IACOBI *d. 2. cl.* ll. 1. Noct. de Scr. occ.
2 F. 5. Athanasii *d.*
† 3 F. 6. INVENTIO CRUCIS *d. 2. cl* c. Alexandri I. et Soc. in Laud. et Miss. privat.
4 S. Monicae *d.*
✠ 5 D. 5. p. Pascha. Pii V. *d.* c. Dom. — *Inc. Ep. I. Petri.*
6 F. 2. ROGAT. Ioannis ante P. L. *d. m.* c. fer.
7 F. 3. ROGAT. Stanislai *d.* (In Miss. 2. or. fer.).
8 F. 4. ROGAT. Vigil. Ascens. Appar. Michaëlis Arch. *d. m.* c. Vigil. (In Miss. 3. or. ROGAT.)
✠ 9 F. 5. **Ascensio D ni** *d. 1. cl. cum oct.*
10 F. 6. Antonini *d.* c. oct. ac Gordiani et Epimachi. — *Inc. Ep. II. Petri.*
11 S. Gregorii Nazianz. (*f. 9. hui.*) *d.* c. oct.
✠ 12 D. infra oct. — De ea, *sem.* c. Nerei et Soc. ac oct. — *Inc. Ep. I. Ioannis.*
13 F. 2. De oct. *sem.*
14 F. 3. De oct. *sem.* c Bonifacii.
15 F. 4 Io. Bapt. de la Salle *d.* c. oct. — *Inc Ep. II. Ioannis.*
16 F. 5. Oct. Ascens. *d.* c. Ubaldi.
17 F. 6. Paschalis Baylon *d.* c. fer. (ex Laud. Dom. praec.). — *Inc. Ep. III. Ioannis.*
18 S. Vigil. Pent. De ea *sem.* c. (*cum 9. l. ex 3 una*) Venantii in Laud. tant. — *Inc. Ep. Iudae.* — « Cessant Octavae ».
✠ 19 D. **Pentecostes** *d. 1. cl. cum oct. privil* (nihil de Petro Caelestino ac de Pudentiana).
† 20 F. 2. DE EA *d. 1. cl.* (nihil de Bernardino Sen.).
† 21 F. 3. DE EA *d. 1. cl.*
22 F. 4. QUAT. TEMP. De ea *sem.*
23 F. 5. De ea *sem.*
24 F. 6. QUAT. TEMP. De ea *sem.*
25 S. QUAT. TEMP. De eo *sem.* c. Gregorii VII. et Urbani I.

**Incipit pars aestiva Breviarii.**

✠ 26 D. 1. p. Pent. *1. cl.* TRINITATIS *d. 2. cl.* c. Philippi Neri, Dom. (ac Eleutherii in Laud. et Miss. privat. cuius Secret. sumit. ex Miss. *Sacerdotes Dei*).
27 F. 2. Bedae *d.* c. Ioannis I.
28 F. 3. Augustini Cantuar. *d.* — *Inc. lib. I. Reg.* ex fer. 2. praec.
29 F. 4. M. Magdal. de Pazzis *sem.*
✠ 30 F. 5. **Corporis Christi** *d. 1. cl. cum oct. privil.* (nihil de Felice I.).
31 F. 6. Angelae Merici *d.* c. oct. ac Petronillae.

## IUNIUS

1 S. De oct. *sem.*
✠ 2 D. infra oct. 2. p. Pent. De ea *sem.* c. oct. ac Marcellini et Soc.
3 F. 2. De oct. *sem.*
4 F. 3. Francisci Caracciolo *d.* c. oct.
5 F. 4. Bonifacii *d.* c. oct.
6 F. 5. Oct. Corporis Christi *d.* c. (*sine l.*) Norberti. Vesp. de oct. sine ulla com.
7 F. 6. **Cordis Iesu** *d. 1. cl.*
8 S. De B. M. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept.
✠ 9 D. 3. p. Pent. De ea *sem.* c. Primi et Feliciani.
10 F. 2. Margaritae *sem.*
11 F. 3. Barnabae *d. m.*
12 F. 4. Ioannis a S. Facundo *d.* c. Basilidis et Soc.
13 F. 5. Antonii *d.*
14 F. 6. Basilii *d.*

Digitized by Google

15 S. De B. M. in Sabb. *simp.* (*vel* Vot. Imm. Concept.) c. Viti et Soc.
✠ 16 D. 4. p. Pent. De ea *sem.*
17 F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel.
18 F. 3. Marci et Marcelliani *simp.* — *vel* Vot. Apost. c. Marci et Marcelliani.
19 F. 4. Iulianae de Falcon. *d* c. Gervasii et Protasii.
20 F. 5. Silverii *simp.* — *vel* Vot. Sacram. c. Silverii.
21 F. 6. Aloisii *d.*
22 S. Vigil. De ea, c. Paulini — *vel* Vot. Imm. Concept. c Vigil. et Paulini.
✠ 23 D. 5. p. Pent. De ea *sem.* — *Inc. lib. II. Reg.*
✠ 24 F. 2. **Nativ. Ioannis Bapt.** *d. 1. cl. cum oct.*
25 F. 3. Gulielmi *d.* c. oct.
26 F. 4. Ioannis et Pauli *d.* c. oct.
27 F. 5. De oct. *sem.*
28 F. 6. Vigil. Leonis II. *sem.* c. oct. et Vigil.
✠ 29 S. **Petri et Pauli** *d. 1. cl. cum oct.*
✠ 30 D. 6. p. Pent. Comm. Pauli *d. m.* c. Petri Ap., Dom. ac oct.

## IULIUS

1 F. 2. Oct. Ioannis *d.* c. oct. App.
2 F. 3. VISITATIONIS B. M. V. *d. 2. cl.* c. (oct. App. *Romae tant.* ac) Processi et Martiniani in Laud. et Miss. privat.
3 F. 4 De oct. *sem.*
4 F. 5. De oct. *sem.*
5 F. 6. Antonii M. Zaccaria *d.* c. oct.
6 S. Oct. App. *d.*
✠ 7 D. 7. p. Pent PRETIOSISS. SANGUINIS D.NI *d. 2. cl.* c. Cyrilli et Methodii ac Dom.
8 F. 2. Elisabeth *sem.*
9 F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost. — *Inc. lib. III. Reg.* ex Dom. praec.
10 F. 4. Septem Fratrum *sem.*
11 F. 5. Pii I. *simp.* — *vel* Vot. Sacram. c. Pii I.
12 F. 6. Ioannis Gualberti *d.* c. Naboris et Felicis.
13 S. Anacleti *sem.*
✠ 14 D. 8. p. Pent. Bonaventurae *d.* c. Dom.
15 F. 2. Henrici *sem.*
16 F. 3. B. M. V. de Monte Carmelo *d. m.*
17 F. 4. Alexii *sem.*
18 F. 5. Camilli *d.* c. Symphorosae et Filiorum.
19 F. 6. Vincentii a Paulo *d.*
20 S. Hieronymi Aemiliani *d.* c. Margaritae.
✠ 21 D. 9. p. Pent. De ea *sem.* c. Praxedis. — *Inc. lib. IV. Reg.*
22 F. 2. M. Magdalenae *d.*
23 F. 3. Apollinaris *d.* c. Liborii.
24 F. 4. Vigil. De ea, c. Christinae — *vel* Vot. Ioseph, c. Vigil. et Christinae.
† 25 F. 5. IACOBI *d. 2. cl.* c. Christophori in Laud. et Miss priv.
† 26 F. 6. ANNAE *d. 2. cl.*
27 S. De B. M. in Sabb. *simp.* (*vel* Vot. Imm. Concept.) c. Pantaleonis.
✠ 28 D. 10. p. Pent. De ea *sem.* c. Nazarii et Soc.
29 F. 2. Marthae *sem.* c. Felicis II. et Soc.
30 F. 3. Abdon et Sennen *simp.* — *vel* Vot. Apost. c. Abdon et Sennen.
31 F. 4. Ignatii de Loyola *d.*

Digitized by Google

## AUGUSTUS

1 F. 5. Petri ad Vincula *d. m.* c. Pauli Ap. ac Machabaeorum.
2 F. 6. Alfonsi *d.* c. Stephani I.
3 S. Inventio Stephani *sem.*
✠ 4 D. 11. p. Pent. 1. Aug. Dominici *d. m.* c. Dom. (In Miss. 3 or. pro Papa).
5 F. 2. Dedic. B. M. V. ad Nives, *d. m.*
6 F. 3. Transfig. D.ni *d. m.* c. Xysti II. et Soc.
7 F. 4. Caietani *d.* c. Donati. — *Int. Parab. Salom.* ex Dom. praec.
8 F. 5. Cyriaci et Soc. *sem.*
9 F. 6. Vigil. De ea (℟ ex 1. Noct. Dom. 1. hui.) c. Romani — *vel* Vot. Passionis, c. Vigil. et Romani. (In Mis. or. pro Papa).
† 10 S. Laurentii *d. 2. cl. cum oct.*
✠ 11 D. 12. p. Pent. 2. Aug. De ea *sem.* c. oct. ac Tiburtii et Susannae. — *Inc. lib. Ecclesiastes.*
12 F. 2. Clarae *d.* c. oct.
13 F. 3. De oct. *sem.* c. Hippolyti et Cassiani.
14 F. 4. Vigil. De oct. *sem.* c. Vigil. ac Eusebii. Miss. Vigil. c. oct. ac Eusebii.
✠ 15 F. 5. **Assumptionis B. M. V.** *d. 1. cl. cum oct.*
16 F. 6. Hyacinthi *d.* c. 2 oct.
17 S. Oct. Laurentii *d.* c. oct. Assumpt.
✠ 18 D. 13. p. Pent. 3. Aug. Ioachim *d. 2. cl.* c. Dom. (ac Agapiti in Laud. et Miss. priv.).
19 F. 2. De oct. *sem.*
20 F. 3. Bernardi *d.* c. oct. — *Inc. lib. Sapientiae*, ex Dom. praec.
21 F. 4. Io. Franc. Fremiot de Chantal. *d.* c. oct.
22 F. 5. Oct. Assumpt. *d.* c. Timothei et Soc.
23 F. 6. Vigil. Philippi Benitii. *d.* c. Vigil. (*exc. aliq. loc.*).
† 24 S. Bartholomaei *d. 2. cl.* — *aliq. loc.* Vigil. De ea — *vel* Vot. Imm. Concept. c. Vigil.
✠ 25 D. 14. p. Pent. 4. Aug. De ea *sem.* c. Ludovici — *Inc. lib. Ecclesiastici* — *aliq. loc.* Bartholomaei *d. 2. cl.* c. Dom. — *alibi* Purissimi Cordis B. M. V. *d. m.* c. Dom. et Ludovici.
26 F. 2. Zephyrini *simp.* — *vel* Vot. Angel. c. Zephyrini — *aliq. loc.* Ludovici *sem.* c. Zephyrini — *Inc. lib. Ecclesiastici*, ex Dom. praec.
27 F. 3. Iosephi Calasanctii *d.*
28 F. 4. Augustini *d.* c Hermetis.
29 F. 5. Decollat. Ioannis Bapt. *d. m.* c. Sabinae.
30 F. 6. Rosae Limanae *d.* c. Felicis et Adaucti.
31 S. Raymundi Nonnati *d.* (Hoc anno omitt. Dom. 5. Augusti).

## SEPTEMBER

### Incipit pars autumnalis Breviarii.

✠ 1 D. 15. p. Pent. 1. Sept. De ea *sem.* c. Aegidii et Duodec. Fratrum. — *Inc. lib. Iob.*
2 F. 2. Stephani *sem.*
3 F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost.
4 F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph.
5 F. 5. Laurentii Iustiniani *sem.*
6 F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis.
7 S. De B. M. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept.

Digitized by Google

✠ 8 D. 16. p. Pent. 2. Sept. NATIVITATIS B. M. V. *d. 2. cl. cum oct.* c. Dom. (ac Hadriani in Laud. et Miss. privat.).
9 F. 2. De oct. *sem.* c. Gorgonii.
10 F. 3. Nicolai a Tolentino *d.* c. oct.
11 F. 4. De oct. *sem.* c. Proti et Hyacinthi.
12 F. 5. De oct. *sem.*
13 F. 6. De oct. *sem.*
14 S. Exaltatio Crucis *d. m.* c. oct.
✠ 15 D. 17. p. Pent. 3. Sept. Nominis B. M. V. *d. m.* c. Dom. ac Nicomedis.
16 F. 2. Cornelii et Cypriani *sem.* c. Euphemiae et Soc. — *Inc. lib. Tobiae*, ex Dom. praec.
17 F. 3. Impressio Stigmat. Francisci *d.*
18 F. 4. QUAT. TEMP. Iosephi a Cupertino *d.* c. fer.
19 F. 5. Ianuarii et Soc. *d.*
20 F. 6. QUAT. TEMP. Vigil. (de qua nihil in Off.) Eustachii et Soc. *d.* c. fer. (In Miss. 3. or. Vigil.).
† 21 S. QUAT. TEMP. MATTHAEI *d. 2. cl.* c. fer.
✠ 22 D. 18. p. Pent. 4. Sept. VII Dolorum B. M. V. *d. m.* c. Thomae a Villanova, Dom. ac Mauritii et Soc.
23 F. 2. Lini *sem.* c. Theclae. — *Inc. lib. Iudith*, ex Dom. praec.
24 F. 3. B M. V. de Mercede *d. m.*
25 F. 4. De ea (℟. ex 1. Noct. Dom. praec.) — *vel* Vot. Ioseph.
26 F. 5. Cypriani et Iustinae *simp.* — *vel* Vot. Sacram. c. Cypriani et Iustinae. — *Inc. lib. Esther*, ex Dom. 5. Sept.
27 F. 6. Cosmae et Damiani *sem.*
28 S. Wenceslai *sem.*
✠ 29 D. 19. p. Pent. 1. Oct. DEDIC. MICHAELIS ARCHANG. *d. 2. cl.* c. Dom.
30 F. 2. Hieronymi *d.*

## OCTOBER

1 F. 3. Remigii *sem. ad libit. vel simpl. de praecepto.* — *Inc. lib. I. Machab.* ex Dom. praec.
2 F. 4. Angelorum Custodum *d. m.*
3 F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacram.
4 F. 6. Francisci *d. m.*
5 S. De B. M. in Sabb. *simp.* (*vel* Vot. Imm. Concept.) c. Placidi et Soc.
✠ 6 D. 20. p. Pent. 2. Oct. ROSARII B. M. V. *d. 2. cl.* c. Brunonis ac Dom.
7 F. 2. Marci *simp.* c. Sergii et Soc. — *vel* Vot. Angel. c. Marci ac Sergii et Soc.
8 F. 3. Birgittae *d.*
9 F. 4. Dionysii et Soc. *sem.*
10 F. 5. Francisci Borgia *sem.*
11 F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis.
12 S. De B. M. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept.
✠ 13 D. 21. p. Pent. 3. Oct. De ea *sem.* c. Eduardi — *aliq. loc.* Maternitatis B. M. V. *d. m.* c. Dom. ac Eduardi.
14 F. 2. Callisti I. *d.*
15 F. 3. Teresiae *d.*
16 F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph.
17 F. 5. Hedwigis *sem.*
18 F. 6. LUCAE *d. 2. cl.*
19 S. Petri de Alcantara *d.*

Digitized by Google

✠ 20 D. 22. p. Pent. 4. Oct. Ioannis Cantii *d.* c. Dom. — *Inc. lib. II. Machabaeorum.* — *aliq. loc.* Puritatis B. M. V. *d. m.* c. Ioannis Cantii ac Dom.
21 F. 2. Hilarionis *simp.* c. Ursulae et Soc. — *vel* Vot. Angel. c. Hilarionis ac Ursulae et Soc. — *aliq. loc. Inc. lib. II. Machab.* ex Dom. praec.
22 F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost.
23 F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph. — *aliq. loc.* Redemptoris *d. m.*
24 F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacram.
25 F. 6. Chrysanthi et Dariae *simp.* — *vel* Vot. Passionis, c. Chrysanthi et Dariae.
26 S. Vigil. De ea, c. Evaristi — — *vel* Vot. Imm. Concept. c. Vigil. ac Evaristi.
✠ 27 D. 23. p. Pent. 5. Oct. De ea, *sem.* — *Igitur Eleazarus.*
† 28 F. 2. Simonis et Iudae *d. 2. cl.*
29 F. 3. De ea (℟℟. fer. 3.) — *vel* Vot. Apost. — *Mortuo itaque*, ex fer. 2. praec.
30 F. 4. De ea (℟℟. fer. 4.) — *vel* Vot. Ioseph — *Antiochus autem*, ex fer. 3. praec.
31 F. 5. Vigil. De ea — *vel* Vot. Sacram. c. Vigil.

## NOVEMBER

✠ 1 F. 6. **Omnium Sanctorum** *d. 1. cl. cum oct.*
2 S. De oct. *sem* Comm omn. Defunct. *d.*
✠ 3 D. 24. p. Pent. 1. Nov. 4 p. Epiph. De ea *sem.* c. oct. — *Inc. lib. Ezechielis.*
4 F. 2. Caroli *d.* c. oct. ac Vitalis et Agricolae.
5 F. 3. De oct. *sem.*
6 F. 4. De oct. *sem.*
7 F. 5. De oct. *sem.*
8 F. 6. Oct. omnium Ss. *d.* c. Quatuor Coronatorum.
9 S. Dedic. Archibasil. Salvatoris *d. m.* c. Theodori. (Hoc anno omitt. Dom. 2. Nov.).
✠ 10 D. 25. p. Pent. 3. Nov. 5. p. Epiph. Andreae Avellini *d.* c. Dom. ac Tryphonis et Soc. — *Inc. lib. Danielis* — *aliq. loc.* Patrocinii B. M. V. *d. m.* c. Andreae Avellini, Dom. ac Tryphonis et Soc.
11 F. 2. Martini *d.* c. Mennae.
12 F. 3. Martini I. *sem.* — *aliq. loc. Inc. lib. Danielis*, ex Dom. praec.
13 F. 4. Didaci *sem.*
14 F. 5. Iosaphat *d.*
15 F. 6. Gertrudis *d.*
16 S. De B. M. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept.
✠ 17 D. 26. p. Pent. 4. Nov. 6. p. Epiph. De ea, *sem.* c. Gregorii Thaum. — *Inc. lib. Osee.*
18 F. 2. Dedic. Basilic. Petri et Pauli *d. m.*
19 F. 3. Elisabeth *d.* c. Pontiani *Inc. Ioël.*
20 F. 4. Felicis de Valois *d.* — Il. 1. Noct. 1. *Inc. Amos*, ex fer. 5. seq. 2. *Inc. Abdias*, ex fer. 6. seq. 3. *Inc. Ionas*, ex Sabb. seq.
21 F. 5. Praesentationis B. M. V. *d. m.*
22 F. 6. Caeciliae *d.*
23 S. Clementis I. *d.* c. Felicitatis.
✠ 24 D. 27. ult. p Pent. 5. Nov. Ioannis a Cruce *d.* c. Dom. ac Chrysogoni. — *Inc. Michaeas.*
25 F. 2. Catharinae *d.* — *Inc. Nahum.*

Digitized by Google

26 F. 3. Silvestri *d.* c. Petri Alexandrini. — *Inc. Habacuc.*
27 F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph. — *Inc. Sophonias.*
28 F. 5. De ea — ll. 1. *Inc. Aggaeus*, 2. *Inc Zacharias*, ex fer. 6. seq. 3. *Inc. Malachias*, ex Sabb. seq. — *vel* Vot. Sacram. — *Inc. Aggaeus* tantum.
29 F. 6. Vigil. De ea, ll. hom. c. Saturnini — *vel* Vot. Passionis, c. Vigil. et Saturnini — ll. 1. Noct. 1. et 2. *Inc. Zacharias*, 3. *Inc. Malachias*, ex Sabb. seq.
† 30 S. ANDREAE *d.* 2. *cl.*
CRAS CLAUDUNTUR NUPTIAE

## DECEMBER

### Incipit pars hiemalis Breviarii.

✠ 1 D. 1. ADV. 1. *cl. sem.* « Cessant Suffragia ».
2 F. 2. Bibianae *sem.* (Dieb. fer. per tot. Adv. in Off. 9. Lect. fit com. fer.).
3 F. 3. Francisci Xaverii *d. m.*
4 F. 4. Petri Chrysologi *d.* c. Barbarae.
5 F. 5. De ea, c. Sabbae — *vel* Vot. Sacram. c. Sabbae.
6 F. 6. Nicolai *d.*
7 S. Vigil. (de qua nihil in Off.) Ambrosii *d.* (In Miss. 3. or. ac Ev. Vigil.).
✠ 8 D. 2. ADV. 2. *cl.* **Immac. Concept. B. M. V.** *d. 1. cl. cum oct.* c. Dom.
9 F. 2 De oct. *sem.*
10 F. 3. De octava, *sem.* c. Melchiadis — *aliq. loc.* Translat. Almae Domus B. M. V. *d. m.* c. Melchiadis.
11 F. 4. Damasi I. *sem.* c. oct.
12 F. 5. De oct. *sem.*
13 F. 6. Luciae *d.* c. oct.
14 S. De oct. *sem.*
✠ 15 D. 3. ADV. 2. *cl. sem.* c. oct.
16 F. 2. Eusebii *sem.*
17 F. 3. De ea « Cessant Octavae et Off. votiv. » *O Sapientia.*
18 F. 4. QUAT. TEMP. De ea — *aliq. loc.* Exspect. Partus B. M. V. *d. m.* ll. 3. Noct. de hom. fer. cum ℟℟. de festo. (In fine Miss. dic. Ev. consuet. S. Ioannis). — *O Adonai.*
19 F. 5. De ea — *O Radix.*
20 F. 6. QUAT. TEMP. Vigil. (de qua nihil in Off.) De fer. (sine c. Vigil.). In Miss. 2. or. Vigil. — *O Clavis.*
† 21 S. QUAT. TEMP. THOMAE *d.* 2. *cl.* — *O Oriens.*
✠ 22 D. 4. ADV. 2. *cl. sem.* — *O Rex.*
23 F. 2. De ea — *O Emmanuel.*
24 F. 3. Vigil. Nativ. De ea *simp.* Ad Laud. et deinc. *d.*
✠ 25 F. 4. **Nativitatis D. N. I. C.** *d. 1. cl. cum oct. privil.*
† 26 F. 5. STEPHANI *d.* 2. *cl. cum oct.* c. oct. Nativ.
† 27 F. 6. IOANNIS *d.* 2. *cl. cum oct.* c. octavar.
† 28 S. INNOCENTIUM *d.* 2. *cl. cum oct.* c. octavar.
✠ 29 D. infra oct. Nativ. Thomae Cantuar. *d.* c. Dom. et octavar. (Vesp. de Nativ. a cap. de S. Thoma, com. oct. Nativ., Dom. et aliar. octavar.).
30 F. 2. De infra oct. Nativ. *sem.* c. aliar. octavar. — *Inc. Ep. ad Romanos.*
† 31 F. 3. Silvestri I. *d.* c. octavar. in Laud. et Miss. tantum.
*Hodie et anno insequenti 1908 litera Martyrologii erit* **H** *magna.*

Digitized by Google

# Bibliographia.

**Novum Testamentum graece et latine.** Textum graecum recensuit, latinum ex vulgata versione Clementina adiunxit, breves capitulorum inscriptiones et locos parallelos uberiores addidit FRIDERICUS BRANDSCHEID, gymnasii Hadamariensis olim conrector. Cum approbatione Rev. Archiep. Friburgensis. — Sumptibus ac typis B. Herder, typographi editoris pontificii, Friburgi Brisgoviae (Germaniae).

Opus completum: 2 partes. In 12°. Pretium, fr. 6.25; linteo religatum, utraque parte separata, fr. 8.75; a dorso corio religatum, in unum concinnatum, fr. 8.25.

Pars prior: *Evangelia.* Tertia editio critica recognita (XXIV et 652 pag.), fr. 3; linteo religata, fr. 4.25.

Pars altera: *Apostolicum.* Editio critica altera emendatior (VI et 804 pag.), fr. 3.25; linteo religata, fr. 4.50.

Haec editio nova et quae cuique placeat, non modo rectissima ipsa forma et valde perspicuis litteris graecis est ornata, verum etiam egregiarum adnotationum criticarum copia ea continetur, quae non minus ponderata sit quam eis qui studiis se dediderunt omnino sufficiat, et (quae summa est) in principiis vere sanis contextumque orationis purgantibus consistit.

Digitized by Google

# Chronica.

*Die 4 Martii 1906*, SS. D. N. Sacris prius operatus, coram R.mo Cardinali Aloisio Tripepi, S. R. Congregationi Pro-Praefecto et Dominico Ferrata, Causae Ponente, una cum R. P. D. S. Fidei Promotore et R. P. D. Secretario, solemni Decreto sanxit: TUTO procedi posse ad solemnem Ven. Servae Dei IULIAE BILLIART beatificationem.

*Eodem die*, Idem B. Pater, coram iisdem simili munere praesentibus, solemniter declaravit: Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate in Deum et proximum; itemque de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia earumque adnexis Ven. Servae Dei ANNAE MARIAE TAIGI, in gradu heroico.

*Die 13 Martii 1906*, in Palatio Apost. Vatic. habita est Congregatio SS. Rituum Ordinaria-Rotalis, in qua Causae infrascriptae relatae sunt: *Policastren.*, Beatif. et Canoniz. Ven. S. D. DOMINICI LENTINI, Sacerdotis Saecul., *Super Dubio*: An sententia Iudicis subdelegati, super cultu numquam exhibito praefato Ven. S. D., sit confirmanda; *Nucerina Paganorum*, Beatif. et Canoniz. Ven. S. D. CAESARIS SPORTELLI, Sacerdotis Prof. E Congr. SS. Redemptoris, *Super Dubio*: An constet de validitate et relevantia Processus, Apost. auctor. in Curia Episc. Nucerina Paganorum constructi, super fama sanctitatis vitae etc. praefati Ven. S. D.; *Massilien.*, Beatif. et Canoniz. Ven. S. D., ANNAE MAGDALENAE REMUZAT, Sanctimonialis Prof. Ex Ordine Visitationis B. M. V., *Super Dubio*: An constet de validitate Pr. tam Apost. quam Ordin. Auctor. constructorum, Testes sint rite ac recte examinati etc.; *Nullius Sublacen.*, Beatif. et Canoniz. Ven. S. D. FR. MARIANI AB ARCE CASALI, Laici Prof. Ordinis Fratr. Minor. S. Franc. *Super Dubio*: An constet de validitate et relevantia Processus Apost. in Curia Abbat. Nullius Sublacen. constructi, super fama sanctitatis vitae etc., praefati Ven. S. D.

Digitized by Google

*Die 27 Martii 1906*, in Palatio Apost. Vaticano, habita fuit Congregatio Ss. Rituum Praeparatoria in *Neapolitana*, Beatific. et Canoniz. Ven. S. D. IANUARII MARIAE SARNELLI, Sacerdotis professi Congreg. SS. Redemptoris, super dubio: *An constet de virtutibus Theologalibus nec non de Cardinalibus earumque adnexis in gradu heroico, in casu* etc. Interfuerunt autem, et suffragium tulerunt R.mi Patres Consultores Theologi, et Praelati Officiales, nec non E.mi DD. Cardinales S. C. praepositi.

## Nuncia.

**Sacra Rituum Congregatio, interrogata a nonnullis Editoribus Pontificiis de libertate typis imprimendi Missas atque Officia propria singularum dioecesium, hoc responsum emisit:**

**Mens est, ut cuivis Typographo fas sit edere Propria Officiorum et Missarum, servatis de more et de iure servandis.**

**Ex Congressu, die 22 Dec. 1902.**

PHILIPPUS DI FAVA, *Subst.*

**Huiusmodi declaratio hucusque in archivo S. R. C. servata est, privatimque Editoribus, qui dubium proposuerant, patefacta erat; nunc autem cuidam Typographo Pontificio quaerenti rursum data est ab eadem S. R. Congregatione, ideoque hic vulgatur ad normam Rev.morum Ordinariorum, qui praefatis editionibus praeesse debent.**

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR.
Fr. Albertus Lepidi, O. P. S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR.
† Iosephus Ceppetelli, Patr. Constant., Vicesgerens.

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclee, Lefebvre et Soc. Romae, *Sponsor*.

Ex Off. typ. Soc. S. Ioannis Ev. - Tornaci in Belgio.

Digitized by Google

# Acta Sanctae Sedis
## sacram Liturgiam spectantia.

## SS. RITUUM CONGREGATIO

I.

**De colore stolae in absolutione generali impertienda.**

### Ordinis Fratrum Minorum Provinciae S. Leopoldi

Frater Firminius Hasenoehrl, sacerdos Ordinis Fratrum Minorum, solemniter professus in Regulari Provincia Sancti Leopoldi et Director Tertii Ordinis saecularis Sancti Francisci, a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humillime expostulavit:

Utrum Director Tertii Ordinis vel Sacerdos facultate praeditus, qui Tertiariis saecularibus congregatis Benedictionem cum Indulgentia plenaria, sic dictam absolutionem generalem, impertitur, uti debeat stola coloris diei, vel albi, vel violacei?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit: *Utatur stola coloris violacei.*

Atque ita rescripsit, die 22 Decembris 1905.

L. ✠ S.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*



Digitized by Google

II:

**Declaratio super Motu-proprio de Protonotaris Apostolicis.**

Evulgato Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae X *Motu-Proprio* « Inter multiplices » die 21 Februarii anno nuper elapso 1905, de protonotariis apostolicis, praelatis urbanis et caeteris qui nonnullis privilegiis praelatorum propriis fruuntur: complures variaeque quaestiones ac postulationes Sacrorum Rituum Congregationi sunt propositae, circa privilegia ipsa et insignia praedictis Dignitatibus et Canonicorum coetibus aliisque de clero saeculari antea concessa. Quibus omnibus una cum relativis documentis ac testimoniis a speciali Commissione diligenti examine perpensis, et per infrascriptum Cardinalem S. R. Congregationi Pro-Praefectum fideliter eidem Sanctissimo Domino Nostro relatis, Sanctitas Sua, ut omnia vel praeveniri vel dirimi possint, et R.mi locorum Ordinarii normam ad dubia resolvenda possideant, per praesens Decretum quae sequuntur declarari iussit.

Quoad insignia, pontificalium usum, aliaque quaecumque privilegia, praescriptiones in citato *Motu-Proprio* contentae debent integre atque adamussim servari; ita ut quae ipsis conformia sint, libere et licite retineantur; quae vero contraria extent, ea tanquam omnino abrogata habeantur, non obstantibus quibuscumque etiam

Digitized by Google

speciali mentione dignis. Si autem dubia deinceps hac super re adhuc oriantur, illa Ordinarii locorum ad memoratam Commissionem penes S. R. C. peculiariter institutam deducant, quae, servatis dispositionibus in laudato *Motu-Proprio* sancitis, suffragium suum queat proferre.

Die 14 Martii 1906.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*
† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

## Commentarium.

Evulgato SS. D. N. Pii Pp. X *Motu proprio* diei 21 Februarii 1905, de Protonotariis Apostolicis, praelatis urbanis et aliis qui nonnullis privilegiis praelatorum propriis fruuntur, R.mi locorum Ordinarii, quamplurimi dispositionem pontificiam in ultimo articulo illiusmet *Motu proprio* obsequentes, documenta, circa privilegia Canonicorum coetibus antea concessa, S. R. C. per quam sollicite miserunt, ut pro munere suo omnia et singula Pontificiis dispositionis aptans declararet et decerneret quaenam in posterum illis Canonicorum coetibus competant.

Porro specialis Commissio Liturgica, iussu eiusdem SS. D. N. apud S. Congregationem instituta est, cui cura demandata fuit, documenta prolata examinandi, et privilegia in eis contenta *rigoroso* studio perpendendi, atque, si opus esset, ea ad tramitem eiusdem *Motu proprio* moderandi. Accidit autem, quod maxima pars documentorum, quae a dicta Commissione examinata fuere, ut plurimum non alia privilegia continerent, nisi ea quae indumenta seu insignia a Canonicis et Dignitatibus in choro adhibenda, concernunt.

Ne autem praedictae Commissioni nimis deinceps succresceret opus, utque R.mi Ordinarii normam haberent ad quaestiones dirimendas et dubia resolvenda hoc Decretum promulgandum censuit S. R. C.

Digitized by Google

In eo duo declarantur: I, quod praescriptiones omnes, in praedicto *Motu proprio quoad insignia et pontificalium usum debent integre atque adamussim servari*; II, quod si dubia oriantur nova, *illa Ordinarii locorum ad memoratam Commissionem penes S. R. C. institutam deducant.*

Circa primum, prae oculis haberi debet quae in § 80 ipsius *Motu proprio* leguntur, nempe: « Expresse volumus (ait Summus Pontifex), ut in pontificalium usu nemini ad aliquod ex supra memoratis Collegiis (Canonicorum) pertinenti in posterum ampliora suffragentur privilegia, quam quae superius descripta (§§ 25, 26, 27, 28 et 29) competunt Protonotariis, etc. ».

Hinc ut excelsae Dignitati tum Patrum Cardinalium, tum Episcoporum, sedulo prospiciatur, et pro viribus coram populo christiano extollatur, quae est Summi Pontificis explicita voluntas, nobiliora insignia, nempe, mitra pretiosa, baculus pastoralis, usus throni, annulus pluribus gemmis exornatus, crux gemmata, color purpureus vel viridis, sive in pilei et bireti ornamentis, sive in chordula crucis pectoralis, ipsis Cardinalibus et Episcopis respective reservantur, ideoque omnibus Praelatis inferioribus cuiusvis dignitatis vel nominis omnino prohibita sunt; expresse enim tam in *Motu proprio* quam in hoc Decreto mandat Summus Pontifex ne ulli qui charactere Episcopali non sit decoratus, alia in posterum liceant insignia, nisi ea quae competunt Protonotariis *ad instar*, aut ad summum Supranumerariis (1).

(1) Haec autem sententia nostra, quae ex § 80 *Motu-proprio* deduci facile potest, hodie in praxi omnino tenenda est; nam SS. D. N. Pius Pp. X sequens rescriptum, per suum particularem Secretarium R.mum D. Ioannem Bressan, mittendum iussit praedictae Commissioni speciali, quae penes S. R. C.instituta est:

« *Vaticano, 14 Maggio 1906.*

« *Ill.mo e Rev.mo Monsignore,*

« *Il Santo Padre mi ordina di significare alla Commissione liturgica istituita per rivedere i privilegii dei Capitoli, giusta il* Motu-proprio « Inter multiplices », *quanto segue:*

« *Il* color verde *per il fiocco del cappello e per il cordone della Croce pettorale, come pure la Croce e l'anello ornati con più gemme, l'uso del Trono, del*

Digitized by Google

Si autem alicubi existant Praelati, qui revera Protonotarii iuxta eiusdem *Motu proprio* §§ 13, 14, 42 et 43, non sunt, hi usu pontificalium non gaudebunt, nisi in propria Ecclesia, ad normam plurium S. R. C. Decretorum, praesertim quae in Collectione sub numeris 1613, 2239, 2579, 2624, 3093 et 3817, recensentur; et ad summum intra limites dioecesis, si ita in antiquis concessionibus indultum fuerit.

Privilegia vero, seu insignia a Dignitatibus et Canonicis, aliisque de clero saeculari, sive collegialiter sive singulatim adhibita, quae *pontificalia non sunt*, sed tantum praelatitia, aut choralia, dummodo legitimis documentis, aut antiqua et non interrupta consuetudine sint suffulta, locorum Ordinarii ea admittere possunt, mutato tamen colore purpureo vel viridi in violaceum vel rubinum, quoad pilei et bireti ornamenta, et chordulam crucis pectoralis nonnullis personis forte concessae, tantummodo enim violaceus vel rubinus color admittitur in *Motu proprio*, §§ 17, 27, et 47.

Quoad secundum, hoc est observandum: praedicta Commissio specialis, iuxta § 81 *Motu proprio* instituta penes S. R. C. per praesens Decretum minime fuit suppressa; nihilominus Ordinarii locorum eidem transmittere non debent nisi illa privilegia quae in aliquo discordant a praescriptionibus in ipso *Motu proprio* contentis, prout iisdem ex causis statuerant Pius VII in Decreto 27 Aprilis 1818, et Pius IX in Constitutione 29 Augusti 1872.

Quaecumque enim alia privilegia, licet ab Apostolica Sede concessa, aut quolibet modo vel iure vel consuetudine etiam im-

*Pastorale e della Mitra gemmata,* PER VOLERE ASSOLUTO DI SUA SANTITÀ, *sono esclusivamente riservati ai Vescovi.*

« *Eseguiti i venerati comandi dell'Augusto Pontefice, passo a ripetermi con sensi di distinto ossequio*

« *Di Lei, Ill.mo e Rev.mo Monsignore,*

« *Dev.mo Servo*

« G. BRESSAN ».

*All'Ill.mo e Rev.mo Mons.* CARLO RESPIGHI

*Segretario della Commissione liturgica per rivedere i privilegii dei Capitoli.*

Digitized by Google

memorabili acquisita, quae iuxta mentem SS. D. N. Pii Pp. X maiora sint, quam quae Protonotariis nunc conceduntur, ac proinde praesenti declaratorio decreto, sint contraria, tamquam abrogata omnino habentur, non obstantibus, quatenus opus sit, regula *de iure acquisito non tollendo*, ac quibusvis constitutionibus, privilegiis, gratiis et indultis Apostolica auctoritate firmatis, etiam speciali mentione dignis.

Doct. PETRUS PIACENZA.

III.

**De Clerico loco Subdiaconi vel Cappellani in Missa inserviente.**

DECRETUM

Quum nonnulla dubia huic Sacrorum Rituum Congregationi proposita fuerint circa servitium Clerici, qui aliquando vel loco Subdiaconi in Missa solemni, vel loco Cappellani in Missa ab Episcopo vel ab alio Praelato lecta, vel etiam in Missa cantata absque Ministris inserviat, eadem Sacra Congregatio, audito voto Commissionis Liturgicae, ut dubia ipsa omnino diluantur, haec statuenda et in posterum observanda decrevit:

1. Clericus ad munus Subdiaconi obeundum in Missa solemni, nunquam deputetur, nisi adsit rationabilis causa et in minoribus ordinibus sit constitutus aut saltem sacra tonsura initiatus.

2. Clericus pro Subdiacono inserviens, alba super amictu, cingulo et tunica absque mani-

Digitized by Google

pulo sit indutus, atque omnia quae ad Subdiaconum ex Rubricis spectant rite expleat, hisce tamen exceptis: *a*) aquam ante Offertorium in calicem non infundat, quod in casu Diaconus praestabit; *b*) calicem ipsum infra actionem nunquam tangat, neque pallam ab eodem removeat aut super eum reponat; *c*) post ablutionem calicem non abstergat (abstergente ipso Celebrante) sed tantummodo illum componat more solito et velo cooperiat cum bursa et ad mensam deferat.

3. Clericus qui loco Cappellani Episcopo vel Praelato in Missa lecta, aut alii Sacerdoti in Missa solemni sine Ministris inserviat, saltem tonsuratus esse debet, si alius Minister in sacris in promptu non sit.

4. Clericus ipse omnia explere potest quae in Caeremoniali Episcoporum Lib. I, cap. XXIX dicuntur, pro Missa ab Episcopo lecta, iis exceptis quae supra, n. 2, prohibentur Clerico munus Subdiaconi obeunti. Insuper *a*) calicem ante Offertorium non abstergat; *b*) nec vinum nec aquam in eo infundat; *c*) nec patenam cum hostia, nec calicem Celebranti tradat.

5. Calix pro Missa ab Episcopo vel a Praelato lecta, sicuti et pro Missa cantata sine Ministris, velo et bursa coopertus in abaco statuatur, amoto abusu illum non velatum retinendi, et ad altare discoopertum deferendi.

6. Calix ipse post Communionem a Celebrante rite abstersus, a Clerico ministrante suis

Digitized by Google

ornamentis instrui poterit, ac velo et bursa copertus in abacum deferri.

7. Si vero Clericus sacra non sit tonsura initiatus, poterit quidem ab Episcopo aut a Praelato in Missa lecta uti Minister assumi, sed eo in casu calix velatus ante Missam ad altare deferatur, et more solito in medio mensae super corporale statuatur; Clericus vero non tonsuratus ita se gerat ut in Missis a simplici Sacerdote celebratis. Poterit autem ad Missale Celebrantem adsistere, folia vertere, palmatoriam sustinere; calix autem, ab ipso Celebrante suo tempore abstersus et velatus, ac in medio mensae collocatus, absoluta Missa, in Sacristiam deferatur.

Atque ita censuit et servari mandavit. Die 10 Martii 1906.

Super quibus facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X, per infrascriptum Cardinalem Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefectum fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam eiusdem Sacri Consilii in omnibus ratam habuit et adprobavit, quibusvis privilegiis vel consuetudinibus, quae omnino abrogata esse declaravit, aliisque contrariis quibuscumque non obstantibus. Die 14 Martii 1906.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

Digitized by Google

## Commentarium.

Per quam opportune prodit hoc S. R. C. grave Decretum; cum enim nonnullae essent sentiendi rationes inter liturgistas, et alicubi privilegia oretenus concessa dicerentur, quibus cuique, sola talari veste cottaque induto, ad altare inservire fas esset, regulae clarissimae ad rem in eo traduntur, in casu quo aliquis inferior Clericus loco Subdiaconi, vel Cappellani in Missa episcopali deservire debeat, aut laicus Clerici vices tenere.

Ad 1. Ut loco Subdiaconi in Missa solemni deputari possit alius Clericus, duo nunc sunt rigorose observanda, 1° *ut adsit rationabilis causa*; 2° ut Clericus sit in *minoribus ordinibus* aut saltem *sacra tonsura initiatus*.

S. R. C. iam ab anno 1698, suo Decreto n. 2002, et postea aliis Decretis 2525[1], 2965[4], 3525[1] et 3832[7], declaraverat, Subdiacono deficienti pro Missa solemni, *extra casum absolutae et praecipuae necessitatis*, Clericum non esse substituendum. Huius ratio per se patet, nam in Ecclesia Dei, Ordines sacri eo ipso instituti sunt ut unusquisque in gradu suo ad altare deserviat. Porro, parum valeret Subdiaconorum ordinatio, in qua Episcopus, inter alia dicit: « *Subdiaconum oportet aquam ad ministerium praeparare, Diacono ministrare... Calicem et Patenam in usum Sacrificii eidem offerre...* », si cuique licitum foret, eorum munere fungi.

Nihilominus, data *vera necessitate*, et *rationabili causa*, permittit Ecclesia Clerico, loco Subdiaconi, deservire, cauto tamen ne *omnibus muneribus Subdiaconi* perfungatur, sed eius vices gerat in aliquibus tantum, quae ad Ordinem Subdiaconatus praecise non attinent; nonnulla enim fiunt ad Altare a Subdiacono, quae rigorose loquendo ad illum exclusive non pertinent. Ex. gr. Epistolam legere potest aliquis Lector, in Missa cantata absque Ministris (*Rubr. Miss. Tit. VI, n. 8*), sicut et Prophetias in Feria VI et Sabbato maioris hebdomadae; Missale hinc inde super Altare deferre, librum ante Celebrantem sustinere, ac alia similia, minister

Digitized by Google

licet non tonsuratus praestare potest, idcirco huiusmodi minora officia bene poterunt ab alio Clerico, vice Subdiaconi, adimpleri.

Quae autem erit *causa rationabilis*, ut dicit praesens Decretum, et quae *praecisa necessitas* ut aiunt antiqua Decreta citata? non enim quaevis ratio sufficit ut Clericus pro Subdiacono assumatur. Ex. gr. Festum magnum celebratur, et populus aegre ferret si Missa solemnis a Sacerdote absque Ministris decantaretur; nullus adest Minister *in sacris* qui uti Subdiaconus deserviat; vel adest quidem Sacerdos, sed aut aetate valde provectus inhabilis iam est ad ministerium explendum, vel puta scholae cantorum praeesse debet, alioquin Missa qua par est solemnitate decantari nequiret. Item adsunt quidem Sacerdotes, sed ipsi vel cantui, vel confessionibus excipiendis, vel aliis sacri ministerii operibus incumbere debent, hae sunt causae a S. R. C. (*Decr. 23 Nov. 1880, n. 3525*[1]) admissae in casu de quo agitur. Si vero Sacerdos haberetur validus, ecclesiae servitio addictus et nullimode praepeditus, licet esset Canonicus vel Parochus, ad mentem S. R. C. (*Decr. n. 2525*[1]) munere Subdiaconi perfungi deberet, ut Ecclesiae leges, Ordinisque iura rite serventur.

Secunda conditio huiusmodi concessionis est, ut Clericus sit in *minoribus Ordinibus* constitutus, aut saltem *sacra tonsura initiatus*. In citatis S. R. C. Decretis antiquis, nempe sub nn. 2525, 2965, 3525, nec non in aliis sub nn. 2002 et 2221, omnino requirebatur ut Clericus in ordinibus minoribus esset constitutus; in recentiori vero sub n. 3832, dato die 17 Iulii 1894, permittitur, ut Clericus *saltem tonsura initiatus* Subdiaconi munere fungi valeat. Hinc si alicubi adsit Clericus in minoribus Ordinibus, certo certius tonsurato praeferri debet. Patet ex dictis, et ratio ipsa suadet, nam tonsura est quidem initiatio ad sacra, non tamen inter Ordines connumeratur. Qui ergo Ordinem minorem habet, proximior est Subdiacono ideoque praeferendus.

Quapropter Clericus, qui revera sacra tonsura non sit initiatus, licet adultus, licet regularis cum votis solemnibus Deo adstrictus, numquam poterit a Superioribus ecclesiarum, vel ab

Digitized by Google

ipso Episcopo, ad munus Subdiaconi in Missa cantata obeundum deputari.

Hinc nil valet consuetudo, parum probata, Clericos tonsuram in capite habentes, quin eam ab Episcopo obtinuerint, aequiparandi iis qui re vera sacra tonsura initiati sunt. Nihilque hodie valet invocare S. R. C. Decretum n. 2965, quo, iuxta quandam interpretationem, permitti posse videbatur, ut Regularis absque clericali tonsura pro Subdiacono deputaretur; ceterum in eodem Decreto explicite apponitur conditio « debere esse *Clericum* », idest sacra tonsura rite initiatum.

Ad 2. Clericus pro Subdiacono inserviens, omnibus vestibus indui debet, excepto manipulo, quod et in citatis S. R. C. Decretis pluries definitum fuerat. Quoniam vero non unus ex liturgistis docuit, omnia posse a Clerico deputato exerceri, quae a Rubricis Subdiacono tribuuntur, ea ratione motus, quia S. R. C. exceptionem unicam posuit, deserviendi absque manipulo, pluries, multisque in locis, visi sunt Clerici, omnibus muneribus perfungi a Rubrica praescriptis, quasi veri essent Subdiaconi. Ad abusus igitur tollendos, et ut in posterum res clarius pateret, S. R. C. declarat in praesenti Decreto, quod Clericus, in casu, non tantum absque manipulo ministret, sed delato calice, more solito, ad altare, nil aliud super eum, vel in eo agere possit, ideoque neque eum abstergere, neque aquam in eo infundere, etc. Hac de re videantur quae diserte docuerunt *Ephemerides liturgicae* (*An. XVI, p. 463*).

Docet Benedictus XIV (*Istit. 34, § 4, n. 18*): « Certum est Sacerdotibus tantum ac Diaconis potestatem fieri ut Sacra vasa contingant, in quibus Christi Corpus et Sanguis habeatur, Subdiaconis tribuitur, dum Altari ministrant, Calicem et Patenam tangere ubi Christi Corpus et Sanguis non fuerit. Acolythis *autem extra Altaris ministerium* eadem facultas traditur, cum vasa Sacra ad Sacrificium necessaria praeparare ipsi debeant. Tandem diuturna consuetudine factum est, ut Ordinati omnes, et qui sola tonsura praediti sunt, si aliqua causa intercedat, Sacra Vasa, dum

Digitized by Google

vacua sunt, *extra Altaris ministerium* contingant ». Quam sententiam tenent cum Suarez, Pasqualigo, Quarti, La Croix et S. Alfonsus (*Theol. mor., l. 6, n. 382*).

Missalis Rubricae Sacerdoti celebranti praescribunt, ut Calicem ad Altare afferat, eum abstergat, vinum et aquam in eo infundat, infra actionem cooperiat ac discooperiat, post ablutionem abstergat, componat et ad sacristiam deferat, licet eius inserviens esset Acolythus. Ideoque convenientissime haec omnia Clerico, loco Subdiaconi ministranti, S. R. C. prohibuit, illi tantum permittens ut Calicem velatum afferat, et in fine iam a Celebrante abstersum more solito componat et ad abacum portet. Haec enim minora sunt et rigorose loquendo ad sacrum ministerium exclusive non attinere videntur.

Notandum tamen est, quod in hoc § 2 ad litteram *a*) videtur Clericus, vicem Subdiaconi gerens, abstergere posse calicem ante Offertorium, non enim hoc excluditur, uti in sequenti § 4. Si standum esset Caeremoniali Episcoporum (*l. 2, c. 8, n. 62*), haec prima Calicis abstersio ad Diaconum pertineret, ideoque forsan, hoc loco, expressis verbis non fuit excepta. Cum autem ex Missalis Rubrica (*Tit. VII, n. 9*) eadem abstersio a Subdiacono sit facienda, hic certo certius exceptio eius erat exprimenda. Quoniam vero ubi eadem est ratio legis, eadem esse debet legis dispositio, dicendum est, Clericum Subdiacono supplentem, aequo abstergere non posse calicem ante Offertorium, ut dicitur in § 4. Imo declarare nobis licet, hanc fuisse et esse mentem illorum qui Decretum composuere, et etiam S. R. C., ut unus ex eiusdem Officialibus nobis testatus est.

Ad 3. Iuxta Caeremoniale Episcoporum (*l. 1, c. 29, n. 2*) duos Capellanos ministrantes habere potest Episcopus privatam Missam celebrans; quorum uni nonnulla in sacro ministerio fieri tribuuntur, quae in Missa solemni ad Diaconum vel ad Subdiaconum spectant. Idem dicendum est de Missa celebrata a Protonotario Apostolico (*Motu proprio* SS. D. N. Pii X *nn. 10, 31 et 49*), atque de Missa cantata absque Ministris, in quibus aliquis Clericus

Digitized by Google

*in sacris* Celebranti assistit, et si hic in promptu non habeatur, eius vices gerere potest Clericus saltem tonsuratus, ut opportune declarat praesens S. R. C. Decretum.

Ad 4. Hinc Clerico non omnia permittuntur, quae in Caeremoniali (*loc. cit.*) a Ministro *in sacris* fieri iubentur; nam patenam cum hostia celebranti porrigere, calicem abstergere, vinum et aquam in eo infundere, infra actionem pallam super eum imponere vel auferre, illumque in fine tergere, prohibentur, ob causas, quas diximus supra. Ac proinde Clericus tonsuratus in casu circa calicem non aliud agere potest, nisi a mensa ad Altare illum deferre, et in fine iam a Sacerdote abstersum, componere et ab abacum reportare.

Ad 5. Nonnulli Caeremoniarum magistri, non excluso Martinucci (*l. 5, c. 5, n. 2*), male interpretantur Caeremoniale Episcoporum (*l. 1, c. 12, n. 19*), ubi agens de praeparandis in credentia pro Missa pontificali dicit: *Super ea* (credentia) *ponentur... in ipsius medio Calix cum Patena, palla, purificatorio et bursa corporale continens,... eaque omnia cooperientur velo pulchriori, quo uti debebit Subdiaconus.* Porro, cum hic nil dicatur de velo calicis, putarunt quod in Missa ab Episcopo celebrata, velum Calicis non sit adhibendum, et reapse multis in Ecclesiis videtur passim, pro Missa celebrata ab aliquo Patre Cardinali, vel Episcopo, vel Praelato calix plane discoopertus in abaco parari. Sed quantum haec doctrina discordet a spiritu et legibus Ecclesiae facile demonstrari potest.

Primo quidem in loco Caeremonialis citato non iubetur velum calicis, quia postea praescribitur, *omnia cooperiri cum velo* humerali Subdiaconi. Et de Herdt bene hic notat (*T. 1, n. 97*): « Non numeratur velum calicis, quia est inutile, cum omnia simul velo maiori cooperiantur ». Nihilominus opportunissime innuit cl. P. Schober (*Caerem. Miss. solemn. IX, c. 1, n. 5*): « Utique ex dicta causa calix velo non est cooperiendus, sed velum calicis prope calicem super abacum ponendum est; nam Caeremoniale (*l. 2, c. 8, n. 77*) requirit ut Subdiaconus in componendo calice circa finem Missae *velum* et bursam super calicem reponat ».

Digitized by Google

Velum ergo et in Missa pontificali, sicut et in aliis Missis lectis omitti nequit.

Secundo quia vasa sacra semper cooperta esse debent, in signum maioris reverentiae, ut clare eruitur ex Missalis Rubrica, quae calicem velatum a Celebrante deferri iubet, et in Altari collocari *velo coopertum*, et prorsus nescitur qua ratione in Missa ab Episcopo privatim celebrata, discoopertus manere debeat in abaco.

Tertio, De Herdt (*T. 1, n. 221*) et citatus Schober (*Caer. Miss. App.* 8, n. 4) ubi agunt de Missa privata ab Episcopo celebranda, docent: « In credentia seu abaco ponuntur calix praeparatus *et velo coopertus*, etc.... »

Quam ob rem, nemo est qui non videat quanta ratione S. R. C. hic aperte disponat ut *Calix pro Missa ab Episcopo vel a Praelato lecta... velo et bursa coopertus in abaco statuatur, amoto abusu illum non velatum retinendi et ad altare discoopertum deferendi*; itaque sententia cl. Martinucci, et praxis alicuius magistri caeremoniarum, hac de re, non amplius sustinetur, sed *abusus* a S. R. C. declaratur.

Ad 7. Pro assistentia ad Episcopum vel ad Praelatum in Missa lecta, vel ad Celebrantem in cantu absque Ministris, permittitur quidem Clericus, licet prima tonsura initiatus non sit, debet tamen esse *clericus lato sensu*, nempe veste talari et cotta indutus. Permittitur tamen cum exceptione aliqua; scilicet calicem numquam tangere poterit dum Celebrans est in Altari; ideoque calix antea parari in casu debet super Altare in medio mensae, et in fine Celebrans ipse calicem abstergat, et componat more solito et velatum in Altari relinquat.

Quae restrictio convenientissima est omnino. In ministerio enim Acolythus ipse, cui comparatur in hoc decreto etiam tonsuratus, calicem coopertum ad Altare deferre indeque asportare potest; qui vero neque sit tonsuratus, saltem dum Celebrans est in Altari, Calicem umquam tangere et deferre nequit.

Quis autem calicem a Sacristia ad Altare deferre ante Missam debet, et post Missam reponere? Decretum non dicit explicite, sed

Digitized by Google

utitur verbis impersonalibus: *ante Missam deferatur*, et, *absoluta Missa in Sacristiam deferatur*. Quod sapienter factum est, quia si Sacrista sit Sacerdos, aut *in sacris*, eius erit calicem in casu ad Altare deferre et inde asportare; si vero *in sacris* non sit, cum agatur de calice collocando extra Missam, vel post eam auferendo, tolerari potest, ut et Clericus non tonsuratus (si facultate polleat, quae hodie Religiosis aedituis conceditur) id perficiat, iam enim *extra ministerium* sumus et ad Altare Celebrans amplius non est.

Concludit Decretum, abrogando omnia privilegia vel consuetudines in contrarium, et bene; alicubi enim dicebatur, permitti posse ut Clerici aut novitii Regularium *non tonsurati*, non solum inserviant Episcopo vel Sacerdoti celebranti, sed et calicem detergant, vinum et aquam in eo infundant eumque cooperiant et discooperiant, quod certo certius anormale erat omnino.

Doct. Petrus Piacenza.

## IV.

**Approbantur propria Officia cum Missis de Mysteriis Viae Dolorosae D. N. I. C. atque de septem Gaudiis B. M. V.**

### Ordinis Fratrum Minorum.

Exercitium pietatis a Via Dolorosa, sive Crucis, nuncupatum, quo reverens fidelium studium in praecipua Loca et Mysteria Dominicae Passionis magnopere nitescit, merito coaevum Ecclesiae primordiis censendum est. Exemplo namque Deiparae Virginis et Apostolorum inciti Christifideles, tum indigenae, tum advenae pie Hierosolymam peregrinantes, ea Monumenta

Digitized by Google

et sacrùm potissime ad Calvariam iter, Divini Sanguinis vestigiis purpuratum, numquam colere desiverunt. Pia tamen Ordinis Minorum industria, praecipue a saeculo decimoquinto et deinceps, factum est, ut quemadmodum Hierosolymis, ita alibi sacrum illud iter a Praetorii situ ad Calvariae locum in spiritu a Fidelibus conficeretur, nempe per Exercitium, ut aiunt, Viae Crucis. Hoc sane pietatis exercitio, quod sensim fere ubique institutum, Sancti Leonardi a Portu Mauritio ferventi opera per Italiae regiones saeculo decimo octavo labente diffusum, viget ac floret nostra hac aetate; depictis tabellis Mysteria Christi Dolorum, vel sacris litteris vel constanti universali traditione innixa, seorsim referentibus, quatuordecim Loca sive Stationes illius itineris (per Auctores et Peregrinos cuiuscumque saeculi, necnon ex locali traditione indubie designatas) velut invisimus, ipsumque Dominum patientem et Cruce oneratum devota mente subsequimur. Saluberrimum vero eiusmodi morem, sive piam peregrinationem Viae Crucis Romani Pontifices multo Indulgentiarum thesauro locupletarunt. Tantis rationum acti momentis Franciscales praesertim e Custodia Hierosolymitana, iamdudum concupierant, ut quae pia Mysteria hactenus privato tantum et populari velut more ubique gentium coluntur, ea ipsis in locis ubi parta sunt, atque ab Ordine Minorum universo legitime celebrari liceret. Hisce itaque votis libenter obsecundans Reverendis-

Digitized by Google

simus Pater Bonaventura Marrani, Procurator totius Ordinis Minorum, et nomine Reverendissimi Patris Ministri Generalis, Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam Decimum humillimis precibus rogavit, ut Festum de Mysteriis Viae Dolorosae Domini Nostri Iesu Christi Feriae VI, ante Dominicam Septuagesimae, sub ritu duplici secundae classis in Kalendario ac Breviario et Missali Ordinis Minorum affigi valeat, cum Officio ac Missa propriis, quorum schema supremae sanctioni Apostolicae Sedis demississime subiecit.

Quum insuper ad peculiarem devotionem omni antiquitatis aevo celeberrimam, Sancto Martyri Thomae Cantuariensium Antistiti valde familiarem, atque a Summis Pontificibus Indulgentiarum largitionibus ditatam, qua Deiparam Virginem in gaudio non minus quam in dolore admirabilem pientissime veneramur, Minorum Ordo antiquitus vocatus dici possit, quemadmodum de Virginis ipsius Doloribus praedicandis et assidue colendis Servorum Ordini munus coelitus traditum fuit; hinc Reverendissimus idem Pater Procurator Generalis Festum quoque Septem Gaudiorum Beatae Mariae Virginis sub eodem ritu duplici secundae classis, Dominica prima post Octavam Assumptionis, cum exhibitis Officio ac Missa propriis, ab ipso Minorum Ordine recolendum flagitavit.

Itaque, ad iuris tramitem, quum Eminentissimus ac Reverendissimus Dominus Cardinalis



Digitized by Google

Dominicus Ferrata, Relator (1), eiusmodi Officia cum Missis propria de utroque Festo in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, proposuerit; Eminentissimi et Reverendissimi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurato examine perpensis, auditoque R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, ita rescribere censuerunt: « *Pro gratia, et ad Eminentissimum Ponentem cum Promotore Fidei* ». Die 20 Februarii 1906.

Postmodum duobus iisdem Officiis ac Missis diligenti studio revisis atque emendatis, hisque omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X, per infrascriptum Cardinalem Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatis, Sanctitas Sua sententiam Sacri ipsius Consilii ratam habens, benigne indulgere dignata est, ut Festum Viae Dolorosae Domini Nostri Iesu Christi atque alterum Septem Gaudiorum Beatae Mariae Virginis sub ritu duplici secundae classis cum eiusmodi Officiis ac Missis propriis ab Ordine Fratrum Minorum quotannis expetita Feria

(1) Eminentissimus idem Vir, non modo utriusque Officii ac Missae Causam opera ac studio diligentissime impensis ad prosperum exitum perduxit, ut assolet, sed etiam exhibito Schemati ac praesertim Hymnorum (quorum primus in utroque Festo Acrostichidem habet) et Orationum noviter emendando curam diligentissimam, simul cum Reverendissimo Sanctae Fidei Promotore, pro sua in Litteris Latinis peritia gustuque vacavit: perennem sic Fratrum totius Ordinis Minorum gratiam promeritus, qui eiusdem potissimum ope utramque devotionem omnibus Seraphici Patris Filiis charissimam supremo cultu nunc liturgico auctam ab Apostolica Sede gaudenter agnoscunt.

Digitized by Google

et Dominica recoli valeat; servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 14 Martii, eodem anno.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*
† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

## S. CONGREGATIO INDULGENTIARUM

### Conceduntur indulgentiae fidelibus pro Neerlandiae conversione orantibus.

*Beatissime Pater,*

Superior Generalis Congregationis B. M. V. Matris Misericordiae, existentis Tilbergi, Dioec. Boscoducen., ad pedes S. V. provolutus, humillime exponit quae sequuntur:

Die 11 Iunii 1852, per Rescriptum S. R. C., Summus Pontifex Pius IX, favore christifidelium in Neerlandia degentium, qui peculiares quasdam preces pro conversione illius regionis recitaverint, benigne concessit: « ut fideles singuli, toties, quoties orarint pro exposito fine, consequi valeant Indulgentiam ducentorum dierum, et Plenariam Indulgentiam semel in mense lucrari, dummodo per integrum mensem tali modo orarint, die qua vere poenitentes ad S. Synaxim accedent, et aliquas etiam preces fuderint iuxta mentem Sanctitatis Suae ». Cum vero huiusmodi pia praxis, orandi scilicet pro Neerlandiae conversione, per diversas Orbis regiones iam diffusa reperiatur, humilis orator enixe petit, ut S. V. praefatas Indnlgentias ad omnes ex utroque sexu christifideles, ubique degentes, benigne extendere dignetur.

Et Deus, etc....

SS.mus Dominus Noster Pius Pp. X, in audientia habita die 14 Martii 1906 ab infrascripto Card. Praefecto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 14 Martii 1906.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*
† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

Digitized by Google

## Ad *Motu-proprio* de Protonotariis Apostolicis Commentarium.

(*Continuatio.* V. num. 4, anni curr., pagg. 218-221).

### De Protonotariis Apostolicis Supranumerariis.

27. Pontificalia agent ad Faldistorium (8), sed vestes sacras in sacrario assument et deponent (9), quae in Missis erunt: *a*) Caligae et sandalia serica cum orae textu ex auro (10); *b*) Tunicella et Dalmatica (11); *c*) Crux pectoralis sine gemmis (12), e chordula serica *rubini* ex integro coloris pendens, auro non intertexta, simili flocculo retro ornata (13); *d*) Chirothecae sericae, sine ullo opere phrygio, sed tantum orae textu auro distinctae (14); *e*) Annulus cum unica gemma (15); *f*) Mitra ex serico albo, sine ullo opere phrygio, sed tantum cum orae textu ex auro, et cum laciniis similiter aureis (16), quae cum simplici ex lino alternari poterit, iuxta Caeremon. Episcoporum (*I, XVII, nn. 2 et 3*) (17); haec vero simplex, diebus poenitentialibus et in exsequiis una adhibebitur (18); *g*) Canon et Palmatoria, a qua abstinendum coram Ordinario seu maiori (19); *h*) Urceus et Pelvis cum Mantili in lance; *i*) Gremiale (20).

(8) Quoad usum Faldistorii vide notam ad § 6. Protonotarii Sopranumerarii, in usu Faldistorii conveniunt cum Participantibus, et discrepant a Protonotariis *ad instar*, qui, ut videbimus suo loco inferius, ad scamnum, sicut alii Sacerdotes sedere debent.

Digitized by Google

(9) Ut tamen Supranumerarii discernantur a Participantibus, qui vestes sacras assumunt ad altare, hic decernitur ut in sacrario vestes induant et deponant. In hoc conveniunt cum Protonotariis *ad instar*.

Opportune porro lex ista in hoc *Motu proprio* inducta est, quia ut plurimum in Capitulis, quorum Canonici pontificalium privilegio gaudent, vestes sacrae in sacrario induuntur, et in Faldistorio sedet Canonicus celebrans. Igitur huiusmodi regula pro Supranumerariis Protonotariis hic approbatur, et applicatur, quando etiam uti singuli pontificalia agunt in alia ecclesia absente Capitulo, intra limites dioecesis, iuxta seq. § 32.

(10) Caligae et sandalia pro Episcopis pontificali ritu celebrantibus, ex serico, seu etiam ex serico aureis laminibus intermixto esse possunt, in colore paramentorum. Protonotariis hic expresse permittuntur tantum ex serico, prout edixerat Pius IX in citata constitutione (§ *16*). Supranumerariis autem permittuntur caligae et sandalia serica, *cum orae textu ex auro*, scilicet vittis aureis exornata in extremitatibus superioribus caligarum, et in oris sandalium.

Ut innuit Durandus (*l. 3, c. 8, n. 4 et 5*), Caligae antiquitus « iacinthini, idest äerei, seu coelestis coloris » erant; sicque vocabantur « ab herba, vel sandalico colore quo depinguntur ». Hodie tamen caligae et sandalia semper convenire debent colori paramentorum (*R. R. C., decr. 3729*[2]), ideoque color eorum est albus, vel rubeus, vel viridis, vel violaceus, non autem niger, eo quod in Missis defunctorum, sicut et in feria VI in Parasceve, caligae et sandalia non adhibentur, in moestitiae signum.

Item in sandaliis interdicuntur quaecumque ornamenta opere phrygio, sive acu picta, quae rigorose loquendo interdicuntur ipsis Episcopis, ut docet Pius Martinucci (*VI, 52 in indice*).

(11) Tunicella ac Dalmatica ex tenui tela serica conficiuntur absque subsuto ut leviores sint. Exornantur autem vittis aureis vel argenteis, modo solito quo exornantur Dalmatica et Tunicella pro Diacono et Subdiacono, minoris tamen latitudinis. Alicubi op-

Digitized by Google

portune construitur Tunicella amplior ac longior quam Dalmatica, cum manicis tamen angustioribus et longioribus, ut utraque cernatur. Sunt qui putant, Tunicellam et Dalmaticam pro Protonotariis ornandas esse non vittis aureis sed tantum sericis; imo nonnulli sacrae suppellectilis venditores huiusmodi Dalmaticas Protonotariorum sic parant; nihilominus nulla lex prohibet, nec ipsis Protonotariis *ad instar*, ut videre est in constitutione Pii IX, quominus Dalmaticas adhibeant vittis aureis exornatas, prout non prohibentur in casulis aut Dalmaticis, quae exterius a quibuscumque sacrorum ministris adhibentur.

(12) De Cruce pectorali, vide quae diximus in notis ad §§ 7 et 8. Ut visibilis haberetur distinctio inter Episcopos et Protonotarios, hisce interdicitur usus Crucis cum gemmis, prout iam interdictus est a Pio IX in citata constitutione.

(13) Color *rubinus* sicut in vitta pilei, ita et in chordula qua crux pectoralis sustentatur hic decernitur, auro tamen haec esse nequit intertexta, quae est propria Protonotariis tantummodo Supranumerariis.

(14) Chirothecae sericae Protonotariis permittuntur nullo opere phrygio exornatae; uti Pius IX edixerat in citata sua constitutione, nam illae quibus utuntur Cardinales et Episcopi, in medio et in antica ipsarum parte crucem, vel signum I. H. S. cum radiis filis aureis acu pictum exhibent.

Antiquissimus est chirothecarum usus in Missis ut tradit Innocentius III (*De myst. Mis., l. 1*) et Cardinalis Bona (*Rer. liturg.. 1, 24, n. 12*); imo teste Martène (*Tom. V, Anedoctor.*) etiam Presbyteri iis utebantur, ut videre est in antiquis picturis et sculpturis medii aevi.

Nunc autem post saeculum xv chirothecas adhibent tantummodo pontificali ritu celebrantes. Sunt autem sericae, coloris paramentorum, et Protonotariis Supranumerariis permittitur ut extremitates seu orae earum sint auro exornatae.

(15) De annulo vide quae diximus in nota ad § 4. Hic decernitur quod annulus sit cum unica gemma, uti Pius IX Protono-

Digitized by Google

tariis *ad instar* edixerat, et bene; oportet enim ut in huiusmodi etiam ornamento ab Episcopis distinguantur (1).

(16) De mitra superius egimus in notis ad §§ 5 et 9. Ea quae hic Supranumerariis praescribitur, congruit cum Mitra secundae speciei, in Caeremoniali Episcoporum (*l. 1, c. 17, n. 1*) descripta, nempe: *ex serico albo, auro intermixto*, scilicet ut hic clarius notatur, cum *orae textu ex auro et cum laciniis similiter aureis*. In hoc ergo differunt a Protonotariis participantibus, quibus mitra aurea concessa est, et a Protonotaris *ad instar*, quibus mitra similiter ex serico damasceno, sine tamen ullo aureo ornamento tribuitur.

(17) Quoad alternationem mitrae sericae cum simplici ex tela linea, notamus id in Caeremoniali permitti *potius ad commoditatem quam ex necessitate*, ideoque non est de praecepto.

(18) In Caeremoniali Episcoporum (*loc. cit., n. 3*) prohibetur Episcopis usus mitrae pretiosae in Adventu et Quadragesima, exceptis Dominicis *Gaudete* et *Laetare*, in vigiliis quae ieiunantur, et quatuor temporibus, in Rogationibus, Litaniis et Processionibus quae ex causa poenitentiae fiunt, et in festo SS. Innocentium, nisi in Dominica veniat; uno verbo, quotiescumque color paramentorum est violaceus, quibus diebus mitra auriphrygiata utuntur Episcopi in signum poenitentiae.

Optime ergo Protonotariis *diebus poenitentialibus*, nempe supradictis, praescripta fuit mitra simplex ex tela, ut ipsi, in signum minoris solemnitatis mitram ex serico dimittant, sicuti Episcopi pretiosam non sumunt. Quod a fortiori dicendum est pro diebus in quibus adhibetur color niger, ut in feria VI in Parasceve et in exequiis.

(19) Canone et Palmatoria, ait Gardellini (*Adnot. ad decret. 2578, vol. IV, pag. 160*), iure utuntur S. R. E. Cardinales

(1) Paucis ab hinc annis quidam Protonotarius *ad instar* cruce et annulo utebatur quamplurimis et pretiosissimis gemmis ita refertis, ut neque ipse Summus Pontifex similibus unquam usus sit. Opportune ergo Protonotariis usum gemmarum moderatur lex ista, ne nimis emineant supra eos qui revera Pontifices sunt.

Digitized by Google

et Episcopi, alii vero ex indulto. « Quinimo, nisi palmatoriae usus sit expresse ac nominatim concessus, haud comprehenditur in Pontificalium indulto ».

S. R. C. decreto generali d. d. 31 Maii 1817, n. 2579, declaravit, adprobante Pio Pp. VII: « In sacris functionibus, sive publicis sive privatis, non licere Dignitatibus et Canonicis, Superioribus Regularibus, Praelatis quoque Romanae Curiae Protonotariis Apostolicis honorariis, aliisque omnibus quocumque nomine nuncupentur, quibus ex iure non competit, etiamsi habeant ex indulto usum mitrae, palmatoriam adhibere, nisi Apostolico privilegio donentur ». Quod consonat cum aliis decretis 2418[4], 2624, 2775.

Hinc tam Pius VII (*decr. 27 Aug. 1822*) quam Pius IX (*const. cit.* § *15*) canonicis usum pontificalium habentibus, et Protonotariis *ad instar* expresse eam negant.

Pius vero X illam Protonotariis indulsit, ea sub conditione, ut ab usu palmatoriae abstinere debeant coram Episcopo Ordinario, aut illo maiori, nempe Cardinali, Metropolitano, aut Legato in sua legatione. Hoc congruit cum S. R. C. decretis n. 2648 et 2665.

Ratio autem, ob quam SS. D. N. Pius X illa insignia concessit, est quia multi sunt Canonicorum coetus, vel principalium ecclesiarum Praepositi, qui privilegio palmatoriae gaudent; eo magis igitur convenit Protonotariis, quando pontificaliter celebrant.

(20) Urceus et pelvis, ab aliquibus sacrarum caeremoniarum magistris, inter praerogativas Episcoporum recensentur: eo quod certo certius non permittuntur in Missa privata, imo etiam solemni, a simplici Sacerdote celebrata.

Siquidem pro Missa privata, Rubrica Missalis (*tit. XX*) habet: *parentur ampullae vitreae vini et aquae, cum pelvicula et manutergio*; pro Missa vero solemni (*tit. VII, n. 10, in fine*) dicit: *Celebrans postquam incensatus fuerit, lavat manus, ministrantibus Acolythis ampullam aquae, cum pelvicula et manutergio.*

In Caeremoniali Episcoporum, ubi agitur de Missa privata ab Episcopo celebrata (*l. 1, c. 29, n. 10*), reapse nil dicitur de urceo, seu *buccali*, habet enim: *Episcopus manus bis lavat in*

Digitized by Google

*huiusmodi Missa; videlicet post Offertorium et post Communionem, et semper in lotione familiaris aliquis ministrat aquam et pelvim, Cappellani vero mantile*; alio loco (*l. 1, c. 12, n. 19*) habet: *Super eadem mensa apponatur mitra... pelvis pro abluendis manibus, et urceus argenteus cum aqua.* Qui urceus alio loco (*l. 1, c. 11, n. 12*) vocatur etiam *buccale.*

In praxi tamen Episcopi in Missa etiam privata urceo et pelvi semper utuntur (Martinucci, *l. 5, c. 5, n. 2*), Canonicis vero et Dignitatibus, etsi Pontificalium privilegio insignitis, id prohibetur, cum in constitutione Pii VII pluries citata (§ *24*) legatur: « In Missis privatis... non sibi velint aquam ministrari cum pelvi et urceolo » scilicet cum *buccali.* Idem usus prohibetur Abbatibus in Missa privata (*S. R. C. decr. n. 1131*[21]).

Neque aliud dicendum (secluso privilegio) de Missis solemnibus a Canonicis Cathedralis celebratis, quamvis in aliquibus aequiparentur Praelatis, non enim ex. gr. genuflectunt nec Episcopo dioecesano, nec Cruci. Obstat enim decretum S. R. C. d. d. 18 Iulii 1902 in causa *de Queretaro* (1), in qua ad dubium V: « Praeter ampullas vini et aquae ponitur etiam super credentiam in aliquibus Ecclesiis huius dioecesis pelvis et urceus cum aqua pro manuum lotione in Missis cantatis... Porro cum praedictus pelvis et urceus non sit praescriptus in rubricis Missalis quaeritur: num continuari licite possit, vel saltem tolerari praefatus usus? », S. R. C. respondit: « *Negative ad utramque partem* »; scilicet praedictus usus nec *continuari* nec *tolerari* potest.

Nihilominus certum est hodie Protonotarium, etiam *ad instar*, cum pontificaliter celebrat, usum habere urcei et pelvis ut expresse disponitur in *Motu proprio.*

(21) Gremiale est utique inter insignia episcopalia adnumerandum. De eo loquitur Caeremoniale Episcoporum (*l. 1, c. 12, n. 19* et *l. 2, c. 7, n. 36, 39*), et eo utuntur Episcopi in Missis pontificalibus tantum, dum sedent in throno, vel in faldistorio.

(1) Vide *Ephem. Liturg.* anni 1902, pag. 496.

Digitized by Google

Gremiale sericum esse decet, in colore tamen paramentorum; suis funiculis instructum, sic ut decenter retineatur.

Gremiale conceditur Supranumerariis, et. negatur Protonotariis *ad instar*, ut videbimus, quia iuxta probatos Caeremoniarum magistros, Gremiale sequitur solium vel faldistorium, cuius usu non gaudent Protonotarii *ad instar*.

(*Continuabitur*).

Doct. PETRUS PIACENZA.

# Acta Academiae Liturgicae Romanae.

*Die 31 Ianuarii 1906*, in S. Aede Congregationis Missionis prope Curiam Innocentianam, habitus est Conventus academicus, in quo Rev. D. VINCENTIUS MISURACA, Pontificii Seminarii Rom. alumnus, quaestionem enodavit:

## De Missa privata Episcopi in solemnibus festis.

Post Censorum animadversiones et placita, alter ex illis, Rev.mus D. PETRUS PIACENZA Protonot. Apost., epitomen resolutionum fecit, quam excepit pia collatio de ecclesiasticis officiis.

### Quaestionis propositio.

Alicubi Titius magister caeremoniarum, quem Episcopus pro se elegit, quoties Missam privatam Episcopus, sive in Cathedrali, sive in aliis suae iurisdictionis Ecclesiis, aliquo occurrente festo peculiari, celebrat, ex eiusdem Episcopi voluntate haec servare adigitur. Duos eligit Seminarii alumnos ut Missae inserviant, et Epi-

Digitized by Google

scopo celebranti respondeant. Duos alios simplices clericos ut cappellanorum officium impleant, qui celebrantem semper comitantur, unus a dextris, alter a sinistris, folia vertunt, calicem abstergunt, tegunt, detegunt etc. Alium pariter qui caudam, quam Episcopus explicat, suo tempore sustentet, et alium qui Mitram deferat; ea enim uti solet Episcopus, seu ad *Lavabo* post Offertorium, seu ad Benedictionem in fine Missae. Denique ipse Titius Caeremoniarum magistri munere fungi debet, sive pro clericis dirigendis, sive pro ipsomet Episcopo adiuvando. *Quaeritur:*

1. *In quibus Missa privata Episcopi a privata Sacerdotis differre potest, in quibus differre non potest, iuxta liturgicas leges?*

2. *Quid de tot clericorum servitio, ac de ipsomet magistro Caeremoniarum in eadem Missa privata Episcopi?*

3. *Quid iudicandum peculiariter de clericis cappellanis quod calicis attinet purificationem, de eoque cooperiendo et detegendo, ac de Mitrifero?*

4. *Quomodo Episcopo Missam privatam celebrare liceat, maxime quadam attenta loci solemnitate?*

**Solutio.**

I. Quaeritur primo loco, in quibus possit Missa privata Episcopi differre a privata simplicis Sacerdotis, et in quibus non possit? Praenotandum ducimus, quaestionem hic non fieri de iis quae *debent* absolute servari in privatis Missis ab Episcopis celebratis, ad differentiam simplicium Sacerdotum; sed de iis differentiis quae in casu sunt ad libitum; at, cum res illo altero sensu accepta paucis absolvatur, de utrisque agemus; scilicet, de iis

Digitized by Google

quae possunt et de iis quae debent in casu observari. Caeremoniale Episcoporum, quod adamussim sequemur, ad rem exhibet caput XXIX, libri I, in quo fere exclusive loquitur verbis convenientiae et libertatis; unde concludendum, in his Episcopum pro libito se posse gerere, sed addimus, ex generali consuetudine, cui adversari minime prudens esset, nonnisi in Missis privatis stricto sensu, non vero in quibuscunque lectis, namque id admirationem pareret.

Conveniens igitur est, Episcopum privatam Missam celebrantem paramenta in sacristia non accipere, sed ex ipso altari in quo celebraturus est, super quo in antecessum debito ordine disponuntur. Hoc in casu et manuum lotio ante altare ipsum ab Episcopo fiet, aquam ministrante aliquo eius familiari, mantili vero Cappellano. Hoc privilegio tamen frui non deberet Episcopus, nisi praelatitia veste indutus, ut patet. Hac praerogativa ex quadam participatione gaudent Protonotarii Apostolici de numero, supranumerarii et ad instar, non alii Praelati, uti plane declaratur in *Motu-proprio* Pii Pp. X, nuper vulgato (1). Calix praeterea, Missale et cetera, iuxta Missalis Rubricas occurrentia, una cum Canone, ad sua loca disponentur, partim scilicet super Altare, partim super mensula. Missale apertum collocabitur in cornu Epistolae, Tabellae Secretarum amovebuntur, cum earum loco Episcopus Canonem adhibeat; Calix velo coopertus, cum bursa Corporalium, super abaco, seu mensula parabitur, non discooperiendus nisi super altare, congruo tempore.

Pro manuum lotione ter utenda, ante Missam nempe, ad Ps. *Lavabo* et post Communionem, adhibebitur urceus cum pelvi ex argento vel alio metallo argentato, et pro earum abstersione lanx cum manutergio. Haec tertia manuum lotio quibuscunque aliis Praelatis, etiam Protonotariis, vetita est (Cfr. *Motu-proprio* SS. D. N., iam cit.). Insuper Palmatoria, quam *Bugia* vocant, vel super Altare statuitur vel super mensa, suo tempore deferenda.

(1) Cfr. *Motu-proprio* d. 21 Febr. 1905, art. 10, 31 et 49.

Digitized by Google

Praeter Paramenta, quae in Rubricis Missalis (parte I, tit. I) exprimuntur, a Praelatis hoc in casu adhibenda, nulla alia ab Episcopo assumenda sunt; crux tamen pectoralis et annulus non omittentur. Crucis vero usus, secum fert stolae non decussatae delationem. Est item Episcoporum praerogativa, quod ad Sacramenti elevationem, usque ad Communionem, duo assistant Cappellani seu alii intorticia deferentes, qui si deerunt, cerei duo ad Candelabra apponi possent, non extinguendi nisi post Communionem. Pileolus, ex privilegio S. Sedis, in Missis gestatur ab Episcopis praeterquam tempore a Praefatione ad Communionem decurrente.

Celebrante Episcopo, nulli etiam magno Principi aut Praelato, Missae praesenti, datur osculandus, post lectum Evangelium, liber Missalis, quod si adesset aliquis *maximus* Princeps vel S. R. E. Cardinalis, alius liber consimilis illi esset porrigendus.

Benedictio in fine Missae datur consueto more episcopali, scilicet cum versiculis *Sit nomen Domini benedictum*, etc.

Inhibetur etiam in eiusmodi Missis usus Baculi pastoralis et Mitrae, nec non, si celebrans fuerit Archiepiscopus, et Crucis hastatae ad Benedictionem.

Quod praeparationem et gratiarum actionem attinet, hae fieri possunt ab Episcopo ante Altare ipsum, in quo celebrandum est, sive in genuflexorio, sive ante Faldistorium. Dum in Missis privatis simplicis Sacerdotis unicus admittitur minister, in Missa ab Episcopo celebrata duo vel etiam tres Cappellani possunt ministrare, quorum esset respondere Episcopo, librum transferre, cooperire et detegere Calicem, mantile porrigere, ampullas ministrare, et cetera praestare necessaria. Numerus quoque candelarum in Altari, tempore Missae privatae episcopalis, quaternus, saltem in festis solemnibus, adhibendus, ex convenientia, ab ipsomet Caeremoniali edicitur; sed, cum in aliis festis et feriis duo cerei dicantur *sufficere*, ex communi consuetudine semper quatuor adhibentur, saltem in Ecclesiis vel publicis oratoriis. Id autem, ut notum est, inhibetur simplici Sacerdoti. Nihil tamen obstat, quo-

Digitized by Google

minus in solemnioribus festis, ut fit de more, plus quam quatuor candelae accendantur.

Inter ea, quae debent ab Episcopo observari in Missae privatae celebratione, est Manipuli assumptio post factam Confessionem, praeterquam in Missis pro defunctis, prolatis verbis *Indulgentiam*, etc. Cum vero hymnus *Gloria in excelsis* recitatus est, loco salutationis *Dominus vobiscum*, Episcopus dicit *Pax vobis*. In Canone, non verba *Et Antistite nostro N.* profert, sed *Et me indigno servo tuo*; hoc porro etiam in Urbe.

Si Sacram Communionem distribuere debeat Episcopus, etiam Titularis aut non dioecesanus (hi ex convenientia, S. R. C. Decr. 1342 [4]), manum osculandam praebet singulis communicaturis, quamvis communis usus ferat, ut annulus potius praebeatur (cfr. Decr. cit.).

« Cetera omnia, ait Caeremoniale (loco cit.), Episcopus celebrans servat, prout alii Sacerdotes observare consueverunt, nempe iuxta Rubricas Missalis ».

II. Cum Caeremoniale Episcoporum, circa assistentiam Cappellanorum, dicat, duos saltem ministrantes adesse posse in Missa privata Episcopi, merito in casu inquiritur, quid de tot clericorum servitio, ac de ipsomet magistro Caeremoniarum dicendum sit. Hi sane Cappellani essene possunt simplices clerici? Locumne habere hic potest Caeremoniarum magister? Inservientes minores adessene possunt, praeter Cappellanos? Caudatarius et Mitrifer nonne ministri sunt tantum functionum pontificalium?

Ad primam, quam proposuimus, quaestionem in sequenti resolutione faciemus satis, quando agendum erit de Cappellanorum non in Sacris officio. De Caeremoniarum magistri assistentia in casu, dicimus, in loco citato Caeremonialis, neque praecipi neque prohiberi, sed nec ullum extare Decretum id vetans. Auctores de eo nullam faciunt mentionem. Hinc res ex generalibus principiis et ex adiunctorum consideratione solvenda erit. Caeremoniarum magister profecto solemnioribus fere tantum functionibus congruit. Hinc Missa quoque privata Episcopi, in quadam solemnitate

Digitized by Google

celebrata, excludere non videtur sacrae functionis moderatorem, quocunque demum nomine is censeatur. Caeremoniale ipsum admittit tertium Cappellanum, qui assistat Episcopum, quique praeterea curare certo valet ut et ceteri inservientes officium suum congrue compleant. Quaestio esse potest de habitu, scilicet de veste violacei coloris, quam gestare valet Caeremoniarum magister, Episcopum assistens in sacris functionibus, iuxta praefatum Caeremoniale, quod ceterum cum minime determinet quaenam sint, poterit et in casu uti iure suo; hinc rursum dicimus, nihil obstare quominus et in Missa privata, seu potius lecta, cum aliqua solemnitate celebrata, locum habeat Caeremoniarum magister.

Quaesivimus insuper, an clerici minores inservientes adhiberi valeant in Missa, et in casu. Duo Seminarii alumni, qui nisi sint clerici, horum saltem vices, ut de more, permittente Ecclesia, obeunt, Missae inservientes et Episcopo respondentes, minime prohibendi sunt. Dicente enim Caeremoniali: « Valde convèniens esset, ut duos saltem Cappellanos... apud se ministrantes haberet », clare innuitur, etiam alios adesse posse. Neve dicas, rem coarctari inter tres taxative, eo quod Caeremoniale de tertio tantum Cappellano mentionem facit, et non de pluribus; esto enim quod non admittantur plus quam tres Cappellani, minime vetantur inferiores ministri.

Alium clericum solet eligere Caeremoniarum magister, ut in casus expositione edicitur, qui caudam Episcopi celebrantis explicatam sustentet, etiamsi agatur de Missa privata, seu lecta. Caeremoniale Episcoporum nihil habet ad rem, eo quod, iuxta illud, cauda in cappa magna episcopali tantum consideratur; usus caudae in veste talari praelatorum est recens inductus. Quaenam igitur est ratio, caudam explicandi in functionibus sacris Praelatorum? Certo certius maior pompa in solemnitate; nunc autem in casu habetur eiusmodi solemnitas, potest igitur, absque dubio, et in Missa, quamvis lecta, sed cum solemnitate celebrata, explicari. Silentio Caeremonialis supplet declaratio Decretorum: S. R. C., die 15 Sept. 1753, ad 13, declaravit, Caudatarium debere dimit-

Digitized by Google

tere caudam Episcopi, ut transeant ante eum Assistens ceterique Canonici, non solum in Missis pontificalibus, sed et *in aliis functionibus* (n. 2425). Et die 23 Sept. 1848, ad 10, eadem S. C. affirmavit, etiam Episcopum Administratorem posse « Caudatarii opera uti, saltem dum *in sacris functionibus* peragendis solutam habere debet longiorem talaris vestis fimbriam (n. 2976) ». Magis explicite locuta est anno 1666 S. Congregatio praedicta, declarans, debere Episcopum, Missam sive pontificalem *sive lectam* celebrantem, dimittere per terram caudam, seu fimbriam posteriorem subtanae, quae a nemine substineatur; sed Decretum eiusmodi (n. 2381, edit. III Gardellini), in nova authentica Collectione non reperitur. Huiusmodi tamen omissio, existentibus praecitatis Decretis, non obstat praxi quam admittimus, eo quod ratio omissionis potuit esse, non vetitum explicationis caudae, sed potius eiusdem tractio per terram, maxime in pontificalibus, excluso Caudatario. Unde concludendum, usum caudae explicandae et per Caudatarium sustinendae, etiam in Missis lectis, sed solemnioribus, Episcoporum continuari posse. Nihilominus S. R. C., die 18 Augusti 1877, n. 3434[3] declaravit, Episcopum, quando SS. Sacramentum expositum est, cauda uti posse, « *quatenus solemniter celebret* ».

III. Agendum nunc de duobus simplicibus clericis Cappellanorum officium implentibus, et de clerico mitrifero. Quamvis, ut animadvertit Catalanus (Commentar. in h. l.), Caeremoniale Episcoporum gradum non indicet hierarchicum Cappellanorum, in Missa de qua agimus, absque dubio tamen hi supponendi sunt Sacerdotes, verum, subdit idem auctor, quod, iuxta Paridis de Grassis sententiam (lib. II, cap. XX), eorum defectum supplere valent alii clerici. Hic tamen opus, hic labor! Auctores hac in re concordes non inveniuntur, officium enim, quod eis tribuit Caeremoniale, iuxta aliquos spectat saltem clericis in sacris constitutis, iuxta alios, committi valet etiam clericis non in sacris; nonnulli requirunt ex iis saltem unum in sacris constitutum. Nos putamus, hanc ultimam esse veriorem sententiam; cum enim dicat

Digitized by Google

Caeremoniale, in casu quo habeantur tres Cappellani, duos eorum cereos sustinere posse ad Elevationem, hoc non est putandum dixisse de Sacerdotibus. Ceterum munera, quae nominatim indicat Caeremoniale, ex parte conveniunt Subdiacono, et quamvis, ex Decretis S. R. C., d. d. 25 Sept. 1875, n. 3377, et 6 Decembris 1901 *Plocen.* (apud *Ephem. Liturg.*, vol. XV, pag. 700), iuxta nonnullos auctores a clerico inferiori adimpleri possint, hodie tamen haec clerico, non Subdiacono, expresse prohibentur, ut videre est in recentissimo Decreto 14 Martii 1906, supra edito (pag. 262), in eiusque commentario.

Quod tamen clericum attinet, de Mitra inservientem, dicimus, hunc non posse proculdubio admitti. Mitra sane in Missa ab Episcopo lecta adhiberi non valet. Scimus equidem, nonnullos inveniri, asserentes, Caeremoniale et Decretum S. R. C. loqui tantum de Missa privata, qualis non esset habenda Missa, quantumvis lecta, sed quadam cum solemnitate ab Episcopo celebrata; sed a Caeremonialis contextu palam fit verbum *privata*, Missae appositum in casu, stare pro *lecta*. Et re quidem vera, totus locutionis contextus innuit, sermonem esse de Missa cum solemnitate celebrata; novimus insuper in petitione ac in responsione Decreti, quod invenitur sub n. 4035 [3], in authentica Collectione, significationem vocis *privata*, eamdem esse, quam diximus. Cum autem non induitur Mitra, neque Pastorale adhiberi potest, quia ex Caeremoniali Episcoporum (I, XVII, 8), « Mitra et Baculus in Episcopis sunt correlativa ».

IV. Ex iis, quae hucusque exposuimus, datur faciliter concludere, quomodo Episcopo Missam privatam celebrare liceat, maxime quadam attenta loci solemnitate. Episcopus igitur potest Missam celebrare omnino privatim, v. gr. in suo privato sacello, uno vel fere inserviente ministro, forte etiam laico tantummodo. Tunc, ut patet, non tenebitur ad ea quae verbis convenientiae in Caeremoniali indicantur. Potest alias Missam facere privatam, seu potius lectam, in loco publico, v. gr. in Ecclesia, nulla tamen occasione solemnitatis. In eiusmodi Missa profecto non deceret,



Digitized by Google

Episcopum celebrare, nisi saltem cum duobus Cappellanis, aut horum gerentibus vices, sin minus ob populi admirationem, quae secus exurgeret, ac servato ritu a Caeremoniali descripto. Quando demum datur occasio celebrandi aliqua occurrente solemnitate, aliquid amplius quam in Caeremoniali habetur praestari potest, dummodo nullimode offendantur generales aut particulares leges liturgicae, illae praesertim, quae consuetudines respiciunt, quae notis characteribus praeditae esse debent. Hinc, praeter ea quae iam notavimus, si in loco iurisdictionis celebret Episcopus, nisi ante faldistorium genuflectat, sed genuflexorium adhibeatur, hoc cooperiri debet panno viridi aut violaceo, prout tempus requirit, dum si celebret Episcopus extraneus vel titularis, genuflexorium debet esse nudum, solis pulvinaribus instructum (cf. Decretum n. 2011 [2]). Candelae sex accendi poterunt in Altari. Caeremoniarum magister poterit praeesse, et duo clerici minores respondere, Missale transferre, ampullas parare, intortitia sustinere, minora uno verbo ministeria praestare. In manuum lotione, quae fit ante Missam, Episcopus biretum gestabit in capite, verum in iis, quae fiunt intra Missam, uno pileolo erit contectus (cfr. D. cit. n. 4035). Si S. Communio in Missa distribuenda sit, Cappellanus aut Caeremoniarius, qui sit saltem Diaconus, Tabernaculum aperiet, et Cappellanus saltem Subdiaconus Patenam sustinere poterit. Tandem in fine Missae, depositis ante Altare paramentis, prius Manipulo, si ultimo assumptus fuerit, manuum lotioni non datur locus, uti ex Caeremoniali aperte monemur.

Digitized by Google

# Expositio Rubricarum.

## EXPOSITIO NOVISSIMA
### RUBRICARUM BREVIARII ROMANI

(*Continuatio.* V. num. 4, anni curr., pagg. 230-237).

(681) *Hymni semper dicuntur in qualibet hora.* Quaelibet enim hora canonica divini officii hymnum habet, licet non in eadem parte cuiusvis horae, ut infra dicitur. Etsi Laudes horam non constituant a Matutino distinctam, nihilominus hoc loco divisim quasi sumuntur, nam et in Laudibus hymnus dicitur, semper diversus tamen ab hymno Matutini.

In choro autem, semper stando hymnos decantamus, nam, iuxta Amalarium (*l. 4, c. 3*), hymni significant maiestatem sacramque laetitiam.

In minoribus horis, nec non in Completorio, hymni numquam variantur, in reliquis vero horis variantur, sumunturque vel in Proprio de Tempore, vel in Proprio Sanctorum, vel de Communi.

Excipe horam Tertiam in festo et per Octavam Pentecostes, in qua dicitur hymnus *Veni Creator Spiritus* loco consueti *Nunc Sancte*, in memoriam adventus Spiritus Sancti Paracliti super Apostolos in caenaculo.

(682) *Praeterquam a triduo ante Pascha usque ad Vesperas Sabbati in Albis exclusive.* In triduo enim maioris Hebdomadae celebramus exequias mortis Christi ut ex Ruperto docet Gavantus (*Sect. 6, c. 13, n. 4*), ideoque hymni, qui laetitiam denotant, tacere debent. In Paschate vero bene iubilare decet, idcirco hymnorum decantatio per se non prohiberetur. Quoniam vero in signum laetitiae officium paschalis hebdomadae multum abbreviatur, et in unaquaque hora, solemniter decantatur ℣. *Haec*

Digitized by Google

*dies, quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea*, hic tenet locum hymni.

(682) *Et praeterquam in officio Defunctorum*; ob eamdem rationem, omittitur hymnus, in signum moestitiae.

## N. 2.

Ad Matutinum Hymnus dicitur post psalmum *Venite*, repetito Invitatorio, praeterquam in die Epiphaniae. Ad Laudes et Vesperas dicitur post Capitulum: ad Horas ante Psalmos, ad Completorium post Psalmos et Antiphonam (684).

(684) Congrua ratio huiusmodi differentiae in hymnorum collocatione a liturgistis non datur; cum Cavalerio porro (*t. 2, p. 2, c. 35*), dicemus, quod in Regula S. Benedicti hymni hoc modo in variis horis distributi inveniuntur.

## N. 3.

Dicuntur autem in Officio de Tempore ut in Psalterio, quando proprii hymni in Proprio de Tempore non adsunt (685): qui hymni de Psalterio in Dominicis et Feriis assignati dicuntur ab Octava Pentecostes usque ad Adventum (Dominica infra Octavam Corporis Christi excepta), et ab Octava Epiphaniae usque ad Dominicam primam quadragesimae exclusive (686). In officio de Sanctis dicuntur ut in Communi Sanctorum nisi proprii habeantur (687). Quando in aliquo festo adsint tres hymni proprii histo-

Digitized by Google

rici eiusdem metri, et hymnus proprius in primis Vesperis dici nequeat, tunc hic hymnus dicitur ad Matutinum, hymnus Matutini ad Laudes, ac hymnus Laudum ad secundas Vesperas (688); si vero secundae Vesperae non sint de hoc festo, tum hymnus Vesperarum coniungitur cum hymno Matutini sub unica conclusione (689).

(685) *Dicuntur autem in officio de Tempore ut in Psalterio quando proprii hymni in Proprio de Tempore non adsunt.* Haec regula valet pro Matutino, Laudibus et Vesperis, in aliis enim horis hymni numquam variantur ut supra diximus. Hymni ergo qui inveniuntur in Psalterio ad Matutinum, ad Laudes et ad Vesperas, semper dicendi sunt in officio de Tempore, nisi alii hymni habeantur in Proprio de Tempore.

(686) ... *qui hymni de Psalterio in Dominicis et Feriis assignati dicuntur ab Octava Pentecostes usque ad Adventum (Dominica infra Octavam Corporis Christi excepta) et ab Octava Epiphaniae usque ad Dominicam Quadragesimae exclusive.* Officium de Tempore quod decurrit ab Octava Epiphaniae usque ad Quadragesimam, et a Dominica Trinitatis usque ad Adventum, dicitur *Officium per annum*; nihilque habet Proprium nisi lectiones, responsoria, antiphonas ad *Magnificat* et *Benedictus* et orationes (Dominicae Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae, feriaeque sequentes, quasdam habent antiphonas proprias). Ideoque in Officio per annum, hymni dicuntur prout ponuntur in Psalterio, cum sola exceptione Dominicae infra octavam Corporis Christi, cuius Officium sumitur ex die festo ipso.

(687) *In officio de Sanctis dicuntur ut in Communi Sanctorum nisi proprii habeantur.* Quod per se patet, non recurritur enim ad Commune nisi quando aliquid desit in proprio. Quoniam vero *officium proprium* pertinet ad festa solemniora,

Digitized by Google

raro ponuntur hymni in proprio Sanctorum; et ii qui habentur in festis S. Martinae, S. Hermenegildi, S. Venantii, S. Iulianae, S. Elisabeth, S. Theresiae, S. Ioannis Cantii, exceptiones potius dicendi sunt a devotione particulari Pontificum concedentium expetendae, nam S. R. C. (*10 Ianuarii 1597, n. 68*) declaravit: *Hymni proprii sine gravi causa non concedantur, sed adhibeantur de Communi* (V. in indice decret., p. 232). Quod tamen attinet ad hymnos Ss. VII Fundatorum et Ss. Cyrilli et Methodii ex necessitate induci debuerunt, deest enim commune plurimorum Confessorum.

(688) *Quando in aliquo festo adsint tres hymni proprii historici eiusdem metri* etc. Haec integra Rubrica usque ad sequentem N. 4, inducta est in novissima Rubricarum emendatione, nihilque est aliud, quam applicatio S. R. C. decreti n. 2319 (*ad Tit. XX*).

Notandum vero est, hanc novam Rubricam praescribere praedictam hymnorum commutationem quando hymni ipsi sint *historici*, et *eiusdem metri*; quae tamen conditiones procul dubio exigendae sunt quando hymni omissi coniungendi sint cum aliis ut infra dicetur; quando vero non *coniungendi* sint, sed tantum commutandi, tunc necesse non est ut sint historici et eiusdem metri. Ratio est quia S. R. C., suo decreto 29 Iuli, 1904, *Ord. Fr. Min. Prov. Angl.*, declaravit, partes Officiorum proprias, in casu impedimenti non esse omittendas, ita nempe ut in festo primis Vesperis carente, antiphonae in hisce Vesperis propriae ponendae sint in secundis Vesperis, omissis antiphonis quae secus ex Laudibus forent repetendae. Ergo et in casu in hac Rubrica praeviso; porro, si Hymnus proprius in I Vesperis impediatur, licet *non sit eiusdem metri* cum aliis qui in eodem Officio dicuntur, *neque historicus*, ad Matutinum erit ponendus, et hymnus Matutini ad Laudes.

Quod omnino hodie tenendum est, ex dispositione quoque alterius S. R. C. decreti d. d. 12 Martii 1905, *Congr. Eremit. Camaldul. Montis Coronae*, in quo ad V, disponitur: hymnos

Digitized by Google

proprios, deficientibus Vesperis, esse transponendos, licet in casu proposito non essent eiusdem metri. Agebatur enim de Officio Commemorationis Passionis D. N. I. C. in quo hymnus Vesperarum est Asclepiadaeus, Matutini Sapphicus, et Laudum Iambicus. Igitur hic locus Rubricarum novissime reformatus, hac lege nunc est intelligendus, ad tramitem decretorum 29 Iulii 1904, et 12 Martii 1905; et reapse in Rubricis specialibus propriis locis in Breviario inductae sunt opportunae emendationes.

Notandum tamen, pro festo S. Venantii, *ad litteram* huiusmodi legem non esse excipiendam. Audiantur, hac de re, *Ephemerides Liturgicae* (*An. XIX, p. 675*): « Auctores huius Rubricae », nempe Rubricae specialis in festo S. Venantii, « novissime in Breviarium Romanum invectae, nimium adhaeserunt Rubricis generalibus (*tit. 20, n. 3*), Hymnorum transpositionem in casu ordinantes, in quo potius eorumdem unio per exceptionem exigitur. Re sane vera, cum Hymnus Laudum inchoetur per verba: *Dum nocte pulsa lucifer - Diem propinquam nuntiat - Nobis refert Venantius - Lucis beatae munera*; hinc manifesto intenditur tempus aurorae, qua illucescente solebant olim Laudes persolvi. Hymni porro allusionem temporis, seu potius horae diei, continentes, qua partes divini Officii erant in primaeva Ecclesia consuetae recitari, nequeunt prorsus a respectiva hora canonica seiungi ad aliamque transferri, in qua nec realiter nec per fictionem iuris allusio temporis remaneat vera. Prouti namque ridiculum esset si Hymnus *En noctis medium, surgite propere* ad Matutinum in festo S. Gabrielis Arch. sub die 24 Martii, apud Breviarium Romano-Seraphicum appositus, diceretur in Laudibus aut Vesperis, ita incongruum pariter foret si Hymnus *Dum nocte pulsa lucifer* auroram respiciens, transferretur ad II Vesperas, in quibus vel de facto, vel per fictionem iuris non utique illucescere dies, at advesperascere, et sol in occasum vergere potius agnoscitur ».

Quibus de causis, praefata specialis Rubrica S. Venantii in pristinam formam reducenda est omnino, uti habetur in prima

Digitized by Google

editione typica Ratisbonensi, nempe: *Si hoc festum alia die celebrari contigerit, et in I Vesperis non sit faciendum a Capitulo, tunc sequens hymnus* Martyr Dei *dicendus erit ad Matutinum coniunctim cum alio hymno* Athleta Christi, *sub una conclusione* Sit laus Patri (1).

(689) *Si vero secundae Vesperae non sint de hoc festo tunc hymnus Vesperarum coniungitur cum hymno Matutini sub unica conclusione.* Quod cohaeret cum plurimis S. R. C. decretis et maxime cum decreto n. 3844[3], in quo declaratur: Hymnus Vesperarum coniungendus est cum altero ad Matutinum quoties eodem metro uterque gaudet, et secundus est continuatio primi. Ut autem coniunctio fieri valeat, oportet ut binae habeantur conditiones, nempe ut sint *historici*, et *eiusdem metri*; etenim sub diverso metro coniungi nequeunt hymni, diversam habentes in cantu melodiam. Quod si aliquando neque transpositio neque coniunctio hymnorum fieri possit, tunc iuxta mentem S. R. C. (*decr. 11 Dec. 1903, Congr. Erem. Camald. Montis Coronae* ad 2) ex hymnis propriis ille omittitur, qui est minoris momenti; quod etiam docuerat Cavalerius (*tit. 2, c. 39, d. 4, n. 5*).

(*Continuabitur*).

Doct. PETRUS PLACENZA.

(1) Ad rem bene notant citatae *Ephemerides Liturgicae*, hanc sententiam « non ex iis infirmari credimus, quae P. Aloysius de Carpo (in Compend. Bibliot. Liturg., p. 4, c. 6, art. 4, n. 113) ex Cavalerio in contrarium opinatur: quoniam ipse aliique minime attenderunt allusionem aurorae ad hymnum Laudum in festo ipsius S. Venantii Martyris contentam ».

Digitized by Google

# Quaestiones Liturgicae.

## De Anniversariis late sumptis.

**Quaestio.** – In annua Commemoratione omnium defunctorum alicuius Ordinis seu Congregationis, occurrente festo duplici minori, possuntne dici omnes Missae privatae de requie, praeter unam Conventualem de officio diei currentis, si in suffragium eorumdem defunctorum applicentur?

**Resp.** – S. Rituum Congregatio, die 5 Maii 1736, in una *Einsidlen., Alia dubia*, ad XI, declaravit: « Commemoratio omnium defunctorum (Ordinis Benedictini) non est transferenda, sed si die illa occurrat festum duplex minus seu translatum, fiet Officium de festo duplici cum Missa solemni post Tertiam ; Officium vero defunctorum recitandum erit post Laudes, et *omnes Missae privatae dicentur pro defunctis in paramentis nigris* ». Die autem 23 Maii 1846, in una *Tuden.* ad XVI, eadem S. R. Congregatio rescripsit, tale indultum non extendi ad omnes qualescumque Congregationes sive Confraternitates, sed *quibus indultum est*; illudque intelligendum esse solummodo de Missis, quae *applicantur in suffragium defunctorum ipsiusmet Congregationis, sive Confraternitatis.*

Praefata S. R. C. responsa e nova Decretorum collectione expuncta sunt; hinc hodie, in Anniversario omnium defunctorum alicuius Ordinis, secluso speciali indulto, ob occursum Festi Duplicis etiam minoris ac translati, *unica* Missa de Requie solemnis, vel cantata, vel Conventualis instar haberi permittitur. Pater quidem Aloisius A Carpo in Opere *Kalendarium Perpetuum*, inter Adnotationes in festa Decembris sub die 1 mensis, sic olim edocebat: « At ubi incidat vel reponendum sit Festum ritus duplicis minoris (in quo desit peculiaris solemnitas ut supra) Officium quidem, Missa solemnis et Absolutio Defunctorum persolvitur ut in Kalendario; sed aliae Missae dici nequeunt de Re-

Digitized by Google

quie, nisi applicentur pro illis Defunctis, quorum Commemoratio peragitur. S. R. C. 23 Maii 1846 in *Tuden.* ad 16 ».

Attamen, quum Dubium 16 cum suo responso e novissima Collectione expunctum fuerit, veluti ex Decreto illo sub num. 2915 ibidem asservato resultat; hinc Missae *strictim* privatae dici *amplius* nequeunt de Requie, etsi applicentur pro defunctis, quorum agitur Commemoratio. Re sane vera, Sacra Rituum Congregatio in Decreto sub num. 3753, de Anniversariis *stricte* et *late* sumptis agens, hanc Anniversariorum definitionem sub num. I exhibet: « Anniversaria, *seu* Missas *cum cantu* pro Defunctis ».

Insuper, uti ex innumeris Decretis in Indice authentico ad pag. 18–20 ac 294–298 in vol. V eruitur, si Missae privatae celebrari nequeunt de Requie etiam in die III, VII ac XXX et Anniversario stricte sumpto, iuxta praesertim Decreta sub num. 2482 ad 2. et 3753 § III, quamvis Anniversarium eiusmodi in Duplicibus etiam per annum maioribus indidem permittatur; multo minus legi queunt Missae strictim privatae de Requie in Anniversario, uti praesens aestimatur, late sumpto et in Duplicibus dumtaxat minoribus aperte per Decretum sub num. 3753, § V, fieri concesso.

Ast omnis evanescit controversia, si adeantur Rubricae generales Missalis Romani sub Tit. V, num. 3, novissime reformatae, ubi dicitur unica admitti Oratio ad Missas etiam privatas, quae *permittente ritu* in Anniversariis late sumptis celebrantur; unde *certo* eruitur, non iisdem iuribus ornari Missas privatas in Anniversario late sumpto, quibus Missa solemnis vel cantata vel Conventualis Defunctorum in eodem casu potitur.

Hinc apud Opus *Sacrae Liturgiae Compendium* a F. X. Coppin exaratum et a L. Stimmart correctum, sub num. 336 de Anniversariis late sumptis absolute sic traditur: « Ut Missa de *Requiem* in Anniversariis late sumptis dici valeat in Festis duplicibus minoribus, solemnis, aut saltem in cantu celebranda est. Missa lecta in Anniversario non permittitur, nisi ritus Officii currentis Missas quotidianas permittat ».

Digitized by Google

Consulto autem superius diximus, « In Missis *strictim* privatis »: quia si hodie Missa defunctorum, alicubi nequeat propter defectum cantorum aliasve ob causas in cantu quomodolibet celebrari; nihil prohibet, quominus una *saltem* Missa Defunctorum ac *praesertim* cum adsistentia Communitatis et ubi *maxime* Officium in Choro recitatum fuerit, sine cantu possit ac debeat haberi.

Si enim in eiusmodi circumstantiis, uti ex Decreto sub die 29 Iulii anni 1904 in una *Ordinis Fratrum Minorum Provinciae Angliae* ad 7 eruitur, ita Missa Defunctorum rationem Conventualis obtinet, ut vel ipsi Conventuali Missae de Officio currente sit praeferenda in Ecclesiis Officium divinum recitantibus, in quibus una tantum Missa valeat haberi; hinc, sicuti Missa diei currentis apud Regulares, iure consuetudinis aut eorum Constitutionum secluso, sine cantu *semper* celebrari potest, ita etiam sine cantu permittetur Missa Conventualis de Requie in casu *quidem* necessitatis legi, ubi maxime ipsi Conventuali de occurrente Officio iuxta Decretum illud sit praeferenda.

Alioquin, cum altera Missa Conventualis Feriarum maiorum vel Rogationum habetur, ipsa apud Regulares etiam omnes, quamquam Festis ritus duplicis occurrentibus, sine cantu post Nonam immo et sine Communitatis assistentia dici conceditur, uti ex Decretis sub num. 2514 ad 5, et 3757, § III, necnon 3069 ad 3, et 3924, *Dub. IX, Quaest. 1*, manifestius patet. Insuper, quamvis Missa votiva pro re gravi diebus ritus duplicis permissa non sit, nisi solemniter vel in cantu habeatur; nihilominus, non solum ex Decretis sub num. 3605, *Dub. I, II, III*, 3773 et 3792, *Dub. 1*, sed etiam e Constitutionibus generalibus Ordinis Fratrum Minorum ab Apostolica Sede per Decretum Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium sub die 10 et 15 Maii anno 1897 approbatis, aliquando sine cantu sic fieri ob necessitatis causam permittitur sub num. 414: « A Resurrectione Domini ad dieni usque electionis Ministri Generalis, qualibet Feria quinta, solemni Festo non impedita, in singulis Conventibus Missa de Spiritu

Digitized by Google

Sancto pro felici exitu electionum applicanda cantetur, vel si *hoc* fieri *nequeat*, *saltem* in eiusdem honorem *legatur*, a singulis vero Sacerdotibus eius Oratio dicatur ».

Attamen, si Missae strictim privatae defunctorum in Anniversariis prohibentur late sumptis, nihil obstare videtur, quominus plures hodie Missae utcumque cantatae defunctorum seu Conventuales pro eisdem applicandae celebrentur, prouti ex Decreto 3472 ad 2 merito deducitur, necnon satis etiam ex Decreto sub num. 3921 approbatur; quorum posterius, salvo meliori iudicio, si apud *Ephemerides Liturgicas*, Anno XIX sive 1905, ad pag. 112–113, etiam de Missa votiva solemni pro re gravi pluries eadem die apud unam eamdemque Ecclesiam iteranda congruenter accipitur; etiam paribus e causis de Missa defunctorum Conventuali vel quomodolibet cantata pluriesque rite repetenda non immerito forsan valet intelligi.

Ac demum, Anniversarium istud *late* sumptum fieri prohibetur in Duplicibus maioribus etiam translatis; perdurante Expositione Sanctissimi Sacramenti ob publicam causam etiam in Pyxide, e Decreto Sacrae Rituum Congregationis sub die 28 Aprilis 1902 in *Labacen.* ad 14, aliisque antiquioribus et maxime sub num. 3302 ad 2, et 2390 ad 4; necnon in Duplicibus minoribus feriationem (si fieri contingat) etiam reductam habentibus, vel maiori cum solemnitate ac pompa quam Anniversarium ipsum celebratis, uti e Rubricis peculiaribus Breviarii Romano-Seraphici sub num. 219–221 agnoscitur.

Fr. PASCHALIS BRUGNANI, O. F. M.
ex Acad. Liturg. Rom. Censoribus.

Digitized by Google

# Consultationes.

## I. — Dubiorum liturgicorum solutio.

E Civitate S.

**Dub.** – In Missa Rogationum, quae die 25 Aprilis atque triduo ante Ascensionis festum post processionem canitur in iis ecclesiis, ubi una tantum Missa celebratur, estne semper dicenda tertia oratio *Concede nos* post commemorationem occurrentis festi?

**Resp.** – Iuxta Decretum S. R. C., 23 Maii 1846, n. 2915 [2], et Rubricas generales Missalis Romani, tit. IX, n. 16, in Missa Rogationum post processionem canenda, ubi una tantum Missa cantatur vel adest solus Parochus, in festo S. Marci atque in triduo Rogationum, facienda est commemoratio festi occurrentis cum sola tertia oratione, quae secundo loco praescribitur in Missa Rogationum; sed si eo die occurrat festum *duplex* integrum Officium habens, ratione *duplicis* commemorati omittitur tertia oratio de Tempore (idest *Concede nos*, etc.), sicuti faciendum nunc est in Missa votiva, etiam *Vigiliae* respondente (S. R. C., 12 Maii 1905, ad II, apud *Ephem. Liturg.*, anni curr., pag. 193). Hoc igitur sensu emendanda sunt quae leguntur in Decretorum Indice (pagg. 274 et 299).

E Verona.

**Dub. 1.** – In Missa votiva solemni de festo transferendo, si in Dominica celebretur ubi non adsit obligatio Missae conventualis, estne addenda commemoratio eiusdem Dominicae cum eius Evangelio in fine, uti docet cl. De A. auctor cuiusdam caeremonialis (vol. II, pag. 80)?

**Resp.** – *Negative.* Missa votiva de festo transferendo, quae ratione tituli vel concursus permittitur iuxta Rubricas Missalis

Digitized by Google

(tit. VI) in ipso die festivitatis impeditae, cantanda est eodem prorsus modo quo canitur Missa votiva solemnis *pro re gravi* (cfr. Decr. S. R. C., n. 3922, § II); scilicet in ea Missa, « *unica* dicenda est oratio, etsi una tantum cantetur Missa, ut accidit in ecclesiis, ubi onus Missae conventualis non existit ».

Quod enim in Missa de festo transferendo unica dicenda sit oratio, quamvis nulla alia Missa cantetur, aperte constat ex Decretis S. R. C., n. 2392[1], 2417[7] et 3365[4]; cum autem, iuxta Decreta, in Missa de festo transferendo omittenda sit etiam commemoratio Dominicae vel Feriae maioris, etsi unica tantum Missa cantetur (S. R. C., n. 2417[7] et 3352[6]), satis patet, in fine eiusdem Missae semper legendum esse Evangelium S. Ioannis « *In principio* ». Cfr. De Herdt, *S. Liturg. Prax.*, tom. I, n. 69.

Quare, si v. gr. solemnitas SS.mi Rosarii B. M. V. (Dom. I Octobris) occurrat die 4 Octobris cum festo S. Francisci Assisiensis, quod sub ritu dupl. 1 cl. cum octava in omnibus Fratrum Minorum ecclesiis celebratur, in Missa votiva solemni de festo SS.mi Rosarii transferendo, quae ratione concursus populi cani potest iuxta Rubricas etiam in ecclesiis Fr. Minorum (S. R. C., 6 Maii 1904, *Utinen.*), unica tantum dicetur oratio, exclusa etiam commemoratione Dominicae, omissoque proinde huius Evangelio in fine.

Neque ullo modo obstat generale Decretum S. R. C., 2 Dec. 1891, n. 3754[2], quo statuitur, ut in Missa de solemnitate in proximiorem Dominicam translata, « ubi non adsit Missae conventualis obligatio, addatur sola commemoratio Dominicae sub distincta conclusione, eiusque Evangelium in fine ». In hoc enim Decreto non agitur de Missa votiva *festi transferendi*, quae canitur *in die propria* festivitatis impeditae, sed agitur de Missa votiva *solemnitatis translatae*, quae ex indulto cantatur in proximiori Dominica non impedita, seu *in die non propria.*

Item nequaquam obstat Decretum S. R. C., 18 Maii 1883, n. 3574[5], quod agit de Missa votiva *SS.mi Sacramenti* pro solemni eiusdem expositione ac repositione.

Digitized by Google

**Dub. 2.** – In Missis votivis *privatis*, quae ex privilegio conceduntur simul cum solemni Missa de translata solemnitate, v. gr. SS.mi Cordis Iesu vel S. Aloisii Gonzagae (cfr. Decr. S. R. C., n. 3960 et 3918), nec non in Missis quae permittuntur in solemniis, sive triduanis pro recenter beatificatis, sive octiduanis pro recenter canonizatis (cfr. *Ephem. Liturg.*, vol. XV, pag. 272), praeter commemorationem Officii diei, estne addenda tertia oratio de tempore, si ritus diei non sit duplex, neque alia commemoratio occurrat?

**Resp.** – *Affirmative*; Missae enim in casu sunt vere *votivae*, in quibus tres saltem orationes dicendae sunt (Rubr. Miss., tit. IX, n. 14), nisi aliter ex indulto constet, aut nisi commemoretur Duplex eo die integrum Officium ac Missam habens (cfr. *Ephem. Liturg.*, vol. XVIII, pag. 548, et ann. curr., pag. 193). Addimus autem, praefatas Missas *lectas* de translata solemnitate celebrandas esse sine *Gloria*, sine *Credo* et cum Evangelio S. Ioannis in fine, etiamsi ex privilegio celebrentur in Dominicis ac festis Duplicibus (S. R. C., n. 3922, § III, IV et V); quae vero dicta sunt in his *Ephem. Liturg.*, vol. XVIII, pag. 548, quoad *Gloria* et *Credo*, intelligantur de sola Missa solemni, utpote magis privilegiata iuxta Decretum 3960.

## II. — Breviora responsa.

### Pro Dioecesi Namurcensi.

Concurrente Officio votivo Immaculatae Conceptionis B. M. V. cum primis Vesperis alicuius Dominicae Quadragesimae, tam in hymno Vesperarum *Audi, benigne Conditor*, quam in hymno Completorii, dicitur doxologia *Iesu, tibi sit gloria*, iuxta Decretum S. R. C., n. 3735 ad II (cfr. *Ephem. Liturg.*, ann. curr., pag. 44).

### Pro Augusta Taurinorum.

1. Missa conventualis celebranda est Horis a Rubrica statutis (S. R. C., 27 Iun. 1896, n. 3919, ad XX); ideo Missa con-

Digitized by Google

ventualis de feria Rogationum aut de Commemoratione omnium fidelium defunctorum dicenda est *post Nonam*, haud obstante contraria consuetudine. Cfr. Rubr. Miss., tit. III, n. 1, et tit. XV, n. 3; S. R. C., 16 Mart. 1591, n. 9 ad 10, 18 Iun. 1689, n. 1812, et 22 Ian. 1701, n. 2067 ad 1 et 2.

2. Ad Rogationum Missam quod attinet, Regulares ad eam celebrandam tenentur, si publica supplicatio locum habeat; si vero processio non peragatur, Missa conventualis de feria Rogationum, occurrente festo duplici aut semiduplici, Regularibus non est vetita, dummodo post Nonam celebretur. Cfr. Decr. generale S. R. C., 2 Dec. 1891, n. 3757.

### Pro Hispania.

1. Canonici aut Beneficiati pluvialibus induti, qui in Vesperis vel Laudibus solemnibus alicubi ex consuetudine vel privilegio cannas argenteas deferunt, tenentur, sicut ceteri, genuflectere initio hymnorum *Veni, creator* et *Ave, maris stella*, ad antiphonam finalem B. M. V. et in aliis quibuslibet casibus, in quibus Chorus genuflectere debet. Delatio enim cannae argentae a genuflexione non excusat. Nonne in Sabbato sancto ter genuflectit Diaconus arundinem deferens, dum cantat *Lumen Christi*?

2. Praeter organum, nulla alia instrumenta musicalia in ecclesia adhibeantur, nisi *de consensu Episcopi*, servatisque tutelis servandis. Cfr. Caerem. Episc., lib. I, cap. XXVIII, n. 11, et Motu-proprio Pii PP. X, d. 22 Nov. 1903, art. 15, apud *Ephem. Liturg.*, vol. XVIII, pag. 143.

Digitized by Google

# Palaestra liturgica.

## SOLUTIO QUAESTIONIS pro mense Novembri 1905 propositae.

### De Officiis ad libitum.

**Quaestio.** – Aloisius, pius Sacerdos, cum nullo canonico titulo ad Chorum teneatur, tam die 19ª Ianuarii quam die 1ª Octobris, loco Officiorum S. Canuti Regis ac S. Remigii Episcopi, quae sunt semiduplicia *ad libitum*, privatim recitare solet vel Officium votivum per annum, vel Officium festi simplicis occurrentis, vel Officium S. Aloisii Gonzagae, erga quem devotionem specialem habet. Quid dicendum?

**Solutio.** – Satis confusa est apud rerum liturgicarum scriptores controversia de celebratione officiorum *ad libitum*, ideoque non absque utilitate erit campum perfecte delineare, in quo se debeant exercere nostrae investigationes, si nolumus in eumdem incidere errorem.

Primo, praefatus Aloisius Sacerdos supponitur Breviarium suum *privatim* recitare; si enim aliter Choro adstringeretur, unum corpus cum eo efformaret, et ratione uniformitatis, nullum aliud Officium quam chorale dicere valeret (S. R. C., n. 110 ad 5, et n. 2388 ad 7).

Secundo, in casu tam die 19 Ianuarii quam die 1 Octobris incidere non censetur aliquod Officium; quod recitationem occurrentis festi *ad libitum* repellat; ubi enim festum *ad libitum* celebrari nequit, nec aliud eius loco subrogari potest, teste valde trito iuris axiomate: « *accessorium naturam sequi congruit principalis* ».

Hinc supponimus, hac die non simul occurrere: 1° Dominicam (S. R. C., 24 Ianuarii 1682, n. 1685), etiam solummodo anticipatam iuxta Rubricas (S. R. C., 4 Aprilis 1705, n. 2152,



Digitized by Google

ad 5; 29 Maii 1885, n. 3636, ad I); 2° Diem octavam aut infra Octavam qualemcumque, uti legere est in decreto *de Sanctis ad libitum* initio Breviarii, et in aliis decretis, 30 Maii 1699, n. 2030, ad 4, et 15 Dec. 1899, n. 4051, ad IV; 3° Nullum festum novem lectionum praeceptivum, etiamsi Officia *ad libitum* simul incidentia gradu nobiliori gauderent (S. R. C., 24 Ianuarii 1682, n. 1685). In omnibus enim his casibus, dies non sunt liberi, et si ipsamet Officia *de praecepto*, diebus impeditis, recitari nequeunt, a fortiori Officia *ad libitum*, si occurrat impedimentum, recitari nec posse nemo mirabitur.

Tertio, si adveniente die 19 Ianuarii vel die 1 Octobris, aliquod existit festum reponendum, non una est solutio, et distinguimus. Si adest alia dies vacua ante finem anni pro eius repositione, S. R. C. declarat liberum fore Officia *ad libitum* recitare, et festum translatum ulterius reponere (S. R. C., 24 Ianuarii 1682, n. 1685), quia supradicta Officia *ad libitum*, sane in casu, efformare queunt *impedimentum permittens*, ut in suis diebus non reponatur festum transferendum, sed tamen non constituunt *impedimentum prohibens*, ne in eisdem reponatur. E contra, si per totum anni circulum nulla superesset dies libera pro ulteriore repositione, tunc necessario festum reponendum evadit prorsus impedimentum prohibens relate ad Officia *ad libitum*, et non tantum probabiliter, ut minus recte autumant Tetamus et Gardellini (cfr. Victorius ab Appeltern, *Manuale Liturg.*, tom. II, pag. 85). Aliter praefatum decretum locutum non fuisset de translatione ulteriore, si eam rigorose non reservasset in casu recitationis Officii *ad libitum*; sed plane statuisset liberam eius recitationem, *quamvis translatum non ulterius reponi valeret.*

Si iam ceterum omitti debet Officium *ad libitum*, ne aliquod festum praeceptivum ibi occurrens subeat simplex incommodum amotionis e sua die propria (alia enim die integre resumeretur): quanto magis in casu omitti debet, quando aliter festum reponendum non haberet quo in posterum transferatur? Namque in hypothesi, festum hoc, nedum celebretur integre iuxta ius litur-

Digitized by Google

gicum, solummodo commemoraretur, et ita de sua nobiliori conditione decideret prae Officio *ad libitum*, cuius recitatio tamen nullo modo obligat (cfr. Cavalieri, tom. II, cap. XXII, dec. II, n. 10 et 11).

Quarto, omni huiuscemodi obice seposito seu potius deficiente, Officia *ad libitum* adeo relinquuntur ad discretionem Sacerdotis, ut ea pro libito vel semper recolere vel semper omittere queat. Quemadmodum enim Officia *de praecepto* ea sunt, quorum celebratio absolute imponitur facienda, ita Officia *ad libitum* ea sunt, quorum celebratio, sicut et omissio, tota in Cleri arbitrio sita est, et ideo electio unius potius quam alterius prorsus remittitur in manu sui consilii. Priora cogunt ad recitationem, quatenus praeceptiva; posteriora autem nec imperant nec prohibent, sed Sacerdotem liberum ponunt eligendi quod libuerit inter eorum praeteritionem vel recitationem (cfr. Cavalieri, tom. II, cap. XXII, dec. I, n. 1). Hinc De Herdt aliique inconcinne locuti sunt, declarantes, Officium *ad libitum* non illud esse quod *semper* recitari vel omitti pro libito valet, sed quod *in aliquo tantum casu* omitti vel recitari potest; propterea illi non sunt amplius audiendi (cfr. *Ephem. Liturg.*, ann. 1898, pag. 624); diebus enim liberis, Sacerdos habet plenam optionem.

His vero sedulo contemplatis, quodnam Officium, quaeso, subrogari poterit Officiis semiduplicibus ad libitum, S. Canuti et S. Remigii, et eorum loco recitari, si Sacerdos utens iure suo voluerit ea omittere? En vera quaestio, quam nunc solvere gradatim aggredimur, et cui per partes responsuri sumus.

1ª *Pars*: existente aliqua translatione festi impediti facienda, si non recitetur Officium *ad libitum*, iam nullum aliud Officium substitui potest praeter reponendum, quamvis hoc ultimum valeat ulterius transferri ad aliam diem non impeditam. Audi, verbi gratia, decretoria S. R. Congregationis verba. Facta declaratione quod liberum erit Officia *ad libitum* recitare, et Officium translatum ulterius ad aliam diem non impeditam reponere, statim pergit dicta Congregatio: Officium vero votivum *in casu* omitti

Digitized by Google

debet (S. R. C., 24 Ianuarii 1682, n. 1685; Index decretorum, pag. 334, col. 2). Et quidem sapienter: quia, omisso, ut fert hypothesis, Officio *ad libitum*, iam dies 19 Ianuarii vel 1 Octobris, non amplius continet nisi S. Marium etc., simplex, et S. Remigium, simplex de praecepto, ideoque statim evadit prima dies libera pro repositione festi antecenter impediti, et cito ruit tam pro simplice occurrente quam pro quocumque Officio votivo possibilitas habendi, loco eius, suam celebrationem.

Hinc mihi errasse videtur cl. Benini, qui anno 1898 (*Ephem. Liturg.*, vol. XII, pag. 626) erroneam habebat novam supradicti decreti redactionem. Quid enim docebat antiquum decretum? Liberum faciebat recitare Officium *ad libitum*, transferendo ulterius festum antecedenter impeditum, prout eamdem dabat facultatem, omittendo Officium votivum illa die concessum. Quid autem autumat novum decretum? Haud valde utile reputans ultimam conservare declarationem, quae iam legitur initio Breviarii, illam suppressit tanquam satis notam; et ad enodandam difficultatem prioris casus adhuc insolutam, si omittatur Officium *ad libitum*, S. Congregatio decrevit *in casu* Officium votivum recitari non posse loco Officii ad libitum, seu omitti debere. Ex quibus aperte resultat doctrinam antiqui decreti non mutatam fuisse, sed potius factam esse magis completam.

2ª *Pars*: nulla existente translatione festi facienda, certe Officium votivum per annum aut semel per mensem vel hebdomadam concessum recitari potest, si placet, prae Officio *ad libitum*, quod in casu absolute omittitur. Percurre decretum *pro Sanctis ad libitum*, initio Breviarii positum, et scies *permitti* (non imperari), ut omitti *possit* (non debeat) Officium votivum, ut ita locus sit celebrando Officio *ad libitum*: unde res arbitrio Cleri relinquitur. Recentius postulatum est: « Num omitti possit Officium *ad libitum*, ut recitetur Officium votivum semel in mense concessum? Et quatenus affirmative, num Officium *ad libitum* omissum transferri valeat in aliam diem? » Et responsio fuit: « *Affirmative*, ad primam partem; *Negative*, ad secundam (S. R. C.,

Digitized by Google

8 Maii 1896, n. 3899, ad II) ». Decretum autem diei 18 Iulii 1884, n. 5914[2] vet. coll., quo contrarium declaratum erat, e nova decretorum collectione expunctum est. Unde facultas dicendi unum pro altero non est ullo modo dubia.

An vero pariter, loco Officii *ad libitum* vel votivi, recitare possit Aloisius Sacerdos Officium simplex Ss. Marii et Soc. Mm., aut Officium S. Remigii Ep., simplex de praecepto? Oportet distinguere. Si agatur de Officiis votivis *per annum* a fel. rec. Leone PP. XIII concessis die 5 Iulii 1883, n. 3581, ad I, ii qui nullo canonico titulo ad Chorum tenentur, pro libito queunt eligere inter Officium votivum per annum et simplex occurrens (S. R. C., 10 Nov. 1883, n. 3596, ad I; 24 Nov. 1883, n. 3597, ad III); et quoniam non plus est obligatio celebrandi hoc votivum quam omne huiusmodi aliud prae Sanctis *ad libitum* (S. R. C., 24 Nov. 1883, n. 3597, ad I), hinc omnino adest perfecta libertas. Si vero agitur de Officiis votivis, quae antea fuerint *ex speciali privilegio* alicui dioecesi concessa et ab Ordinario imperata, nulla datur optio inter votivum et feriale Officium vel simplicis (S. R. C., 24 Nov. 1883, n. 3597, ad I et III); sed qui omittit Officii *ad libitum* celebrationem, necessario celebrare debet Officium votivum semel per mensem vel hebdomadam concessum (S. R. C., 5 Iulii 1883, n. 3581, ad I; 19 Sept. 1883, n. 3594, ad I). Attamen, si Ordinarius liberum suis subditis relinquat, Officium diei currentis aut Officium votivum semel in mense vel hebdomada concessum persolvere, hoc in casu privata recitatio eiusdem Officii votivi est *ad libitum singulorum* (S. R. C., 17 Iun. 1679, n. 1632, et 31 Iul. 1905, apud *Ephem. Liturg.*, vol. XIX, pag. 578). Cfr. etiam *Ephem. Liturg.*, vol. VI, pag. 50, vol. XVI, pag. 328, et vol. XVII, pag. 281.

Restat Officium S. Aloisii Gonzagae, erga quem Sacerdos in casu specialem habet devotionem, et quaeritur, an illud subrogari possit Officio Sancti *ad libitum*? Responsio facilis est, quia decretum S. R. C., diei 13 Februarii 1666, n. 1334, ad I, expresse dicit: « Non est relinquendum Officium Breviarii pro Of-

Digitized by Google

ficio devotionis ». Cfr. Guyetus, lib. I, cap. 12, q. 7, et Cavalieri, tom. II, cap. 41, d. 6.

Hinc concludimus: Qui non celebrat festum S. Canuti vel S. Remigii, quod est semiduplex ad libitum, facultatem habet recitandi eius loco Officium votivum, nisi simul adsit aliquod Officium reponendum; potest etiam sub eadem conditione praeferre recitationem Officii Simplicis occurrentis prae Officio votivo, si agatur de Officiis votivis a Leone PP. XIII concessis; sed prorsus ei interdicitur recitatio cuiuscumque Officii devotionis prae Officio Breviarii.

A. FOURNERET
ex Acad. Liturg. Rom. Censoribus.

## QUAESTIO A CONSOCIATIS SOLVENDA pro mense Iulio 1906.

### De occurrentia festorum.

Si duo festa eiusdem ritus ac dignitatis, alterum universale, alterum particulare, simul perpetuo occurrant in eamdem diem similiter propriam, estne praeferendum festum universalis Ecclesiae, iuxta Decretum S. R. C., n. 2682 ad 37? An potius praecedentia competit semper festo particulari, iuxta Decreta S. R. C., n. 1663 ad 1, n. 2319, rel. dub. ad 1, et n. 2598 ad 1?

Digitized by Google

# Ius Liturgicum.

(*Continuatio*. V. num. 2, anni curr., pagg. 112–122).

## CAPUT II.

## De historica S. Liturgiae evolutione.

### ARTICULUS I. — Sacrae Liturgiae origo.

#### XXII. *Christus Liturgiae Sacrae auctor.*

136. Ante omnes Liturgiarum distinctiones, quibus potius vicissitudines unius Liturgiae reipsa designantur, stat Liturgia a Christo Domino instituta.

137. Christus, qui non venit solvere legem, sed adimplere, antiquatis veteribus caeremoniis sufficere debuit novam Liturgiam, ut homines adorarent Patrem *in spiritu et veritate*, ac simul colligerentur caritatis vinculo, unde fieret unum ovile sub uno Pastore.

#### XXIII. *Sacra Liturgia Ecclesiae credita potestati.*

138. Noluit tamen, ut fecerat Deus sub veteri lege, singulas directe praecipere caeremonias, sed, novo creato Sacrificio eucharistico cum ceteris Sacramentis, haec Ecclesiae suae Sponsae concredidit, tribuens ei potestatem legislativam, qua, salvo eorumdem Sacramentorum numero et essentialibus constituentibus, nempe elemento et verbo, seu materia et forma, « ea statueret, vel mutaret quae suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire iudicaret (Concil. Trid., sess. XXI, cap. II) ».

139. Supponunt plures, inter quos Zaccaria et Guéranger, Christum, quadraginta diebus, quibus post Resurrectionem suam

Digitized by Google

inter homines conversatus est, alias instituisse caeremonias, iuxta illud S. Leonis: « Magna confirmata Sacramenta, magna sunt revelata mysteria (Serm. LXXV, 2) ».

140. At id non videtur verisimile; si enim, circa graviores partes disciplinae, noluit Christus statuere leges, quomodo diceretur, sollicitus fuisse de ceteris minoris momenti rebus? Gravissima v. gr. praevideri debuerat, quae reipsa, haud multo post tempore, locum habuit, quaestio, an novae doctrinae sectatores tenerentur legibus caeremonialibus mosaicis. Et tamen Christus id non declaravit; unde Apostoli, in Concilium congregati, responsum dederunt, non iuxta instructiones Magistri, quas non habuerant, sed hac usi formula: *Visum est Spiritui Sancto et nobis.* Ex quo inferre datur, Christum noluisse directe plura praecipere et instituere, quae Apostoli eorumque Successores facturi erant, ex concessa auctoritate. Ceterum nihil, seu ex Scriptura seu ex Patribus, inferri potest ad praefatam opinionem tuendam.

### XXIV. *Christi Domini exempla in plurimis liturgicis actibus secuta est Ecclesia.*

141. Plures autem ecclesiasticae institutiones, quae ab exemplis Domini originem duxerunt, non sunt dicendae ab illo praeceptae, sed tantum commendatae, et indirecte propositae, ut v. gr. ieiunium, ratio orandi, signa quaedam et verba, potissimum in miraculis patrandis, adhibita.

### XXV. *Statim Apostoli delegatam a Christo exercuerunt liturgicam potestatem.*

142. Nulla mora interiecta, exercuerunt Apostoli delegatam a Christo potestatem in S. Liturgiam. Unde, Sacra Scriptura teste, instituerunt ipsi plura, quae ad Eucharistiam referuntur, uti: lectionem Scripturarum, preces impetratorias et eucharisticas, cantum psalmorum, osculum pacis, oblationem donorum ad agapen et ad pauperum substentationem...

Digitized by Google

143. Alia insuper a traditione habentur tamquam ab Apostolis instituta, eo quod et generalia sunt, et eorum ignoratur auctor et initium.

### XXVI. *Apostolorum Successores eamdem semper potestatem exercuerunt.*

144. Eadem, temporis progressu, usi sunt auctoritate Successores Apostolorum, nempe Summi Pontifices et Episcopi, sive singulatim, sive in Conciliis, ut plura statuerent circa liturgicam disciplinam, iuxta diversa temporum et locorum adiuncta.

145. Hinc patet, catholicam Liturgiam esse partim *divinae* institutionis, partim *apostolicae*, partim *ecclesiasticae*.

## ARTICULUS II. — Sacrae Liturgiae progressus.

### XXVII. *S. Liturgiae forma ab Apostolis primitus introducta est.*

146. Quamvis, ut diximus, primus catholicae Liturgiae institutor, quoad substantiam, fuerit Christus Dominus, rem ex parte formae considerantes, asserere possumus, Apostolos fuisse illius conditores. Ipsi sane ducuerunt Ecclesiam, practicam rationem Sacrificium litandi et Sacramenta administrandi, iuxta mentem ipsius Christi.

147. Et sane, quae ad divinas institutiones pertinent, nobis innotuere vel per Sacram Scripturam (et in casu nostro per Evangelia), vel per Traditionem. Nunc affirmare nequimus, per Sacram Scripturam didicisse nos Liturgiam divini Sacrificii et aliorum Sacramentorum; ergo restat, id nos didicisse per Traditionem.

148. Cuique namque paginas volventi quatuor Evangeliorum, manifestum fit, nec de sublimioribus Sacramentis, ac proinde dignioribus peculiaris memoriae, enarrari institutionem et ea conficiendi rationem, sed haec referri tantum historice et ad modum imperii, ut sic facerent sacrorum ministri, ut viderant, supponendo alia permulta, aliunde vel nota vel discenda.

Digitized by Google

149. Et re quidem vera, de divino *Eucharistiae* Sacramento et Sacrificio, hoc habemus: narrationem historicam Christi peragentis, et illius iussionem Apostolis, ut facerent similiter. De Sacramento *Baptismi*: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* De *Poenitentiae* Sacramento: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* De ceteris Sacramentis, ne verbum quidem: apparent, aut ab eorum per Apostolos collatione, uti *Confirmatio* et *Ordo*; aut a modo loquendi ipsorum Apostolorum, uti *Extrema Unctio* et *Matrimonium.*

150. Unde datur concludere, opus nobis esse, recurrere ad infallibile Ecclesiae magisterium, ut probetur divina institutio septem Sacramentorum.

151. Quid ergo dicendum de modo ea conferendi, qui particularia minutiora requirit? Restat ut fundetur principaliter super viva traditione ab Apostolis inchoata.

152. Unde habemus traditionem *divino-apostolicam* respicientem veritates et institutiones, quarum Apostoli erant Promulgatores simpliciter; et traditionem tantum *Apostolicam*, respicientem praecepta et consuetudines, quarum Apostoli poterant esse auctores.

153. Hinc optime Angelicus: « Quae sunt de necessitate Sacramenti, ab ipso Christo instituta sunt, qui est Deus et homo. Et licet non sint omnia tradita in Scripturis, habet tamen ea Ecclesia ex familiari Apostolorum traditione (3 p. q. 64, 11) ».

154. His tandem quamdam sanctionem ponit *Tridentina Synodus*, dicens: « Pia Mater Ecclesia . . . caeremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex Apostolica disciplina et traditione (Sess. XXII, V) ».

XXVIII. *Perennis post Apostolos S. Liturgiae amplificatio.*

155. Sed et post Apostolos continuatum est, ut diximus, legislativae potestatis exercitium quoad Liturgiam. Hinc formularium Missae, Sacramentorum, et divinae psalmodiae, pinguiori

Digitized by Google

apparatu caeremoniarum, vestium aliorumque ornamentorum. Hinc linguarum et rituum diversitas. Hinc graduatus Liturgiae progressus.

156. Videtur se habere S. Liturgia ad modum sphaerae gradatim succrescentis, cuius centrum est Christus seu Sacramentum Corporis et Sanguinis Eius, circa quod paullatim superaddita liturgica moles, quam hodie videmus.

157. Primordialis forma est illa, qua usus est ipse Christus.

158. Succedit forma ab Apostolis adhibita, quae, iuxta divum Gregorium, non alia fuit (per septem fortasse priores annos) quam formula narrativa institutionis eucharistici Sacrificii et Sacramenti, addita, seu praemissa *Oratione dominica*: « Mos Apostolorum fuit, ait praefatus Doctor, ut ad ipsam solummodo Orationem (dominicam) oblationis hostiam consecrarent ».

159. Hanc formam excepit illa, quae locum habuit non amplius post preces eucharisticas domestici convivii, uti mos fuit, quasi earum appendix; sed in christianis *Synaxibus*, cum coeptum est fideles colligere ad legendos libros scripturales, ad canendos psalmos et hymnos.

160. Post domestica convivia inventae sunt Agapes, quibus panis vinumque afferebatur ad Sacrificium et ad caritatem.

161. Exinde addita solemnis *Prex eucharistica*, a graecis etiam nunc ἀναφορά dicta, quae videtur fuisse tamquam fidei texera (cfr. Probst), tamquam hymnus glorificationis et gratiarum actionis in SS.mam Trinitatem, pro benefactis creationis, redemptionis, sanctificationis, resurrectionis. Ad haec *Magna Intercessio*, seu *Commemoratio Communionis Sanctorum: Exomologesis: Fractio: Communio:* Ἀλλίασις, illa nempe laetitiae manifestatio, quae videbatur quasi mentis excessus.

162. Adolescit, ut ita dicam, Liturgia, et distinguitur Synaxis in *Missam Catechumenorum* et *Missam Fidelium*; adduntur *lectiones, instructiones, preces, thurificationes*, etc.; fit *Missa privata, Missa ad Corpus, Missa solemnis, legitima, generalis, publica, maior.*

Digitized by Google

163. Progreditur, dum labitur aetas, liturgicus apparatus; circumdatur varietate, ornatur monilibus pretiosis Christi Sponsa, dum illam aemulatur, quae sursum est, *Urbem Caelestem Ierusalem.*

164. « *Manente*, igitur, ait Tertullianus (*de Veland. Virg.*), lege fidei, quae una omnino est, sola, immobilis et irreformabilis, cetera ad disciplinae rationem admittunt novitatem, operante scilicet et proficiente usque in finem gratia Dei ».

## XXIX. *Utilitas studiorum circa amplificationes et varietatem S. Liturgiae.*

165. Haec vix praelibata, cupidiores nos reddunt, puto, discendi, cum rationes liturgicarum additionum, vicissitudinum, diversitatum, tum notitias locorum et temporum, quibus illae introductae fuerunt.

166. Huiusmodi studium, cui vacare inversam percurrendo viam oporteret, profecto ostenderet, quomodo varietas tot rituum, paullatim, retrogradiendo, evanescens, aditum aperiat, ad concludendum, quod, sicut Apostoli, ob primatus rationem, in Petrum unificantur, ita variae Liturgiae ad unicam primitivam reduci possunt formam, quae alia non est, nisi romana; quae enim apparent, differentiae ex hoc genitae dignoscerentur, quod, anteactis saeculis, difficilius, quae inducebantur, modalitates cunctis cito innotescerent Ecclesiis, quae ceterum semper minime illas cogebantur recipere. Unde plures Liturgiae diversos quosdam ritus diu servarunt et servant, a romana vel reformatos vel totaliter abolitos. Quia, si agebatur de gravioribus quaestionibus, tum Roma loquebatur, et causa componebatur, sicut novimus factum esse de quaestione diei paschalis uniformiter celebrandi, et commixtionis aquae cum vino in Sacrificio. Si vero de minoris momenti quaestionibus, modus inductus silentio firmabatur. Rebus tandem semel pro semper compositis, quod Roma probaverat non amplius renovatum est.

167. Hinc ritibus diversis inter se collatis, habita temporum et locorum ratione, ad conclusionem venire daretur, unam esse

Digitized by Google

substantialiter Liturgiam catholicam, illam nempe quam Petrus Romae fundaverat, ex qua ceterae formae promanarunt, quae, illius tamquam filiae, matris typum praeseferunt.

168. Hoc studium tamen per vias nos duceret, quae longe nimis a meta signata aberrare facerent; non enim agendum nobis ex professo est de historia Liturgiae, sed de eius substantia. Satis erit idcirco hac de re pauca, data occasione, pertingere quanta videlicet necessitas postulabit.

## ARTICULUS III. — De S. Liturgiae fontibus.

### XXX. *Quinam sint S. Liturgiae fontes.*

169. Sub nomine fontium S. Liturgiae intelligimus liturgicos Codices, e quibus ea omnia, quae ad illam pertinent, nobis innotescunt.

### XXXI. *Fontes vivi et fontes exhausti, eorumque natura.*

170. Distinguentes vigentem Liturgiam ab antiqua, fontes quoque, ut ita dicam, vivos recensebimus, et iam exhaustos recolemus; illos tamen tanquam oculo volentis suae utilitati directe prospicere, hos autem oculo tantum archaeologi et historici, qui indirecte, sed adhuc maximum e suis elucubrationibus emolumentum expectant.

171. Fontes praedicti eius sunt naturae, ut hodierni sint veri Codices, ad hoc exarati, ut, sacros ritus exponentes, ad normam adhibeantur in divini cultus exercitio; de antiquis vero non est par ratio, ex illis enim, qui recentiori exarati sunt aetate, tamquam veri Codices liturgici habentur, in Missis aliisque actibus cultus olim adhibiti, qui autem vetustioris sunt aetatis, praeseferunt quidem formam tunc adhibitam in divinis, sed non tamquam ad cultus exercitium destinati, verum tamquam traditionis organa, aut monumenta.

(*Continuabitur*). Ios. M.

Digitized by Google

# Appendix.

## S. CONGREGATIO INDICIS

### DECRETUM
### Quo damnantur quaedam opera a Viollet, Laberthonnière et Fogazzaro edita.

*Feria V, die 5 Aprilis 1906.*

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 5 Aprilis 1906, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, atque in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur opera:

Paul Viollet, *L'Infaillibilité du Pape et le Syllabus.* Etude historique et théologique. Besançon-Paris, 1904.

L. Laberthonnière, *Essais de Philosophie religieuse.* Paris, s. d.

— *Le Réalisme chrétien et l'Idéalisme grec.* Paris, s. d.

Antonio Fogazzaro, *Il Santo.* Romanzo. Milano, 1905.

Nicolaus Iozzelli decreto S. Congregationis, edito die 12 Decembris 1905, quo liber ab eo conscriptus, notatus et in Indicem librorum prohibitorum insertus est, laudabiliter se subiecit.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per me infrascriptum Secretarium relatis, Sanctitas Sua decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 5 Aprilis 1906.

L. ✠ S.

ANDREAS Card. STEINHUBER, *Praefectus.*
Fr. Thomas Esser, *Ord. Praed., a Secretis.*

Digitized by Google

# Bibliographia.

## Opera ad nostram Directionem transmissa.

ROMERO P., **Prodromus ad Ius canonicum universum**, seu Prolegomena Iuris canonici hodierni academiarum moribus accommodata, ad tyronum usum ecclesiasticorum vel in scientiae viridario tridentino iuvenum degentium. — Romae, Desclée, Lefebvre et Soc., 1905. Un. vol. in-8, pag. 332, L. 5.

Elementa Iuris canonici, ut praecise ac rapido intuitu exponerentur, molem requirere viderentur profecto non parvam; sed Auctor noster, tum ordinata et clara exponendi methodo, tum aptissima typographica dispositione, minimam assecutus est. Cui lecta potenter est res, etiamsi facundiam deserat, paucis lectorum seu auditorum mentem devincit et complet.

Prodromus nuncupatur, sed breviter totam amplectitur Iuris canonici materiam, a Prolegomenis ad Praxim Romanarum Congregationum.

Sequitur prospectus principalium *Regularum Iuris*, et triplex Appendix, in qua agitur *De doctorali et magistrali*, *De iure liturgico ex consuetudine deducto*, de instructionibus pro Curia ecclesiastica circa modum procedendi *in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum*.

Marginales notae summarie rem indicant, quam absque labore unusquisque, uno icto oculi, inveniet.

CAVAGNIS F. (Card.), **De Concordato napoleonico pro Gallia.** De Articulis organicis; De lege 5 Dec. 1905 separationis Reipublicae gallicae ab Ecclesiis. — Romae, Desclée, Lefebvre et Soc., 1906. Un. vol. in-16, pag. 106, L. 1.25.

Omnes quidem norunt E.mi D. Cardinalis Cavagnis in Iure publico ecclesiastico peritiam, hic porro liber, opportunissime nunc prodit, cum omnium animi iniquam separationis Status ab Ecclesia in Galliis legem detestantur. Fuit quidem E.mo auctori propositum, hanc legem non modo, sed et praecedens celebre Napoleonicum *Concordatum* documentis et animadversionibus historicis illustrare.

His praeponitur brevis expositio conditionis religiosae Gallicae Nationis post magnam rerum subversionem; textus autem Concordatus latine redditur. De *articulis* quoque, uti aiebant, *organicis* sermo instituitur.

Inseritur praeterea *Protestatio*, cum *Litteris Encyclicis* Summi Pontificis Pii Pp. X, et Decreta quae, circa legem ipsam, ad executionem data sunt.

Omnia et singula sapienter enucleateque, ita ut utilissima evadat tractatio, ab Auctore aguntur.

Digitized by Google

# Chronica.

*Die 24 Aprilis 1906*, in Palatio Apostolico Vaticano, habita fuit Ss. Rituum Congregatio Generalis coram SS. D. N. Pio Pp. X, in Causa *Romana* seu *Barcinonen.*, Beatific. et Canoniz. Ven. S. D. BONAVENTURAE A BARCINONE, Laici Professi Ord. Fratrum Minorum, Fundatoris S. Recessus S. Bonaventurae de Urbe, super dubio: *An, et de quibus Miraculis constet, in casu, et ad effectum de quo agitur*? Interfuerunt et suffragium tulerunt Patres Consultores Theologi, Praelati Officiales et E.mi ac R.mi DD. Cardinales S. Congregationi praepositi.

*Eodem die*, eodemque in Palatio, habita fuit Congregatio Ss. Rituum item Generalis, coram SS. D. N., in eadem Causa, super dubio: *An, supposita approbatione duorum Miraculorum, praefato Venerabili Servo Dei attributorum,* TUTO *procedi possit ad Eiusdem Beatificationem*, in casu et ad effectum in quo agitur? Interfuerunt et suffragium tulerunt iidem qui supra.

# Nuncia.

**Nonnulli ex nostris Consociatis obliti sunt pretium subnotationis solvere pro currenti anno 1906. Eos igitur enixe rogamus, ut quamprimum consociationis pretium transmittere dignentur Administrationi EPHEMERIDUM LITURGICARUM (Desclée, Lefebvre e C., piazza Grazioli, palazzo Doria, Roma).**

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR.
Fr. Albertus Lepidi, O. P. S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR.
† Iosephus Ceppetelli, Patr. Constant., Vicesgerens.

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée, Lefebvre et Soc. Romae, *Sponsor*.

Ex Off. typ. Soc. S. Ioannis Ev. - Tornaci in Belgio.

Digitized by Google

# Acta Sanctae Sedis
## sacram Liturgiam spectantia.

## SS. RITUUM CONGREGATIO

I.

**De Officiis recitandis a Regularibus.**

### Ordinis Fratrum Minorum Provinciae Apuliae.

Hodiernus Redactor Kalendarii Fratrum Minorum in Regulari Apuliae Provincia commorantium, de consensu tam Ministri Provincialis sui quam Procuratoris Generalis, sequentia dubia pro opportuna solutione exposuit; nimirum:

I. Num Fratres Minores degentes in toto Regno Neapolitano teneantur ad recitandum Officium proprium cum respectiva Missa item propria de Sancto Ianuario Episcopo et Martyre in die 19 Septembris sub ritu duplici primae classis sine Octava, ut de Patrono olim totius Regni Neapolitani?

II. Num iidem Fratres Minores degentes in Provincia civili Barensi teneantur ad persolvendum Officium proprium cum Missa item propria de Sancto Nicolao Episcopo in die 6 Decembris sub ritu duplici primae classis sine Octava, ut de Patrono principali totius Provinciae Barensis?



Digitized by Google

III. Num ipsi Fratres Minores, celebrantes Patronum principalem Provinciae civilis dispensentur a Patrono principali Regni celebrando; quemadmodum nempe non obligantur ad celebrandum Patronum dioecesis ii, qui recolunt Patronum Loci?

IV. Num praefati Religiosi, in celebrando Patrono principali Regni, Provinciae civilis, Loci seu dioecesis, attendere etiam debeant si Patronus feriationem habeat, vel saltem habuit, quae tamen de Apostolico indulto modo sit sublata?

V. Num si requiritur feriatio, festum Patroni sub nomine *principalis* in Kalendario Cleri saecularis designatum et sub ritu duplici primae classis cum Octava, censeri debeat ornatum feriatione, eo quod idem festum quotannis tamquam mobile in die Dominica recolatur?

VI. Num iidem Fratres Minores teneantur ad recitandum Officium Sancti Francisci de Paula sub ritu duplici secundae classis cum Octava in Dominica II post Pascham, ut Compatroni totius Regni Neapolitani, quod ita praescriptum fuerit a Gregorio XVI felicis recordationis sub die 10 Maii 1839 pro utroque Clero?

VII. Num praedicti Fratres teneantur ad agendas Commemorationes Omnium Sanctorum Apostolorum atque Omnium Sanctorum Martyrum in die 29 Iunii praescriptas a Pio Papa VI felicis recordationis per Breve *Paternae charitatis* sub die 10 Aprilis 1818 pro toto Regno

Digitized by Google

Neapolitano, tamquam compensationem aliquam feriationis suppressae?

VIII. Num Moniales secundi Ordinis in civitate Baruli degentes intra dioecesin Tranensem, quae iam celebrant Officium Sancti Rogerii Episcopi Patroni principalis eiusdem civitatis sub ritu duplici primae classis, die 30 Decembris; teneantur insuper ad persolvendum Officium Beatae Mariae Virginis de Sterpeto, quod ex voto agitur sub ritu duplici secundae classis in Dominica II post Pascham?

IX. Num apud easdem Clarissas, quae in Dominica III Iulii ritu maiori celebrant Officium Sanctissimi Redemptoris, et quidem iuxta concessionem a sa. me. Gregorio Papa XVI factam, cum iure translationis, occurrente festo potioris ritus; idem festum Sanctissimi Redemptoris in occursu et concursu habendum sit tamquam festum primarium?

X. Num in Regno Neapolitano, si Dominica II post Pascha agendum sit de festo Sancti Francisci a Paula sub ritu duplici secundae classis; festum Sacratissimi Sepulchri Domini Nostri Iesu Christi, Melphicti Dominica etiam IV post Pascham impeditum a Dedicatione ecclesiae Cathedralis debeat in primam diem liberam intra Tempus Paschale transferri, vel potius omitti?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae omnibusque sedulo perpensis, rescribere rata est:

Digitized by Google

Ad I. Affirmative iuxta Decreta alias edita, ac praesertim num. 2591 *Neapolitana* 18 Octobris 1818 ad XII.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Negative.

Ad IV. Affirmative.

Ad V. Affirmative.

Ad VI. Affirmative.

Ad VII. Affirmative iuxta Decretum n. 3157 *Mechlinien.* 31 Augusti 1867 ad XII, quaest. I.

Ad VIII. Negative, nisi concessio praeceptive etiam pro Regularibus proprio Kalendario utentibus facta fuerit.

Ad IX. Negative, et festum Sanctissimi Redemptoris uti secundarium computatur iuxta Tabellam pro festis secundariis.

Ad X. Si festum Sanctissimi Sepulchri in Dominica II et IV post Pascham impediatur, iuxta Rubricam peculiarem Breviarii Romano-Seraphici n. 118, transferri debet non tamen extra Tempus Paschale, et quoties impedimentum fuerit perpetuum, idem festum ex gratia fixe Dominica infra Octavam Ascensionis celebretur.

Atque ita rescripsit. Die 16 Februarii 1906.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*
† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

Digitized by Google

II.

**De Absolutione ad tumulum.**

SAMOGITIEN.

Hodiernus R.mus Episcopus Samogitiensis a Sacrorum Rituum Congregatione humiliter expetivit, ut, ad devotionem populi pro animabus defunctorum fovendam et secundum antiquam ac vigentem in dioecesi Samogitiensi consuetudinem, licite possit post Missas de die et non de Requie, cantatas vel lectas, in medio ecclesiae extendi pannus niger, et, posito prope et extra illum crucifixo, cantari a sacerdote induto pluviali nigro et a cantoribus *Libera* cum aspersionibus et incensationibus, quae fieri solent ad tumulum.

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito voto Commissionis liturgicae, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit:

Servetur decretum n. 3780 *Romana* 12 Iulii 1892 ad VIII; et si dicatur Officium defunctorum, fiat in casu Absolutio immediate post ipsum et ante Missam.

Atque ita rescripsit, die 17 Martii 1906.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*
† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

Digitized by Google

## Commentarium.

Ex Decreto S. R. C., 12 Iulii 1892, n. 3780 ad 8, Absolutio pro defunctis fieri vel Responsorium super sepulturam cantari quotidie potest, « exceptis tamen duplicibus primae classis, in quibus Absolutio et Responsorium neque habere locum poterunt private post absolutas vespere Horas canonicas; quod si in diebus permissis de mane fiant, *nunquam post Missam de die, uisi omnino independenter ab eadem* ». Alias quoque eadem S. R. C. declaraverat, absolutionem ad tumulum fieri non posse immediate post Missam de festo currenti, sed iuxta Rubricas Missalis (Rit. celebr. Miss., tit. XIII, n. 4) ac Ritualis Romani (tit. VI, cap. V), finita Missa fieri posse tantummodo quando dicta fuerit Missa *de requie* (S. R. C.. 4 Aug. 1708, n. 2186, et 9 Iun. 1853, n. 3014[1]).

Diebus, quibus ritu permittente dicitur Missa de requie, Absolutio ad tumulum facienda non est immediate post Officium defunctorum, sed fieri debet post Missam de requie sive lectam sive cantatam (S. R. C., 20 Aug. 1901, *Vicentina* ad II, apud *Ephem. Liturg.*, vol. XV, pag. 469); diebus autem, quibus Missa de requie prohibetur, Absolutio ad tumulum facienda est *independenter a Missa diei* iuxta Decreta superius citata, et, si dicatur Officium defunctorum, facienda est immediate post ipsum Officium; deinde remoto, si fieri potest, tumulo, vel saltem candelis circum illis extinctis (S. R. C., 10 Ianuarii 1852, n. 2994, et 13 Iulii 1883, n. 3582[4]), cantari potest Missa de currenti festo.

### III.

**De pio legato servando.**

### Lincien.

Venerabilis Servus Dei Franciscus Iosephus Rudigier Episcopus Linciensis in ultimo suo testamento paucis ante obitum diebus scri-

Digitized by Google

pto inter alia fundari Missam quotannis die obitus sui in ecclesia nova cathedrali celebrandam iussit.

Quare ex substantia ab ipso relicta tantum desumptum est, quantum exigitur ad fundandam Missam solemnem de Requie una cum Officio Defunctorum, et haec Missa necnon Officium exinde quotannis die 29 Novembris, qui est dies obitus Venerabilis Servi Dei, solemnissime celebratum est, populo fideli magno numero adstante.

Quum vero die 6 mensis Decembris, elapsi anni 1905, Sanctissimus Dominus Noster Pius X signare dignatus sit Commissionem introductionis Causae beatificationis eiusdem Ven. Servi Dei, R.mus D.nus Franciscus Salesius Maria Doppelbauer Episcopus Lincien. a Sacrorum Rituum Congregatione humillime postulavit an in posterum celebranda sit Missa fundata de Requie pro ipso Venerabili, vel potius omittenda, fundationem transferendo sive pro Anniversario in levamen Episcopi defuncti qui Ven. Servo Dei immediate successit quique Missam quotannis celebrandam pro se non fundavit, sive pro expensis sustinendis in Causa beatificationis et canonizationis eiusdem Venerabilis Servi Dei.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X relatis, Sanctitas Sua, audito etiam R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, declarare dignata est, pium legatum

Digitized by Google

a praedicto Ven. Dei Famulo institutum esse servandum; ea tamen mutatione inducta, ut interim, loco funeris quotannis die obitus ipsius Ven. Servi Dei peragendi, Missa solemnis celebretur de SS.ma Trinitate pro felici Causae exitu. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 2 Aprilis 1906.

L. ✣ S. A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

IV.

**Additio Martyrologio Ordinis S. Benedicti inserenda quinto Idus Iulii (die 11).**

In Rhaetiae superioris monasterio Desertinensi Sanctorum Fundatorum Sigisberti Hiberni, primi eiusdem Coenobii Abbatis et Placidi Martyris, nobilis Rhaeti et primi ipsius discipuli: qui vitae sanctitate et miraculorum gloria monasticam disciplinam et Ecclesiam Dei illustrarunt: quorum cultum ex sacrorum Rituum Congregationis consulto Pius Papa X ratum habuit et confirmavit.

Romae beati Pii etc.

Ordinis Sancti Benedicti.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, referente infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefecto, suprascriptam Additionem rite revisam Martyrologio Ordinis S. Benedicti inserendam, instantibus R.mis DD. Benedicto Prevost Abbate Desertinensi, et Hildebrando de Hemptinne Abbate Primate totius Ordinis Benedictini, benigne approbare dignatus est. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 9 Maii 1906.

L. ✣ S. A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

Digitized by Google

# S. CONGREGATIO INDULGENTIARUM

## I.

### Indulgentia 300 dierum conceditur fidelibus quandam precem recitantibus.

*Beatissime Pater,*

Felix, Episcopus Foroiuliensis, ad pedes S. V. provolutus, humiliter petit, ut dignetur S. V. tercentum dies de vera indulgentia impertire quibuslibet fidelibus recitantibus precem sequentem, quam e methodo meditationis S. Francisci Salesii, atque Ven. T. T. Olier substantialiter deprompsit, videlicet et quam duobus abhinc annis, a puellis et aliis, lectiones de Religione a se Aquis-Sextiis accurate audientibus, pie recitari iam in usu gaudebat esse, videlicet:

« Je vous adore, o Dieu en trois Personnes, je m'anéantis devant votre majesté. Vous seul êtes l'Etre, la vie, vérité, beauté, bonté. Je Vous glorifie, je Vous loue, je Vous remercie, et je Vous aime, tout incapable et indigne que je suis, en union avec votre cher fils, Jésus-Christ, notre Sauveur et notre frère, dans la miséricorde de son cœur, et par ses mérites infinits. Je veux Vous servir, Vous plaire, Vous obéir, et Vous aimer toujours, avec Marie Immaculée, Mère de Dieu, et la nôtre, aimant aussi et servant mon prochain pour votre amour. C'est pourquoi donnez-moi votre Saint-Esprit, qui m'éclaire, me corrige et me guide dans la voie des vos commandements, et en toute perfection, en attendant le bonheur du Ciel, où nous Vous glorifierons à jamais. Ainsi soit-il » (1).

(1) Versio:

« Adoro te, in tribus Personis Deus, ante maiestatem tuam tanquam nihilum me profiteor. Tu solus es Ens, via, veritas, pulchritudo, bonitas. Glorifico te, laudo te, gratias ago tibi, et amo te, quanquam sum ego impar et indignus, in unione dilecti Filii tui Iesu Christi, nostri Salvatoris et fratris nostri, in misericordia sui sacri Cordis, et per sua merita infinita. Ego tibi

Digitized by Google

**Recitantibus hanc precem tercentum dierum Indulgentiam in Domino concedimus.**

**Die 28 Februarii 1906.**

**PIUS PP. X.**

Praesentis Rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic S. Congregationi Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fidem etc.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. C., die 18 Aprilis 1906.

L. ✣ S. † D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

II.

**Indulgentia 300 dierum conceditur quandam iaculatoriam precem recitantibus.**

Cunctis invocantibus B.mam Virginem per iaculatoriam *Notre Dame des bonnes Etudes, priez pour nous* (1) semel in die Indulgentiam tercentorum dierum in Domino concedimus.

Die 16 Maii an. 1906.

PIUS PP. X.

Praesentis Rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic Secretariae S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fidem etc.

Datum Romae, ex eadem Secretaria, die 22 Maii 1906.

L. ✣ S. † D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

servire volo, tibi placere, tibi obedire, et te semper amare, cum Maria Immaculata, Dei Matre, et nostra, amando similiter proximum meum eique serviendo amore tui. Da mihi igitur tuum Sanctum Spiritum, qui me illuminet, me corrigat, et me per viam mandatorum tuorum perfectissime perducat, caelestem felicitatem expectando, in qua te in aeternum glorificabimus. Amen ».

(1) Versio: *Domina nostra a bonis Studiis, ora pro nobis.*

Digitized by Google

## Ad *Motu-proprio* de Protonotariis Apostolicis Commentarium.

(*Continuatio.* V. num. 5, anni curr., pagg. 276-282).

### De Protonotariis Apostolicis Supranumerariis.

28. In Vesperis solemnibus (post quas benedictionem non impertientur) (98), aliisque sacris functionibus pontificaliter celebrandis, Mitra, Cruce pectorali, Annulo utentur, ut supra (99). Pileolus nigri dumtaxat coloris, nonnisi sub Mitra ab eis poterit adhiberi (100).

29. In pontificalibus functionibus eisdem semper interdicitur usus throni, pastoralis baculi et cappae; in Missis autem pontificalibus, septimo candelabro super altari non utentur, nec plurium Diaconorum assistentia (101); Presbyterum assistentem pluviali indutum habere poterunt (102), non tamen coram Episcopo Ordinario aut alio Praesule, qui ipso Episcopo sit maior (103); intra Missam manus lavabunt ad Ps. *Lavabo* tantum (104). Loco *Dominus vobiscum*, nunquam dicent *Pax vobis*; trinam benedictionem impertientur nunquam, nec versus illi praemittent *Sit nomen Domini* et *Adiutorium*, sed in Missis tantum pontificalibus, Mitra cooperti, cantabunt formulam *Benedicat vos*, de more populo benedicentes: a qua benedictione abstinebunt assistente Episcopo loci Ordinario aut alio Praesule, qui ipso Episcopo sit maior, cuius erit eam impertiri (105). Coram iisdem, in pontificalibus celebrantes,

Digitized by Google

Mitra simplici solummodo utantur, et dum illi sacra sumunt paramenta, aut solium petunt, vel ab eo recedunt, stent sine Mitra (106).

30. De speciali commissione Ordinarii Missam quoque pro defunctis pontificali ritu celebrare poterunt Protonotarii Supranumerarii, cum Absolutione in fine, Mitra linea utentes (107); numquam tamen eamdem Absolutionem impertiri illis fas erit, post Missam ab alio celebratam; quod ius uni reservatur Episcopo loci Ordinario (108).

(98) Post Vesperas pontificali ritu ab Episcopo celebratas, iuxta Caeremoniale (*l. 2, c. 1, n. 14*), Episcopus trinam impertitur benedictionem more solito, nempe: *Sit nomen D.ni* etc. Huiusmodi benedictio propria est Episcoporum, ac proinde sicut prohibetur Protonotario in fine Missae, item et in fine Vesperarum. Si vero post Vesperas impertienda esset benedictio, vel cum SS. Sacramento, vel cum Reliquia SS. Crucis, aut alicuius Sancti, haec profecto non interdicitur Protonotario, de hac enim non loquitur hic paragraphus.

(99) In Vesperis ergo, ad faldistorium utique celebrandis, aliisque sacris functionibus, de quibus supra in nota 81, Mitra, Cruce pectorali ac annulo uti potest Protonotarius, alioquin ritu pontificali hae functiones celebrari non dicerentur.

(100) De usu pileoli sub mitra audiendus est cl. Cataldi in suo voto pluries citato:

« Distinguendus hic est usus pileoli simpliciter in actu celebrationis Missae, et usus pileoli cum mitra tamquam *submitrale*. Ob sacrarum actionum et caeremoniarum diversitatem mitra accipienda est uti capitis vel operimentum vel ornamentum; non secus ac pileolum quod uti capitis operimentum semper adhibetur. Correlativus namque videtur mitrae et pileoli usus uti apertissime patet ex Caerem. Episc. *lib. II, cap. VIII, n. 37*...

Digitized by Google

" aufertur Episcopo per assistentem a sinistris gremiale et mitra, *pileolum* vero per assistentem a dextris, complanatis cum eo capillis, quod penes se retinet " ideoque quoties contigerit imponere mitram, tunc minister ipse qui mitram imponit, imponet prius pileolum, et quoties auferri debet mitra, tunc et pileolum. Cum igitur in proposita quaestione (de qua agit votum ipsius Cataldi, ex quo haec depromsimus) simpliciter de usu pileoli sub mitra agatur, respondendum censeo, non posse Episcopum, ob expositas rationes, Protonotario prohibere Sacrum pontificali ritu peragenti usum pileoli sub mitra ».

Niger debet esse huiusmodi pileolus, non autem violaceus, ut supra diximus in nota 25. Nihilominus ubi usus invaluit exornandi pileolum aliquo parvulo flocculo, hic bene poterit esse coloris rubini, sicut ille quo utuntur in bireto.

(101) Vide superius notas ad § 6 huius *Motu Proprio*, circa usum throni, pastoralis, cappae, septimi candelabri et duorum Diaconorum assistentiam. Quod enim vetitum est et ipsis Protonotariis Participantibus, multo minus licitum erit Praelatis inferioribus.

(102) Presbyterum assistentem non habebant Protonotarii *ad instar*, prout decreverat Pius Pp. IX in sua pluries citata Constitutione 29 Augusti 1872, § 15; cum autem multis in ecclesiis, praesertim Cathedralibus, Dignitati vel Canonico celebranti inserviat Presbyter assistens, quod S. R. C. decretis 1111[3], 1470, 1771[2], 2056, 3580 et 3588, attenta probata consuetudine, non repudiavit, similem honorem Protonotariis non esse denegandum consultum est.

Et bene, nam 1°, Protonotarii, aliis Capitularibus Dignitatibus et Canonicis praeferuntur, 2° in casu agitur de Missa pontificali, quae solemnior est illa, quae a simplicibus Canonicis decantatur.

(103) Presbyter assistens hic prohibetur Protonotario, si praesens sit Episcopus loci Ordinarius, aut alius Praesul ipso Episcopo maior, ex. gr. Cardinalis, Metropolitanus, Legatus in

Digitized by Google

sua legatione. Huiusmodi restrictio inducta fuit in maiorem Episcopi, seu eo Superioris, reverentiam. Servitium enim Presbyteri assistentis procul dubio aliquid habet magni honoris, ita ut ex. gr., si Cardinalis assistit cum Mitra Missae ab Episcopo loci celebratae, *neuter in casu Presbyterum assistentem habere valet*, uti edixit S. Congr. Caeremonialis die 16 Decembris 1837 (vide in Indice Decret. .S. R. C., pag. 396). Igitur summopere convenit ut, praesente loci Episcopo, vel maiori Praesule, Protonotarius huiusmodi honore careat.

Quod tamen non prohibetur coram Episcopo non Ordinario, nam iuxta Caeremoniale Episcoporum (*l. 2, c. 9, n. 5 et alibi*) non omnia quae competunt Ordinario in sacris functionibus, conveniunt Episcopis extraneis, vel Titularibus.

Presbyter assistens ea omnia adimplere debet in Missa a Protonotario celebrata, quae a Caeremoniali praescribuntur, nempe, librum exosculandum exhibet Celebranti (huiusmodi enim osculum hoc loco non interdicitur), eumque sustinet dum aliquid ex eo cantat ipse celebrans, iuxta S. R. C. decreta 1402[5], 1504[1] et 4016. Item pacem accipit a Protonotario et choro distribuit. Dum autem Protonotarius paratus exit a Sacristia vel ad eam redit, ad eius sinistram incedere debet (n. 4018).

(104) Ablutio manuum ab Episcopo pontificaliter celebrante non solum fit ante vestitionem, quae Protonotario non prohibetur, imo a Rubricis praecipitur cuilibet celebranti, sed intra Missam ter fit, nempe lecto Offertorio exutis chirothecis, ad Ps. *Lavabo*, et in fine post ablutionem Calicis.

Protonotarius Supranumerarius et *ad instar* una vice tantum lavat manus infra Missam, ut hic expresse decernitur, nempe ad Ps. *Lavabo*, prout edixerat Pius IX (*ibid.*).

(105) Circa *Pax vobis* non dicendum, loco *Dominus vobiscum*, et trinam benedictionem non impertiendam, vide quae diximus supra in notis ad § 6.

(106) Si Protonotarius Supranumerarius pontificaliter celebrat coram Episcopo loci Ordinario, vel alio maiore, puta Car-

Digitized by Google

dinali aut Metropolitano, tunc non Mitra serica, uti supra descripsimus, auro circumornata, utitur, sed Mitra simplici tantum. Si enim ipsi quoque Patres Cardinales, nec non Episcopi coram Summo Pontifice id agunt, quanto magis Protonotarius.

Item, iuxta Pii VII constitutionem 27 Augusti 1822, § 18 et 19, dum Episcopus Ordinarius, aut Cardinalis aut Metropolitanus indumenta assumit, aut thronum conscendit vel ab eo descendit, Protonotarius stare debet sine Mitra. Quod similiter facit Episcopus, vel Cardinalis celebrans in conspectu Summi Pontificis, et Canonicus cum Ministris Missam solemnem celebrans coram Episcopo Ordinario.

(107) Missa pontificalis pro defunctis celebrari non permittitur Abbatibus, licet perpetui sint et benedicti (*Decr. Alexandri VII, 27 Sept. 1659, § 5*); neque aliis Praelatis inferioribus (*Const. Pii VII cit., § 13*); ideoque neque Protonotariis *ad instar* (*Const. Pii IX cit., § 17*).

Quapropter *per se*, prohibetur quoque Protonotariis Supranumerariis. Hic tamen dicitur: *de speciali commissione Ordinarii Missam quoque pro defunctis pontificali ritu celebrare poterunt Protonotarii Supranumerarii...* Quid autem sibi vult huiusmodi locutio: *De speciali commissione Ordinarii*? Nonne supra § 25 iam praescriptum est, *impetrata venia Ordinarii loci*?

Pro Missa vivorum, uti dicitur, Protonotarius *invitatur* a Rectore Ecclesiae, et accepta invitatione, *veniam impetrare* debet ab Ordinario. Pro Missa vero pontificali mortuorum invitari nequit Protonotarius, ideoque neque veniam expetere Episcopi. Attamen Ordinarius loci, bene poterit, si voluerit, aliquando *committere specialiter* Protonotario Supranumerario ut Missam pontificaliter in solemnibus exequiis celebret. Hoc evenire potest, quando ex. gr. paratur funus solemne quod ab Episcopo celebrari deberet aut deceret. Ipse impeditus, committit celebrationem hanc alicui Protonotario Supranumerario. Hoc sensu tantummodo intelligenda huiusmodi locutio. Qui Missam pro defunctis celebrat, debet quoque et absolutionem ad tumulum impertiri, nisi

Digitized by Google

haec danda sit ab Episcopo loci Ordinario, vel ab aliquo Cardinali (*S. R. C. n. 3029* [10]).

Patet autem, in huiusmodi funereis functionibus, mitra linea uti debere Protonotarios, prout simplici utuntur et ipsi Episcopi, iuxta Caeremonialis praescriptum.

(108) S. R. C. per citatum Decretum (*n. 3029*) solummodo Episcopo loci Ordinario reservavit ius impertiendi absolutionem ad tumulum, prout disponit Caeremoniale (*l. 2, c. 12, n. 6*), licet Missam ipse non celebraverit.

Imo per aliud Decretum (*n. 3798* [2]) declaravit, Episcopum extraneum, seu non Ordinarium, etiamsi ad funus sit praesens, huiusmodi absolutionem dare non posse, quin Missam ipse decantet. Quanto magis igitur haec prohibita erit Protonotario, post Missam exequialem a se non celebratam?

(*Continuabitur*).

Doct. Petrus Piacenza.

## In S. R. C. Decretum d. d. 14 Martii 1906 novae animadversiones.

Nonnullae ecclesiasticae Ephemerides, qua par est observantia, non tantum Decretum *de Clerico loco Subdiaconi vel Cappellani in Missa inserviente* exceperunt, sed debitis laudibus illud extulerunt, quippe quod multos abusus e medio tollit, et antiquae disciplinae restaurationi omnino consulit. Nihilominus cum aliquod dubium, circa Missam in oratorio privato ab Episcopo celebratam, ministrante laico viro, nec ipsa talari veste induto, propositum nobis fuerit, opportunum esse duximus, huiusmodi dubii solutionem evulgare, tamquam appendicem ad commentarium, quod in praecedenti fasciculo edidimus (pag. 265).

Quaeritur ergo: utrum hodie, post huius Decreti promulgationem, adhuc liceat Episcopo, vel Praelato, in suo oratorio privato Missam celebrare, ministrante sibi domestico suo; item an huic domestico ministranti fas sit calicem ad Altare deferre?

Digitized by Google

Si ageretur de Sacro in publica ecclesia celebrando ab Episcopo vel Praelato, certo certius, valde esset indecorum, laicum absque talari veste illi ad Altare inservire; et art. 3 Decreti aperte mandat quod: « Clericus qui loco Cappellani Episcopo vel Praelato in Missa lecta inserviat, saltem tonsuratus esse debet ». Quoniam vero agitur in casu de Missa in privato oratorio celebranda, Decretum iam consulit in art. 7, ubi legimus: « Si vero Clericus sacra non sit tonsura initiatus, poterit quidem ab Episcopo, aut a Praelato in Missa lecta uti Minister assumi etc. »; ergo si laicus vir in oratorio privato Missae ex necessitate inserviat, siquidem nimis esset rigorosum in praxi saltem, postulare semper clericum in casu, Decretum nostrum inviolatum manet.

Oportet vero clausulam huiusce art. 7 observari; nempe ut laicus vir, veste talari, vel non, indutus, calicem in sacro ministerio non tangat; dicit idem art. 7: « Sed eo in casu calix velatus ante Missam ad altare deferatur, et more solito in medio mensae super corporale statuatur... et... suo tempore abstersus et velatus, ac in medio mensae collocatus, absoluta Missa, in Sacristiam deferatur ».

Et optime per omnem modum; nam licet Missa in casu celebretur in loco privato, vel privatissimo, actio est tamen vere *liturgica*, imo omnium excellentissima, ideoque per se *officium publicum*, id enim significant graece voces λειτον ἔργον.

Hinc in Rubricis (*p. 3, c. 10, n. 1*) de defectibus in ministerio ipso occurrentibns, adnotatur « *si non adsit Clericus, vel alius deserviens in Missa* », quia unus clericus saltem populum repraesentare debet; et tantum urgente necessitate, omnibus prius dispositis quae ad Sacrificium occurrunt, pro responsis solummodo (S. R. C., n. 2745[8]), extra cancellos vel longius ab Altari (n. 4015[9]), mulieris ministerium adhiberi potest. Porro ratione loci privatissimi mulieribus, licet monialibus, nunquam fas erit ad Altare accedere, dum ibi Sacerdos sacrum aliquid operatur. Ita in casu et laicus vir, sive clericus non tonsuratus; ipse poterit quidem Missae inservire apud Altare, more solito ferens hinc inde Missale, am-



Digitized by Google

pullas ministrare etc., calicem tamen contrectare ei non licebit, ideoque neque illum a mensa ad Altare deferre, et post ablutionem inde reportare. Ratio est, quia in casu laicus vir Cappellani vices proprie non supplet, sed locum tenet Clerici; nil aliud porro ei fas erit nisi illis muneribus perfungi, quibus Clericus ex Rubrica fungitur in Missa privata a simplici Sacerdote celebrata.

Neque valet opponere, quod ut plurimum huiusmodi laici Praelatorum domestici, indultum habent tangendi vasa sacra; nam dato et non facile concesso quod tali indulto sint muniti, indultum ipsum tamen datur tantummodo pro contrectatione calicis in sacrario, numquam vero *in ministerio Altaris*, ut docent Benedictus XIV (*Inst.*, *34*, § *4*, *n. 18*) et S. Alfonsus (*Theol. mor.*, *l. 6*, *n. 382*).

Item neque valet reponere, quod in casu, calix ante Missam in Altari more solito collocatus, impediret quominus Praelatus legat de more in Canone aperto, usus enim Canonis honoris causa Praelatis *permittitur*, contrectatio vero vasorum sacrorum *in ministerio Altaris*, ab Ecclesia laicis *rigorose prohibetur*. Recedat ergo indultum, ut lex sacra observetur.

Quapropter Decretum nostrum in articulis 3° et 7° simul collatis, omnia disponit ut leges Ecclesiae adamussim serventur, et quae ex necessitate in oratoriis privatis permittuntur, ad tramitem iuris fiant. Adhuc ergo fas erit Praelato, laicum virum assumere, ut Missae ab ipso lectae in oratorio privato inserviat, huic tamen laico ministro calicem ad Altare deferre et inde amovere, dum Sacerdos Missam celebrat, numquam fas erit.

Oh si Sacerdotes zelotypi essent et sollicitiores iurium quibus in sacra ordinatione potiuntur, tam facile non permitterent ut laici, saepe neque pii neque mundi, praerogativas Ordinis usurparent, et in ministeria Altaris se intruderent!

Doct. PETRUS PIACENZA.

Digitized by Google

# Acta Academiae Liturgicae Romanae.

*Die 14 Februarii 1906*, in S. Aede Congregationis Missionis prope Curiam Innocentianam, habitus est Conventus academicus, in quo Rev. D. Ioannes Canfora quaestionem enodavit;

## De Missa Simplicis occurrentis die infra octavam Semiduplici.

Post Censorum animadversiones et placita, alter ex illis, Rev.mus D. Alfonsus Carinci, ex Apost. Caerem. Magistris, epitomen resolutionum fecit, quam excepit pia collatio de ecclesiasticis officiis.

### Quaestionis propositio.

In Ecclesia quadam dioecesis Florentinae, die 14 Augusti praesentis anni, duo Sacerdotes Missam simul celebrarunt. Cumque dicta in Ecclesia fieret de infra octavam S. Laurentii, qui et Patronus illic erat, uterque Sacerdos Missam facere de S. Eusebio Conf. maluit, prout ritus semiduplex permittebat. Sed vero addidit quidem unus et alter hymnum glorificationis ratione octavae, sed unus ex illis addidit et symbolum ex eadem ratione, ac simul ultimum Evangelium Vigiliae, alius vero symbolum non dixit, et Evangelium in fine legit S. Ioannis. Quod admirans Primus sacerdos, qui praefatas Missas pro sua devotione audierat, gratiarum ab illis actione peracta, discrepantiae rationem comiter inquirit. Accipit autem ab altero symbolum

Digitized by Google

a se fuisse additum ex eadem ratione, qua *Gloria* recitavit; Evangelium vero Vigiliae se recitasse, quia Missa non votiva, sed de festo occurrente fuerat. Ab altero vero docetur, in Missa, quam votivam de S. Eusebio certe appellabat, semper in fine Evangelium S. Ioannis esse dicendum. *Quaeritur:*

1. *Quando coeptum fuerit seu* Gloria in excelsis, *seu* Credo *in Missa recitari?*

2. *Missa de Simplici occurrente commemorato votiva ne est, an occurrens?*

3. *Quaenam leges liturgicae* Gloria *et* Credo *tam in votiva, quam in occurrente Missa recitanda dirigant?*

4. *Quandonam pro Evangelio S. Ioannis in fine Missae aliud recitandum est?*

5. *Quid iudicandum de Missae discrepantiis inter duos Celebrantes, prout in casu exponitur?*

**Solutio.**

Dubia magis, quam implexa quaestio proposita dicenda est. Agitur nimirum de liceitate Missam de Sancto sub ritu simplici, occurrente semiduplici, celebrandi tanquam votivam. Dubiam diximus, Rubricae enim et S. Rituum Congregationis Decreta nullam hactenus in re sanctionem emiserunt. Sed praestat ordine in casu exhibito procedere.

I. Quaeritur primo, quando coeptum fuerit seu *Gloria in excelsis*, seu *Credo* in Missa recitari?

Hymnus angelicus, prout et *Kyrie eleison*, a Graecis mutuata, ad Liturgiam proprie dictam, antiquiori aevo, minime pertinuisse compertum est, sed potius ad officium matutinum, in quo locum habuit, quem nunc hymnus ambrosianus excepit. Et revera Graeca Ecclesia etiamnum in Matutinis recitat *Gloria in excelsis.* Hunc

Digitized by Google

hymnum Romae primitus introduxit Telesphorus Papa, in prima Missa Nativitatis Domini, quae ante diluculum celebrabatur. Symmachus Papa illius usum extendit ad dominicos dies et ad festa Ss. Martyrum, veruntamen in uno Episcopi Pontificali. Ceteris Sacerdotibus nonnisi in prima cuiusque Missa et die sancto Paschae illum recitare fas erat. Octavo tamen saeculo coeptum est, per Summos Pontifices, nonnullis dignitariis concedi, prout ex. gr. anno 740 cum Abbate Montis Casini factum est. Saeculo autem XI a Sacerdotibus omnibus recitabatur.

« Apostolorum Symbolum, quod non semper, saepe tamen, et semper diebus dominicis, apud nos recitatur inter Evangelium et Offertorium, opportune animadvertit Semeria, tanquam Missae Catechumenorum conclusionem, fuit iam ab exordio et iugiter mansit pars integralis et propria ritus baptismalis ».

Introductum fuit in Missam cum sua forma amplificata, a binis Conciliis, Nicaeno et Constantinopolitano, composita, ex quo Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum appellatum est.

Symbolum in Missis saeculo VI primitus apparet, et in Oriente. Iuxta Theodorum Lectorem, Antiochiae primum introductum fuit ab Episcopo Petro Fullone, anno 471, postea Constantinopoli, anno 511, a Patriarcha Timotheo. Sub saeculi VI finem invenitur in Hispania, et saec. VIII in Galliis et in Germania: plures Ordines Romani illius usum Romae ante IX saeculum testificantur. Notandum est tamen, in Missa Summi Pontificis, Symbolum nonnisi saeculo XI apparere. Narrat nimirum Bruno, Abbas Augiae Divitis in Suevia, Henricum II imperatorem, die quo solemniter a Benedicto VIII in Vaticana Basilica coronatus est, animadvertisse in Missa Pontificis Symbolum omissum fuisse. De quo cum causam exquisiisset, responsum accepit, necessarium ibi non extitisse, cum Romana Ecclesia nunquam in haeresim lapsa fuerit. Verum is Pontifici suasit ut morem hunc et Romae statueret, in aedificationem fidelium, qui undique huc confluunt.

II. Missa de simplici occurrente commemorato votivane est, an occurrens?

Digitized by Google

Antequam propius quaestionem aggrediamur, opportunum videtur notionem quandam praemittere de Missis votivis et occurrentibus. Votivae dicuntur Missae, quae Officio diei minime respondent, et a Rubricis non praecipiuntur. Solemnes esse possunt aut privatae, seu melius (cum solemnitas ad causam non sit referenda et Missa solemnis comparetur cum simpliciter cantata et cum lecta) pro publica aut privata causa, celebrandae scilicet pro re gravi, ex auctoritate Ordinarii, aut ex sola Sacerdotis vel committentis devotione. Missa vero occurrens aut festiva (hic etiam locutionis improprietatem animadvertimus, cum et Missa votiva in festivitate non repugnet, uti optime in *Ephemeridibus Liturgicis*, vol. XIII, pag. 563, dictum est; nunquid non celebrantur festa ex voto? devotione, quod idem sonat? v. gr. in triduanis Solemniis post Beatificationem Servorum Dei) illa est quae conformis Officio quod eo die recitatur, invenitur. Nunc autem ad quaestionis solutionem deveniamus.

In quadam Hetruriae civitate Patronus est S. Laurentius: die 14 Augusti, infra nimirum illius octavam, S. Eusebius Confessor occurrit. Cum hic ritu gaudeat simplici, iure praevalet dies infra octavam, semiduplex; in Officio igitur et in Missa, de S. Eusebio fit tantummodo commemoratio. Si quis autem voluerit, quod ritus diei permittit, Missam facere de S. Eusebio, quomodo hanc ordinaret? Aliis verbis, Missa de S. Eusebio, aut generatim de festo simplici commemorato estne votiva an occurrens? Iis quae iam superius diximus inhaerentes, respondemus, non esse occurrentem, cum non respondeat Officio diei et a Rubricis non praecipiatur, sed votivam, cum ad libitum seu devotionem respondeat celebrantium. Remanet tamen vestigium aliquod Offici simplicis in commemoratione S. Eusebii, Missa proinde, quae celebretur de illo, ad diem relationem habet, est nempe festiva, seu quasi occurrens, et non est praeceptiva, sed votivo-festiva. Idem esset de Sancto, etsi non commemorato, sed tamen die sua (1). Cl.mus

(1) Cfr. Mefati, part. I, tit. IV, n. XLI.

Digitized by Google

Van der Stappen (De Rubric. Miss. Romani, p. 217), loquens de usu hymni angelici in Missis votivis, hoc affert exemplum: « Die 23 Septembris, celebratur festum semiduplex S. Lini P. M.; eodem die occurrit festum simplex S. Theclae V. et M., cuius commemoratio tantum fit in Officio et in Missa S. Lini; si quis eo die de S. Thecla Missam votivam celebrare vellet, diceret in hac Missa hymnum *Gloria in excelsis*, quia Missa votiva celebratur in die obitus, seu die festivo S. Theclae, et ideo, licet votiva, partim est festiva ». Haec loquendi ratio plane suadet, Cl.mum Auctorem, recte sentire de Missa festiva, quae si non praecipitur, est etiam votiva. Aequivocatio pro nonnullis est in verbis; dicimus passim: more votivo, more festivo; sed vis horum verborum ponitur tota in ratione celebrandi Missas votivas extra diem propriam, et Missas festivas quando respondent Officio diei. Igitur mos festivus, si rite loqui malumus, cum non opponatur voto aut devotioni, votivae Missae convenire potest et debet, quando Missa quae celebratur, est de Sancto qui occurrit, de quo tamen non celebratur Officium, et forte neque commemoratio.

Opponitur a nonnullis usus Florentinae Cathedralis et Ordinis Carmelitarum, qui diebus dominicis impeditis, Missam tamen de Dominica non omittunt, et concludunt, hanc Missam non esse votivam, sed festivam. At nulla reipsa invenietur oppositio, si definitionibus rite adhaereamus: Missa dominicalis in casu est pure festiva, quia a Rubrica praecipitur, pro Ordine Carmelitico; pro Cathedrali autem Florentina, etsi dici nequeat a Rubrica praecipi, quod non alias habeat a nostris diversas, consuetudo tamen sive indultum stat pro Rubrica, excluso penitus voto, quod profecto non habetur.

III. Inquiritur ulterius, quaenam leges liturgicae *Gloria* et *Credo* tam in votiva quam in occurrente Missa recitanda dirigant?

De hymno angelico haec sunt dicenda:

1. Pro Missis occurrentibus: *a*) *Gloria* recitatur in omnibus festis infra annum, etiam simplicibus, et per eorum *propriam* octavam, excepto festo (non octava) Ss. Innocentium, nisi inci-

Digitized by Google

derit in Dominicam; *b*) in Dominicis, a Pascha ad Adventum exclusive, et a Nativitate Domini ad Dominicam Septuagesimae exclusive; *c*) in omnibus feriis temporis paschalis, a Dominica in Albis scilicet ad Ascensionem, exceptis Missis de Rogationibus; *d*) feria V in Coena Domini et Sabbato Maioris Hebdomadae.

2. Pro Missis votivis autem, distinguendum est inter solemnes et privatas (seu melius communes, ordinarias, quotidianas; privatus enim, uti iam notavimus, non opponitur solemni, sed potius publico). *a*) In Missis votivis solemnibus hymnus angelicus semper recitatur, excepto casu quo Missa celebranda sit cum paramentis coloris violacei; *b*) in Missis votivis communibus, en regula generalis: cum hymnus praedictus signum sit solemnitatis, omittitur in Missis votivis communibus. Dantur tamen quaedam exceptiones, et tunc hymnus dicendus est. Dicendus est nimirum in Missis B. M. V. in Sabbatis celebratis; in Missis votivis Angelorum; in Missis votivis die festo (obitus, mutato, assignato) Sanctorum, eo quod, uti patet, Missa tunc est votivo-festiva; in Missis votivis alicuius Sancti vel Mysterii, die quolibet infra eius octavam, pari ex ratione, cum octava sit festi prorogatio.

De Symbolo Apostolorum haec sunt notanda:

1. Pro Missis occurrentibus, *Credo* recitatur triplici ex causa: Mysterii, doctrinae, solemnitatis. *a*) Ratione Mysterii, dicitur singulis infra annum Dominicis, etiamsi de ea Officium minime peragatur; in festis Domini, B. Mariae V. et Angelorum; in festo Omnium Sanctorum, Dedicationis Ecclesiae eiusque Anniversario, et S. Mariae Magdalenae, Resurrectionis Dominicae nuntiae; in Missis quae celebrantur infra praedictorum festorum octavas, si quae habeantur, etiamsi per accidens non commemorentur; *b*) ratione doctrinae, in festis Apostolorum, Evangelistarum et Doctorum Ecclesiae; *c*) ratione solemnitatis, in festo et per octavam Patroni principalis loci et Regni et Ecclesiae Universalis (S. Ioseph Sp. B. M. V.); in festo Titularis ecclesiae vel oratorii solemniter saltem benedicti; in festo Sancti de quo in ecclesia vel oratorio Corpus aut insignis Reliquia asservatur;

Digitized by Google

in festis quae cum magno populi concursu celebrantur. Solemnitas igitur non consistit in festorum ritu, qui classicus nuncupatur, si scilicet festa ritu fruantur duplici primae aut secundae classis, nisi habeatur indultum.

2. Pro Missis votivis, distinctio, ut supra, facienda est, in votivas solemnes et votivas communes. *a*) In Missis votivis solemnibus pro re gravi aut publica Ecclesiae causa, dicendum est Symbolum, etiamsi Sanctus, de quo agitur Missa, per se eo minime gaudeat. Excipitur tamen Missa quae celebranda foret cum paramentis violacei coloris, nisi et haec in Dominica locum habeat; *b*) in Missis votivis communibus omittitur *Credo* « etiamsi de Patrono vel Titulari, vel per speciale indultum in die dominica, et in festis duplicibus, vel etiam infra octavam (intellige non propriam, ut infra dicetur) celebrentur » (S. Rit. Congregatio, die 30 Iunii 1896, n. 3922, § III, n. 3). Haec generalis regula unicam patitur exceptionem: sic enim sese exprimit praecitatum Decretum: « Nisi sint de die infra octavam (et, subintellige, die festo *Credo* sit dicendum); quo in casu celebrandae essent ut in festo, id est cum *Gloria* et *Credo* ». Ratio autem huius exceptionis est eadem, quam adduximus de *Gloria* loquentes: ratio videlicet continuationis festi. A fortiori autem die ipso festi, v. gr. Officio potiori impedito, uti si Sanctus de quo habeatur Reliquia insignis tantum commemoretur, et tamen habeatur indultum Missam votivo-festivam illius etiam in duplici celebrandi. Loquimur de Sancto sub ritu duplici colendo; quia si sermo sit de Sancto sub ritu semiduplici vel simplici, omnes conveniunt Symbolum in casu minime esse recitandum; repugnat enim solemnitas, cum ritu inferiori duplici.

IV. Quandonam pro Evangelio S. Ioannis in fine Missae aliud recitandum est?

Ex Rubricis Breviarii Romani et Missalis haec pro casu desumuntur:

1. In Missis votivis stricte sumptis et de Requie dicitur semper Evangelium S. Ioannis.

Digitized by Google

2. In Missis occurrentibus *generatim* dicitur Evangelium S. Ioannis. Excipiuntur sequentes casus: *a*) In fine tertiae Missae Nativitatis Domini legitur Evangelium de Epiphania, Evangelium enim S. Ioannis iam dictum est initio Missae; *b*) Dominica Palmarum, quando ramorum benedictio locum non habet, in fine dicitur Evangelium benedictionis; *c*) In omnibus festis quae in Dominicam, Vigiliam vel feriam maiorem incidunt, quarum Evangelium in iis recitatur, eo quod hae proprium habent Evangelium, de quo recitatur Homilia in Officio.

V. Expositis liturgicis regulis, decernendum superest, quid iudicandum de Missarum discrepantia inter duos Celebrantes, prout in casu exponitur.

Quamvis inquiratur tantummodo de discrepantia, animadvertimus, adfuisse errorem iudicii, non autem facti, et in concordantia duorum Celebrantium, quoad hymnum glorificationis; namque confusio facta est inter octavam propriam Sancti, de qua celebratur Missa votiva, et octavam alterius festi; patet enim quoad *Gloria in excelsis*, nullam adesse relationem octavae *non propriae* cum Missa de qua agitur; quia Rubricae Missalis (tit. VIII, n. 4) statuunt: « (*Gloria in excelsis*) in Missis votivis non dicitur, etiam tempore Paschali, vel *infra octavam* (non propriam) ».

Verum *Gloria* reipsa recitandum erat, ratione *festi* S. Eusebii, quum eius Missa, a duobus Sacerdotibus celebrata, esset votivo-festiva. Quod confirmatur ex sequenti Decreto S. R. C., 24 Aprilis 1899, n. 4020: « Quando Sacerdos recitans Officium de festo aliquo in quo occurrit dies infra octavam et *festum simplex*, de quibus sola commemoratio facta est, et celebrans in ecclesia, ubi Officium ritus duplici inferioris agatur, velit recitare Missam de die infra octavam vel *de Sancto simplici*, ista Missa non votiva seu more votivo dicenda erit, sed potius *festiva et ut in festo* celebranda ».

In casu alter Sacerdos addidit et Symbolum ratione octavae; iamvero quamvis Symbolum dicendum sit *in omnibus festis*, quae in Dominicis, et *infra octavas* (Symbolum habentes) celebrantur iuxta Rubricam Missalis (tit. XI), non tamen constat, an hoc ap-

Digitized by Google

plicandum sit Missae votivo-festivae de Sancto simplici; festum enim simplex cuiuslibet Sancti, in Dominicam vel infra octavam occurrens, celebrari nequit, sed sola commemoratione gaudet, ideoque in praefata Rubrica non comprehenditur. Itaque alii putant, Symbolum in casu dicendum esse, ratione octavae, quia Missa est potius *festiva*, quam votiva; alii vero censent, *Credo* esse omittendum, quia Missa est ritus *simplicis*, Symbolum autem indicium est solemnitatis, cuius incapax videtur ritus simplex; hinc quamvis *Credo* dicatur in Vigilia Epiphaniae (ritus semiduplicis) atque in Vigilia Nativitatis Domini (ritus duplicis) occurrentibus in Dominicam, non dicitur tamen in Missa Rogationum die 25 Aprilis, etiamsi incidat in Dominicam vel infra octavam, quia est Missa ferialis, seu ritus *simplicis* (S. R. C., n. 1801, 2002 ad 12, et 2572 ad 16), neque dicitur in Missa de Dominica, quae in praecedenti feria anticipatur, et feriali ritu colitur (cf. Cavalieri, tom. II, cap. 15, d. 4, n. 6, et tom. V, cap. 12, n. 16-18); nihilominus Symbolum dicitur in Missa votiva solemni de Sancto simplici, quae canitur ratione concursus populi, ideoque ad instar Missae pro re gravi habetur (S. R. C., 13 Iunii 1671, n. 1421 ad 2).

Postremo idem Sacerdos, de quo in casu, Evangelium Vigiliae in fine Missae recitavit, quia (ut ipse dixit) Missa non votiva, sed *de festo occurrente* fuerat. Rectene? Affirmandum videtur; quamvis enim S. R. C. per Decretum n. 1421[2] declaraverit, in fine Missae votivae privatae de festo simplici, cuius tantum commemoratio fit in Officio diei, semper legendum esse Evangelium S. Ioannis *In principio*, posterius tamen per citatum Decretum n. 4020 rescripsit, Missam festi simplicis, de quo sola commemoratio facta est, esse potius *festivam* et *ut in festo* celebrandam (cfr. *Ephem. Liturg.*, vol. XIX, pag. 170, et ann. curr. pag. 198). Nihilominus alter Sacerdos, qui in fine eiusdem Missae consuetum Evangelium S. Ioannis recitavit, inquietandus non esse videtur.

Digitized by Google

# Expositio Rubricarum.

## EXPOSITIO NOVISSIMA

### RUBRICARUM BREVIARII ROMANI

(*Continuatio.* V. num. 5, anni curr., pagg. 291-296).

### N. 4.

In Nativitate Domini usque ad Epiphaniam (690), in Festo Corporis Christi et per Octavam (691), et quandocumque fit Officium beatae Mariae tam novem quam trium lectionum (692) etiam tempore paschali (693), in fine omnium hymnorum (praeterquam in fine hymni *Ave, maris stella* (694), et hymni ad Laudes in Festo Corporis Christi (695), atque hymnorum in Festo septem dolorum beatae Mariae Virginis mense Septembri (696), qui habent ultimum versum proprium (697), dicitur: *Iesu, tibi sit gloria, qui natus es de Virgine* etc. ut in eius officio per annum (698), etiamsi dicantur hymni de Sanctis qui infra octavas praedictas celebrantur (699), dummodo hymni sint eiusdem metri (700), nec habeant ultimum versum proprium, ut hymnus Sanctae Crucis ad Vesperas, et plurimorum Martyrum ad Matutinum (701).

Digitized by Google

(690) *In Nativitate Domini, usque ad Epiphaniam...* Hoc tempore specialiter recolitur memoria Nativitatis Redemptoris nostri, iure ergo meritoque, hymni eiusdem metri, relinquunt doxologiam communem, et accipiunt doxologiam in quo laudatur Ss. Trinitas quidem, sed et nominatur *Iesus* utpote nobis natus nobisque datus. In hac Rubrica non fit mentio de festivitate Ss. Nominis Iesu, sed certo certius, ut eruitur ex Rubrica eius speciali, idem est faciendum sicut in Nativitate Domini.

(691) ... *in Festo Corporis Christi et per octavam...* S. Thomas, auctor officii Ss. Sacramenti, neque praefationem in Missa, neque pro hymnis conclusionem propriam confecit, sed eas assumendas esse maluit e Nativitate Domini (Erudiantur qui hodie nova officia proponunt, in quibus et praefationem propriam, et doxologiam inducere praesumunt, pro officiis multo minoris momenti).

(692) ... *et quandocumque fit officium beatae Mariae, tam novem quam trium lectionum*; nempe in omnibus festis B. M. V. et per eorum octavas, atque in officio votivo, nec non in officio eius in Sabbato, in quo tres tantum lectiones dicuntur.

(693) ... *etiam tempore paschali.* Licet enim tempore paschali, ut infra notatur, doxologia propria habeatur, nihilominus, quando plures doxologiae occurrunt, illa praeferenda est quae magis convenit cum officio diei; atqui in casu doxologia B. M. V. magis convenit, ergo. Similiter dicendum est de doxologia ratione octavae, se de hoc vide infra dicenda.

(694) ... *in fine hymnorum* (*praeterquam in fine hymni* «Ave, maris stella»). Hic hymnus enim non est eiusdem metri, uti patet.

(695) ... *et hymni ad Laudes in Festo Corporis Christi...* Cuius doxologia huiusmodi est:

Uni Trinoque Domino,
Sit sempiterna gloria,
Qui vitam sine termino
Nobis donet in patria.

Digitized by Google

Cum autem auctor huius hymni ita eum voluerit concludi, licet pro hymnis horarum minorum doxologiam praescripserit *Iesu,... qui natus*, dicendum est, hanc conclusionem *propriam* esse, iuxta ea quae inferius videbimus.

(696) ... *atque hymnorum in Festo Septem Dolorum B. Mariae Virginis, mense Septembri...* Haec verba adiecta fuere in ultima Rubricarum revisione, et bene; in huiusmodi enim festo hymni concluduntur cum doxologia: *Iesu,... qui passus es pro servulis*, quae magis convenit cum officio diei, quo Deiparae dolores recoluntur, quibus affecta est in Filii sui passione.

(697) ... *qui habent ultimum versum proprium.* Intellige ultimam hymni strophen, non vero versum, in qua aliquid exprimitur, quod mysterio diei, vel Sancto, aptius applicetur, ut infra melius explicabimus.

(698) ... *dicitur*: Iesu, tibi sit gloria, qui natus es de Virgine, *ut in eius officio per annum.* In Rubricis antiquis hic legebatur: *ut in eius officio parvo*; postquam autem in Breviario inductum fuit officium *In Festis B. Mariae V. per annum*, quod est commune Festivitatum Deiparae, ad illud reformata Rubrica mittit lectorem.

(699) ... *etiamsi dicantur hymni de Sanctis, qui infra octavas praedictas celebrantur.* Infra octavas nempe Nativitatis, Corporis Christi, et Festorum B. M. V. licet recitentur officia Sanctorum occurrentium, hymni tamen concluduntur cum praedicta strophe *Iesu,... qui natus*, sub conditionibus tamen quae sequuntur.

(700) ... *dummodo Hymni sint eiusdem metri...* Haec est prima conditio, et per se patet. Cum enim hymni horarum a S. Ambrosio compositi, habeant metrum quem vocant *iambicum-dimetrum*, necesse est ut et conclusio in ipsis dicenda sit eiusmodi metri, nam incongruum foret omnino si metrum variaretur, ac proinde melodia qua hymni cantantur. *Identitas* ergo *metri* est conditio praecipua, et sine qua non, ut aliqua con-

Digitized by Google

clusio in hymnis horarum adhibeatur propria de officio currentis diei, vel de tempore aut de octava.

(701)... *nec habeant ultimum versum proprium, ut Hymnus S. Crucis ad Vesperas et plurimorum Martyrum ad Matutinum.* Haec Rubrica principium ponit, ex quo regulae desumendae sunt pro variatione conclusionis hymnorum; exempla enim hic exhibita, mentem Ecclesiae in similibus manifestant. Hymnus S. Crucis ad vesperas concluditur:

Te, fons salutis, Trinitas,
Collaudet omnis spiritus,
Quibus Crucis victoriam
Largiris, adde praemium.

Hymnus vero plurimorum Martyrum ad Matutinum hanc habet conclusionem:

Te nunc, Redemptor, quaesumus,
Ut Martyrum consortio
Iungas precantes servulos
In sempiterna saecula.

Cur autem huiusmodi conclusiones *propriae* dicuntur? Responsum difficile non est, cum enim in prima explicite *Crucis victoria* memoretur, et in secunda *consortium Martyrum*, haec propria dicitur hymni pro Martyribus, illa pro festo S. Crucis.

Ex quo facile eruitur quid requiratur, ut propria aliqua conclusio dici possit.

Illa enim conclusio hymnorum *propria* erit, in qua explicita allusio habetur ad Mysterium vel Personam in cuius honorem hymni ipsi dedicantur. Hinc, in Breviario Romano prostant hymni nonnulli, qui propriam habere conclusionem noscuntur nempe tres hymni in festo Ss. Nominis Iesu et S. Venantii; hymni ad Matutinum et ad Laudes S. Ioannis Cantii, hymnus ad Matutinum S. Theresiae hymnique ad Laudes Ss. VII Fundatorum, Ss. Cyrilli et Methodii, S. Mariae Magdalenae, Ss. Angelo-

Digitized by Google

rum Custodum, ac Pretiosissimi Sanguinis, quod et declaravit S. R. C. suo decreto n. 3702 (1). Itemque alii in officiis pro aliquibus locis.

Ultima namque strophe praedictorum hymnorum aliquid habet, quod proxime respicit Sanctos, qui in hymnis ipsis collaudantur, ut cuique consideranti facile apparebit, ideoque *propria* ex natura sua, illa dicitur conclusio, ita ut variari non congruat.

Igitur licet festa recensita occurrerent vel infra octavas B. Mariae aut Ss. Sacramenti, aut tempore Paschali, aut ab Ascensione usque ad Pentecostes, in hymnis praedictis conclusio propria retinenda erit. Id docet haec Rubrica.

## N. 5.

In Epiphania Domini, et per Octavam, in fine omnium Hymnorum dicitur: *Iesu, sibi sit gloria, qui apparuisti Gentibus* (702).

(702) Non tantum in fine hymnorum *Crudelis Herodes, Deum*, et *O sola magnarum urbium*, sed et in hymnis quoque horarum ut dicitur in speciali Rubrica. Item, si infra octavam Epiphaniae occurrat alicubi aliquod festum duplex 1 classis, eius hymni procul dubio eodem modo concludi debent.

## N. 6.

A Dominica in Albis usque ad Ascensionem, in Pentecoste et per Octavam, in fine omnium Hymnorum dicitur: *Deo Patri sit gloria, Et Filio,*

(1) Alio decreto n. 3181 declaratur non esse immutandam conclusionem hymnorum in officio Pretiosissimi Sanguinis. Verum, hoc valet tantummodo pro hymno ad Laudes, nam alii duo, sunt diversi metri ideoque numquam liceret variari eorum conclusionem, quamvis propria non esset.

Digitized by Google

*qui a mortuis*; etiam in Festis Sanctorum eodem tempore Paschali occurrentium; dummodo Hymni sint eiusdem metri, nec habeant ultimum versum proprium, qui mutatur, ut supra (703).

(703) Tempus enim quod decurrit a Paschate usque ad Pentecosten, dicitur *Paschale*, et ob memoriam Resurrectionis Dominicae nonnulla praescribuntur in officiis divinis, eo tempore occurrentibus, et praecipue doxologia paschalis, etiamsi festa agantur Sanctorum, quorum hymni sint eiusdem metri ac ipsa doxologia, neque conclusionem habeant, quae sit magis propria.

## N. 7.

In Ascensione autem usque ad Pentecosten (praeterquam in Hymno *Salutis humanae Sator*) dicitur: *Iesu, tibi sit gloria, qui victor in coelum redis*; similiter in Festis tunc occurrentibus (704).

(704) Non tantum infra octavam Ascensionis, quae reapse Feria V perficitur, sed etiam in officio quod recitatur Feria VI et Sabbato ante Pentecosten, dicenda est conclusio praedicta; quia usque ad Festum Pentecostes producitur memoria Ascensionis.

## N. 8.

In Transfiguratione Domini dicitur: *Iesu, tibi sit gloria, qui te revelas parvulis* (705). Aliis temporibus Hymni terminantur ut suis locis ponitur (706).

(705) *In Transfiguratione* etc. Non tantum in die festo, sed et per totam eius octavam, ubi Transfiguratio celebratur cum octava, ut ex. gr. Romae, ubi est titulus Lateranensis Basilicae, quae est Cathedralis Urbis.



Digitized by Google

(706) Nolumus huiusce Rubricae expositionem deserere, quin aliquid enodatius dicamus, de conditionibus quae requiruntur ut conclusio hymnorum variari debeat nec ne.

Quod autem melius consequi nescimus, nisi aliquid mutuando ex iis quae luculenter ac fuse scripsit A. R. P. Paschalis Brugnani O. M., vir in Rubricis enucleandis peritissimus (1).

Sicuti Psalmi omnes in divino Officio concluduntur cum doxologia *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.*, de qua suo loco agendum nobis erit, ita et hymni, iam ab ipsorum institutione, ut videre est ex. gr. in collectione hymnorum S. Ambrosii, concludi coeperunt cum quadam laude ad SS. Trinitatem, quae *doxologia* dicta fuit.

Ex graecis vocibus δόξα et λογία quibus constat doxologia idem est ac sermo laudatorius, seu *glorificatio*. Hinc cum agitur de hymnis, sub nomine *doxologiae,* venit ultima hymni strophe, in qua SS. Trinitati debitas laudes persolvimus. Quum vero nonnulli hymni concludantur cum strophe propria quidem, in qua tamen nulla explicita laus SS. Triadi tribuitur, *doxologia* improprie diceretur, ideoque consultius ultima hymnorum strophe *conclusio* vocatur, quod ab ipsa S. R. C. acceptum est, in indice enim Decretorum (pag. 164) legimus *Doxologia, vide Conclusio hymnorum.*

Quoniam vero in hac Rubrica decernitur variatio conclusionis hymnorum in quibusdam festis, pretium est operis, inquirere, quid exposcatur, ut doxologia aliqua possit et debeat per omnes horas alicuius Festi, vel per aliquam octavam, vel per aliquod anni tempus. Tres requiruntur conditiones, nempe:

I. Ut in festo, vel per Octavam, vel per anni tempus, agatur de Mysteriis Domini, vel de B. Maria Virgine.

II. Ut in ipsa hymnorum conclusione expresse proprio nomine aut aequivalenter Augustissimae Triadis Personae singulae nominentur, eisque directe laus tribuatur.

(1) Vide *Ephem. Liturg.*, An. XIX, pagg. 233-240 et 283-292.

Digitized by Google

III. Ut conclusio ipsa sit metro exarata quem vocant *iambicum - dimetrum*, et iis tantummodo hymnis coniungatur qui sint in praedicto metro.

Quarum conditionum si vel una desit, conclusio, licet Festo diei propria, nequit in ceteris hymnis assumi.

Est I conditio, ut in festo, per octavam, vel per anni tempus agatur de Mysteriis D. N. vel de B. M. V.

« Revera, ait citatus P. Paschalis, neque in Rubricis generalibus Romani Breviarii ullus reperitur locus, ubi Angelorum aliorumve Coelitum Festis vel Officiis attribuatur clausula propria ad omnes Horas diei recitanda: neque ullum in Breviarii ipsius corpore exemplum prostat, quo talis conclusio Hymnorum Angelis aliisque Sanctis indulgeatur. Propterea Sacra Rituum Congregatio per Decretum sub num. 2059 ad 3 declaravit, in Festo et per Octavam Sanctorum Angelorum Custodum Hymnos eiusdem metri terminari non posse, sicut absolvitur eorum Hymnus in Laudibus, per stropham: " *Deo Patri sit gloria, - Qui, quos redemit Filius, - Et Sanctus unxit Spiritus, - Per Angelos custodiat* ". Immo, ne vel exiguum hac in re dubium superesset, sub num. 2682 eadem Sacra Rituum Congregatio, interrogata: " 51. *Sunt multi Hymni, qui habent conclusionem propriam: Conclusio ista semperne adhibenda est etiam in Completorio?* ": generalissimo responso controversiam omnem diremit, simulque abstulit spem impetrandi pro aliquo Sanctorum Officio conclusionem propriam ad omnes Horas dicendam, cui forsan Praefatio Missae propria iam fuerit obtenta; ita nempe inquiens: " *Ad 51. Negative, nisi in Festis Domini et Beatae Mariae Virginis* " ».

Oportet autem, secundo, quod tres singillatim nominentur Personae SS. Trinitatis, eisque laus directe tribuatur.

« Hanc... normam, prosequitur laudatus P. Paschalis, etsi nullus Auctor Sacrae Liturgiae nunc usque explicite praefiniat, optime exempla nihilominus Romani Breviarii confirmant; prouti e conclusione Hymnorum Temporis Natalitii atque Paschalis,

Digitized by Google

necnon Festorum Domini ac Deiparae Doxologiam propriam obtinentium et in omnibus diei Canonicis Horis adhibendam, eruitur. Si enim singularum Sanctissimae Trinitatis nominatio desit Personarum, vel directa earumdem laus et glorificatio quandoque omittatur, Hymni conclusionem specialem rectius quam Doxologiam habere dicendi sunt propriam, quae in ceteras Horas diei suum exercere valeat influxum.

« Reapse, si causam inquiramus cur infra Tempus Quadragesimae vel Passionis nulla Doxologia per omnes Horas diei propria mandetur assumi, nullaque pariter in nonnullis Domini Festis ipsius Passionem recolentibus; prima equidem fronte videbimus, hanc non aliam esse rationem, quam quod conclusio Hymnorum ad alterutras vel utrasque Vesperas aut ad Matutinum sive ad Laudes, licet propria, tamen singulas Sanctissimae Triadis personas non exprimit, neque illis directam laudem importat. Rem exemplis confirmemus: 1. Ad Vesperas et Matutinum tempore Quadragesimae ita finiuntur Hymni: " *Praesta, beata Trinitas, - Concede, simplex Unitas, - Ut fructuosa sint tuis - Ieiuniorum munera* "; ad Laudes vero: " *Te prona mundi machina, - Clemens adoret, Trinitas, - Et nos novi per gratiam - Novum canamus canticum.* 2. Ad Vesperas Tempore Passionis Hymnus sic absolvitur: " *Te, fons salutis, Trinitas, - Collaudet omnis spiritus: - Quibus Crucis victoriam - Largiris, adde praemium* ". 3. Ad Laudes in Festo Pretiosissimi Sanguinis Hymnus sequenti modo concluditur: " *Summi ad Parentis dexteram - Sedenti habenda est gratia, - Qui nos redemit Sanguine - Sanctoque firmat Spiritu* ". Merito itaque, Apostolica Sedes vel Sacra Rituum Congregatio istas aliasque conclusiones in omnibus Horis diei sumendas minime concessit, uti superius vidimus: quia, licet hae sint maxime propriae Mysteriis vel Temporis vel Officii sive Octavae Domini, quod respective celebratur; ipsae tamen vel singulas Trinitatis Personas non exprimunt, vel omnibus ac singulis directam laudationem minime amplectuntur.

Digitized by Google

« Quam ob causam, in Officiis plures obtinentibus clausulas peculiares, posthabita iugiter conclusione magis appropriata, sed tres nominatim Personas non exprimente aut eas singillatim ac directe non laudante, in omnibus diei Canonicis Horis usurpanda potius Doxologia, minus utique propria, sed singulas apte Personas Sacratissimae Triadis nominatas glorificans, assignetur. Ita in Festo Ascensionis Domini, omissa conclusione Hymni ad Vesperas et Laudes, quae maxime tali Mysterio respondet: " *Tu Dux ad astra et semita, - Sis meta nostris cordibus, - Sis lacrimarum gaudium, - Sis dulce vitae praemium* ", adhibenda per omnes Horas praescribitur Doxologia minus utique propria: "*Iesu, tibi sit gloria, - Qui victor in coelum redis, - Cum Patre et almo Spiritu - In sempiterna saecula* " ».

« ... Nullum ergo dubium esse potest, quin Doxologia tres distinctim Personas Sanctissimae Trinitatis nominare eisque directam laudationem impendere necessario debeat, ut possit per omnes diei Festi vel Octavae vel specialis Temporis Horas Canonicas adhiberi; quemadmodum exemplis omnibus in Breviario Romano eiusque additamentis eruitur, necnon ex Doxologia maiori sive *Gloria in excelsis* et ex Doxologia minori sive *Gloria Patri* abundantius firmatur, ubi singillatim tres nominari iugiter Personas Beatissimae Triadis laudarique simul agnovimus ».

Tertia conditio, ut conclusio aliqua hymnorum per omnes Horas diei congruenter assumi valeat, illa est, quod ipsa conclusio sit metro iambico - dimetro exarata, quo gaudent hymni ad Horas minores et ad Completorium quotidie.

« In Hymnis namque, sequitur praelaudatus liturgicus scriptor, per Horas ipsas minores adhibendis nequit omnino subnecti Doxologia, quamvis undique propria, si haec diverso exarata metro comperiatur; quum Rubricae generales Breviarii Romani, sub Tit. XX et num. 4, expresse requirant ad licite usurpandam Doxologiam Officiis quibusvis propriam, ut " *Hymni illi sint eiusdem metri* ". Ratione igitur metri diversi, conclusio Hymnorum ad Vesperas et Laudes in Festo Orationis Do-

Digitized by Google

mini nostri Iesu Christi propria, quae metro sapphico minori redacta invenitur, nullimode valet ad Horas minores accipi, in quibus Hymni metrum iambicum-dimetrum assequuntur, neque idcirco haec possunt ullatenus Doxologiam excipere: " *Laus honor Patri, genitaeque Proli, - Cui datum nomen super omne nomen, - Et Paracleto decus atque virtus - Omne per aevum* ".

« Attamen nonnulli forsan reperiuntur, qui hanc Doxologiam merito usurpari posse arbitrentur in Officiis Sanctorum infra Octavam maxime Festivitatis Domini, sicubi eiusmodi concessa in honorem Mysterii praefati fuerit Octava, et Hymni Vesperarum aut Matutini vel Laudum sint aequalis metri et conclusionem communem alioquin habere videantur; prouti nempe communis est, ad Matutinum de Communi Virginum et non Virginum, clausula sequens: " *Sit decus Patri, genitaeque Proli, - Et tibi, compar utriusque virtus - Spiritus, semper, Deus unus, omni - Temporis aevo* ". Quamvis autem hoc fieri per se nullatenus repugnet, usus tamen probatissimus et constans Breviarii Romani omnino prohibet, quominus Doxologia a metro iambico-dimetro difformis possit quibusvis ad Vesperas et Matutinum atque Laudes Hymnis, etiamsi eodem ac ipsa metro exaratis et conclusionem habentibus communem, ratione Officii vel Octavae vel Temporis applicari. Et merito quidem: nam conclusiones eiusmodi, alio metro quam iambico-dimetro in quibuslibet Officiis redactae, ita propriae sunt Hymnorum quicum adnectuntur, ut congrue nequeant ad alios Hymnos, qui et ipsi specialem sibi clausulam communiter obtinent, unquam transferri; et in omni casu inconveniens prorsus videtur, ut Doxologia quae *unice* et *non semper* in *tribus* Horis maioribus valet usurpari, non possit ad Horas *quinque* minores extendi, in iisque debeat communis proinde conclusio vel diversa penitus retineri ».

Quartam conditionem, addit ipsemet P. Paschalis, nempe, ut propria conclusio « vel in libris liturgicis, vel in Apostolicae Sedis Decretis tamquam ad omnes Horas assumenda ordinetur ». Haec certo certius conditio requiritur, cum nemini fas sit ali-

Digitized by Google

quid addere, vel variare vel minuere in textu Breviarii absque S. Sedis adprobatione, nihilominus in ea explicanda non immoramur, sed sufficiat tres primas conditiones exposuisse, ut lectores nostri sciant qua ratione doxologia propria assumi possit in hymnis horarum.

Quibus ex dictis concludendum est, haberi in Romano Breviario doxologias hymnorum *proprias*, quatuor specierum, nempe propriam *Hymni*, propriam *Officii diei*, propriam *Octavae*, et propriam *Temporis*.

Dicitur doxologia, vel conclusio, propria *hymni*, illa quae ita connectitur cum hymno ipso, ut cum eo unum efficiat; eiusmodi sunt conclusiones quas recensuimus supra in nota 701. Dicitur doxologia propria *officii diei* illa quae dicenda est ex Rubricis in hymnis horarum officii quod ea die persolvitur, sive ratione festi quod celebratur, sive ratione diei infra octavam, sive ratione officii votivi.

Dicitur doxologia propria *Octavae*, illa quae dicenda est per totam octavam, etiamsi officium persolvatur de aliquo Sancto duplici vel semiduplici, vel de Dominica intra eamdem octavam occurrentibus.

Dicitur tandem doxologia propria *Temporis*, illa quae in omnibus hymnis adnectenda est quibusdam anni temporibus, uti iam innuimus, puta toto tempore Paschali.

Notandum ergo, quod aliqua doxologia potest esse propria, *Officii diei*, *Octavae*, et *Temporis*. Ex. gr. doxologia *Iesu... qui natus es etc.* est propria officii diei in festo Nativitatis Domini, in die qua agitur officium de infra Octavam ipsius, et in festo Circumcisionis; est propria Octavae, in officiis S. Stephani, S. Ioannis Evang., Ss. Innocentium, S. Thomae Cantuar. et S. Silvestri quae occurrunt in dicta octava; est propria de Tempore Natalitio, in diebus quae decurrunt a die 1 Ianuarii usque ad Epiphaniam.

Potest ergo dari casus in quo aliqua die plures occurrant conclusiones hymnorum *propriae*. Ex. gr. die 18 Maii celebra-

Digitized by Google

tur festum S. Venantii M. cuius hymni conclusionem propriam habent, sed in mea ecclesia occurrit hoc anno dies infra Octavam B. Mariae tit. Pacis, quae habet doxologiam *Iesu... qui natus...* et simul occurrit in Tempore Paschali, in quo dicitur doxologia: *Deo Patri... Et Filio qui a mortuis...* Regula in casu clarissima est; dicit enim Rubrica, doxologiam de Octava vel de Tempore esse assumendam *dummodo hymni non habeant ultimum versum* (lege stropham) *proprium.* Ergo quae magis est propria dicitur prae aliis quae minus sunt. Hinc in casu nostro, in fine hymnorum S. Venantii in Vesperis, Matutino et Laudibus dicam conclusionem suam propriam; in horis minoribus sumam doxologiam de octava, relicta doxologia paschali.

(*Continuabitur*). Doct. PETRUS PIACENZA.

# Consultationes.

## I. — Dubiorum liturgicorum solutio.

EX HISPANIA.

**Dub.** – Sacerdos obligatus ad applicandam Missam *pro defunctis*, satisfacitne celebrando Missam Officio conformem, si ritus diei Missam de requie permittat? E contra, Sacerdos obligatus ad applicandam Missam *pro vivis*, satisfacitne celebrando Missam de requie, diebus hanc permittentibus?

**Resp.** – Si fundatores vel dantes eleemosynam *expresse* Missas de requie, seu cum paramentis nigris, postulaverint, « diebus quibus dici possunt Missae votivae privatae vel defunctorum, Sacerdos ad illas obligatus ratione fundationis vel accepti manualis stipendii, propriae obligationi *non satisfacit*, dicendo Missam de die occurrente: *expressa* enim voluntas testatorum vel postulan-

Digitized by Google

tium, dummodo sit rationabilis, debet adimpleri (S. R. C., 3 Mart. 1761, n. 2461[7]) ». Ideo qui *absque legitima ratione* aliam Missam in casu dicat, a peccato veniali excusari non potest, quamvis Missa quoad substantiam eadem sit (Gury-Ballerini-Palmieri, *Comp. Theol. mor.*, tom. II, n. 189). Si vero dies non impediti pro Missis votivis vel de requie iam acceptatis et nondum celebratis deficiant, sufficit applicare valorem Missae currentis (S. R. C., 19 Mai 1614, n. 321, et 30 Iun. 1896, n. 3922, § IV ad 3).

Item Sacerdos obligatus ad celebrandam Missam pro defuncto *in altari privilegiato*, diebus Missas de requie permittentibus, ad indulgentiam plenariam lucrandam debet semper Missam de requie celebrare (S. R. C., 27 Aug. 1836, n. 2743[5], ac 22 Iul. 1848, n. 2962; S. C. Indulg., 11 April. 1840, n. 281 ad 2 et 3). Nihilominus Sacerdos celebrans in altari privilegiato, legendo Missam de festo semiduplici, simplici, votivam, vel de feria non privilegiata, *sive ratione expositionis SS. Sacramenti, sive Stationis ecclesiae, vel alterius solemnitatis, sive ratione Missae conventualis*, fruitur privilegio, ac si legeret Missam de requie per Rubricas eo die permissam (S. C. Indulg., 11 April. 1864, n. 404, et 29 April. 1903, *Gerunden.*, apud *Ephem. Liturg.*, vol. XVII, pag. 330).

Praeter expositos casus, Sacerdos *satisfacit* obligationi celebrandi Missam pro defuncto, servando ritum feriae, vel cuiuscumque Sancti, etiamsi non sit semiduplex aut duplex (S. C. Indulg., 11 April. 1840, n. 281[4]). Sacra autem Rituum Congregatio ad dubium, utrum Sacerdos obligatus, sive ex fundatione sive ex stipendio accepto, ad celebrandam Missam pro uno vel pluribus defunctis, satisfaciat suae obligationi, applicando pro iisdem defunctis Missam Officio diei conformem *in semiduplicibus aliisque diebus Missas quotidianas de requie permittentibus*, an teneatur dictis diebus celebrare Missam de requie, etiamsi fundator, vel dans eleemosynam, Missam de requie expresse non postulaverit, nec Missa celebranda sit in altari privilegiato, die 28 Aprilis 1902 in una *Labacen.* ad XV (apud *Ephem. Liturg.*, vol. XVI, pag. 353) rescripsit: « Detur Decretum n. 4031, *Plurium dioecesium*, 13 Iu-

Digitized by Google

nii 1899 ad IV »; idest Sacerdos in casu satisfacit obligationi suae, Missam dicendo Officio conformem, dummodo eam applicet iuxta intentionem dantis eleemosynam, « sed *consultius est*, ut, quantum fieri possit, *intentioni* eleemosynam erogantis satisfiat per Missam de requie ». Missa enim de requie, si a Rubricis Decretisque permittatur, *ex parte orationum*, quae sunt ad hoc determinatae, magis prodest defunctis, quam Missa de die aut de Sanctis (Gury-Ballerini-Palmieri, *Comp. Theol. mor.*, tom. II, n. 165): ideo praesumitur, dantem eleemosynam velle Missam *de requie*, quoties applicanda sit pro defunctis, diebus eam permittentibus.

Ad Missam de requie *pro vivis* applicatam quod attinet, sequentia dubia proposita sunt S. Congregationi de Propag. Fide: « 1° An liceat Sacerdotibus uti paramentis nigris, et celebrare Missam de requie, ut satisfaciant obligationi, quam susceperunt, celebrandi secundum intentionem dantis eleemosynam, quando prorsus ignorant, quaenam sit illius intentio, pro defunctis necne? 2° An liceat Sacerdotibus uti paramentis nigris et celebrare Missam de requie, ut satisfaciant obligationi, quam susceperunt, celebrandi *pro vivis*? » Quibus dubiis S. C. de Prop. F., die 13 Oct. 1856, respondit: « Ad 1^um^. *Affirmative;* ad 2^um^. *Affirmative*, modo non diverse praescripserit qui dedit eleemosynam (cfr. Bucceroni, *Enchirid. morale*, edit. 3^a^, n. 612) ». Huic declarationi omnino consonat Decretum S. R. C., d. 29 Nov. 1856, quod citatur a Gury-Ballerini-Palmieri (*Comp. Theol. mor.*, tom. II, n. 165) et a Schober (*De caerem. Missae*, append. V, cap. II, n. 6), quamvis in authentica Decretorum collectione desideretur. Praeterea S. Poenitentiaria, die 7 Decembris 1892, licitum declaravit usum in quadam ecclesia vigentem celebrandi omnes Missas ad intentionem Superioris, etiamsi ex hoc modo procedendi sequatur, Missam *pro vivis* postulatam, vel votivam in honorem alicuius Sancti, in paramentis *nigris* quandoque celebrari (cfr. *Il Monitore ecclesiastico*, vol. VIII, par. I, pag. 220).

Equidem caritas in defunctos etiam vivis apud Deum valde prodest; insuper specialis pietas Celebrantis erga Purgatorii ani-

Digitized by Google

mas, haud vero celerior Missae expeditio vel quid simile (De Herdt, *S. Liturg. Prax.*, tom. I, n. 27), est causa rationabilis ac sufficiens ad Missam de requie celebrandam diebus eam permittentibus, etsi haec pro vivis applicetur, nisi aliter praescripserit qui stipendium dedit. Contrariam igitur nonnullorum doctrinam (cfr. *Ephem. Liturg.*, vol. XVI, pag. 684, et vol. XVII, pag. 694) nimis rigidam iudicamus.

Cum autem inter theologos disputetur, an Purgatorii animae pro viventibus orare queant et aliquid iisdem impetrare, consultius est, ut pro vivis, vel dicatur Missa votiva congruens, si ritus eam permittat, vel dicatur Missa Officio conformis, quo melius vivorum intentioni, qui stipem erogant, consulatur (cfr. Cavalieri, tom. III, cap. X, n. 21, et decr. 69, n. 3).

Convenit tamen, ut in Missa defunctorum *pro vivis* applicata communes dicantur orationes, quae pro Missis quotidianis in Missali prostant, uti faciendum est quando *pro defunctis in genere* Missa celebratur (Rubr. Miss., tit. V, n. 4, et S. R. C., n. 3920[3]); dici enim nequeunt speciales orationes, quae supponant aliquem vivum iam e vita excessisse, cuiusmodi v. gr. est oratio *Inclina*, in qua habetur « *quam de hoc saeculo migrare iussisti* »; quia hoc ipso mendacium diceretur (Cavalieri, decr. 69, n. 2).

Si vero agatur de Missa *exequiali*, quam Sacerdos celebret non recepto stipendio, atque ideo *pro vivis* eleemosynam offerentibus applicet (cfr. Decr. S. C. Conc., 27 April. 1895, apud *Ephem. Liturg.*, vol. X, pag. 292), hoc in casu dicetur unica oratio assignata pro die obitus seu depositionis, et ad litteram N. nominabitur defunctus, in cuius levamen Missa sine applicatione celebratur.

E Placentia.

**Dub.** – Coadiutor primae Dignitatis, si una cum Coadiuto simul Choro intersit et Coadiutus altari inserviat, potestne aliquam actionem, quae ad Coadiutum pertinet, exercere, v. gr. naviculam incensi Episcopo assistenti porrigere, eundem Episcopum thurificare, pacem eidem deferre?

Digitized by Google

**Resp.** – *Negative.* Coadiutus enim et Coadiutor iuridice *unam tantum personam* repraesentant, ideoque simul quotidianas distributiones lucrari nequeunt, sed unica tantum distributionum portio illis debetur, uti pluries declaravit S. C. Concilii (cfr. De Herdt, *Prax. Capit.*, cap. XI, § 4, n. II, et § 5, n. VIII). Quare sicut, Coadiutore primae Dignitatis altari assistente, praesens Coadiutus debet in suo stallo Choro interesse simpliciter et materialiter, nullam nec secundariam actionem exercens, uti ex. gr. offerendi thuribuli naviculam Episcopo assistenti, pacis osculum dandi etc., ita viceversa, Coadiuto (prima Dignitate) *altari inserviente*, eius Coadiutor « *non poterit similiter se gerere* (S. R. C., 21 April. 1882, n. 3544[2]) », idest *non poterit altari inservire*, neque ullam actionem specialem exercere, quae ad praesentem Coadiutum pertineat.

## II. — Breviora responsa.

PRO PARISIIS.

1. Non expedit, ut in festis S. Canuti Regis et S. Remigii Episcopi, quae sunt semiduplicia *ad libitum*, Calendarii ordinator Officium votivum indicet; consultius enim est, Officium Sancti *ad libitum* persolvi, posthabito Officio votivo, quoties illius recitatio a Rubricis permittitur. Cfr. *Ephem. Liturg.*, vol. XVI, pag. 329. Quod siquis privatim loco Officii *ad libitum*, persolvere velit aliquod ex Officiis votivis *vi specialis indulti* concessis, illud eligat, quod respondet diei in indulto assignatae.

2. Concurrente festo Fugae D. N. I. C. in Aegyptum (dupl. mai.) cum primis Vesperis Commemorationis Passionis eiusdem D. N. (dupl. mai.), Vesperae dividendae videntur; quamvis enim idem sit *subiectum*, nempe Dominus, diversum tamen est festi *obiectum* in casu. Cfr. *Ephem. Liturg.*, vol. XVII, pag. 132, et Decr. S. R. C., 3 Iul. 1896, n. 3924 ad IV. Equidem in festo Fugae D. N. I. C. non recolitur eius Passio, sed potius liberatio a Passione; ideoque deest identitas mysterii.

Digitized by Google

# Palaestra liturgica.

## SOLUTIO QUAESTIONIS
## pro mense Ianuario 1906 propositae.

### De Missa votiva pro gratiarum actione.

**Quaestio.** – Cum dicitur Missa votiva, sive privata, sive solemnis, pro gratiarum actione, Oratio *Deus, cuius misericordiae* etc. potestne an debet semper primae orationi coniungi sub unica conclusione?

**Solutio.** – Non desunt auctores probati, qui distinguunt Missam votivam pro gratiarum actione solemnem ab altera quae sit solummodo privata; et praesertim cl. De Herdt, citans Gavantum (part. I, tit. VII, n. 7, lit. n), Merati (part. I, tit. IV, n. 24), Lohner (part. II, tit. XI, n. 5), Vinitorem (part. I, tit. VII, n. 9), Guyetum (lib. IV, cap. 21, q. 12) et S. Alfonsum de Ligorio (lib. VI, n. 423), expresse docet, probabiliter unionem Orationis *Deus, cuius misericordiae* cum prima Oratione memoratae Missae locum non habere nisi in votiva solemni, sed in Missa privata Orationem supradictam recitandam esse sub distincta conclusione. Ipse Quarti, transitorie loquens de praesenti quaestione (tit. IV, dub. I), non aliter se exprimit: « Tertio, *in votivis privatis* pro gratiarum actione secunda oratio erit de officio, tertia pro gratiarum actione... Quinto, *in Missa solemni* pro gratiarum actione dicuntur duae orationes assignatae in proprio loco sub unica conclusione »; sed quando ex professo casum tractat tit. VII, sibi proponens hoc dubium 4 « *An prima oratio Missae coniungi possit aliquando cum secunda sub unica conclusione?* », perpensa ratione dubitandi cum argumentis pro vel contra, concludit, etiam in Missis privatis, Orationem illam pro gratiarum actione coniungendam esse cum prima de Trinitate sub eadem conclusione.

Digitized by Google

Quibus dictis, ut unusquisque pro suo modulo iudicare possit ubi sit veritas, nunc exponenda sunt momenta quibus innititur utraque sententia, una simul cum difficultatis origine solvendae.

Causa dubitandi - an prima oratio Missae coniungi possit vel debeat cum secunda sub eadem conclusione - « ex una parte est, inquit Quarti, quia in Rubrica, n. 7 (tit. VII) dicitur ut prima tantum oratio et ultima cum sua conclusione terminetur, videlicet *Per Dominum nostrum* etc. Ergo prima oratio debet semper habere suam conclusionem distinctam. Ex alia vero parte, in Rubrica propria Missae votivae de Trinitate, quando dicitur pro gratiarum actione, assignatur alia oratio dicenda sub eadem conclusione cum prima ».

Deveniens postea ad explanationem praefatae difficultatis, prosequitur: « Prima sententia est Gavanti, 1ª parte, tit. VII, litt. n, quae docet, *in Missa solemni* posse quidem uniri duas orationes sub unica conclusione, ut ex duabus fiat una, ratione solemnitatis; unica enim oratio ad solemnitatem pertinet; caeterum *in Missis privatis* id fieri non posse, sed terminandam esse primam orationem de Trinitate cum sua conclusione, et postea dicendam esse aliam pro gratiarum actione cum coeteris assignatis pro Missis privatis. Probatur quia hic ritus coniungendi duas primas orationes sub unica conclusione est exorbitans et valde alienus a ritu usitato in Missis privatis; ergo non admittendus. Ad rubricam autem novi Missalis quae oppositum praescribit, ut supra diximus, respondet Gavantus, eam additam fuisse sine superiorum facultate ».

Audi pariter Guyetum: « *In solemni item Missa* pro gratiarum actione, sive fuerit de Trinitate, sive de Spiritu Sancto, aut de B. Maria, ..., additur primae orationi sub una conclusione oratio pro gratiarum actione *Deus, cuius misericordiae*. Ita Missale recognitum, ut iam non sit amplius dubitandum, Gavantus licet contrarium doceat, part. IV, tit. XVII, n. 15. Iam vero *in Missis votivis privatis*... oratio pro gratiarum actione, 2° semper loco dicitur, ait idem Gavantus paulo ante; sed an non iungenda primae

Digitized by Google

sub una conclusione? Asseritur in Caeremoniali Monastico, lib. 3, cap. 13, n. 7, et videtur favere Missale nuperrime recognitum, in quo addita fuit ad Rubricam huiusce orationis, clausula ista *sub una conclusione*. Existimo tamen probabilius cum eodem Gavanto, subdit Guyetus, id praestandum *in Missa solemni* dumtaxat, *non autem in privatis*: quod a pari probat ille de orationibus in collatione ordinum... quae omnes uniuntur sub uno *Per Dominum*, maioris celebritatis gratia, ut videlicet unica videatur orario; at celebritas eiusmodi nonnisi propria est Missarum solemnium ».

Perge, si placet, et interroga Meratum; eamdem doctrinam, sed nitidius, invenies. « In Missa vero illa votiva de SS.ma Trinitate, quae dicitur pro gratiarum actione, sub una eademque conclusione cum oratione prima dicitur alia oratio tantum *Deus, cuius misericordiae* etc. in Missis solemnibus cantandis pro re gravi vel pro publica Ecclesiae causa; in Missis vero privatis, secunda oratio erit Officii de more, et tertia de gratiarum actione, quae incipit, ut supra, *Deus, cuius misericordiae*, cum suis solitis conclusionibus (Gavant., part. I, tit. VII, n. 7, lit. n.; Bissus, lit. m. n. 233, § 2; Guyetus, lib. IV, cap. 21, q. 12, § 2; Gerlacus Vinitor, part. I, tit. 7, n. 7, § 7; Hagerer, loc. cit., n. 7; Halden, part. 3, tit. VII) ».

Denique, ita quoque sentiunt Schober, Victorius ab Appeltern (tom. I, pag. 135, q. 43), Van Der Stappen (tom. II, q. 233) et S. Alfonsus. Sed cum bona pace et venia tantorum Doctorum in re liturgica plurima auctoritate pollentium, opposita sententia, ut verbis cl. Quarti utar, mihi videtur absolute vera et omnino sequenda, nempe *etiam in Missis privatis*, orationem illam pro gratiarum actione coniungendam esse cum prima de Trinitate sub eadem conclusione, quando Missa principaliter dicitur pro gratiarum actione.

Probatur, quia in Rubrica propria supra citata de Missa pro gratiarum actione, ita simpliciter praescribitur, nulla facta distinctione inter Missam solemnem et privatam. Quare nos distinguemus?

Digitized by Google

Ratio reddi potest. Nam quando dicitur Missa principaliter pro gratiarum actione, debet in ea dici prima oratio eidem Missae congruens, idest pro gratiarum actione; semper enim prima oratio correspondet Missae propriae. Sed in casu nostro dicitur Missa proprie et principaliter pro gratiarum actione. Ergo debet in ea dici prima oratio pro gratiarum actione. Rursus, cum propria Missa gratiarum actionis sit eadem cum Missa de Trinitate, ideo praescribitur ut utraque oratio Trinitatis et gratiarum actionis dicatur sub una conclusione, tanquam unica oratio primo loco recitanda: ut sic distinguatur Missa propria gratiarum actionis ab aliis de Sanctis ex. gr. quibus addi potest collecta pro gratiarum actione sub altera conclusione.

Ad argumenta oppositae sententiae respondetur ad 1^um^, illum ritum non esse novum nec exorbitantem, et esto per novam Rubricam ritus huiusmodi a Missis solemnibus fuerit extensus ad Missas privatas, servari tamen omnino debet; nam in Missali recognito nonnulla fuere mutata in melius et de novo addita. — Ad 2^um^ respondetur, falsum omnino esse, illam Rubricam fuisse in Missali appositam absque facultate Superiorum, ut manifeste convincitur in Missali Romano impresso summa et exquisita diligentia anno 1635 in Typographia Apostolica, et postea recognito accurate iussu Summi Pontificis Urbani VIII, qui tandem in sua Bulla initio Missalis apposita praecipit, ut non imprimantur in posterum Missalia, nisi ad illius exemplar: in quo tamen Missali et in aliis successive impressis habetur illa Rubrica de duplici oratione sub unica conclusione dicenda. — Quoad rationem dubitandi allegatam, scilicet quia Rubrica imperat terminari cum sua conclusione primam tantum orationem et ultimam, omnes norunt quod haec praescriptio nullo modo vetat alteram orationem cum prima oratione *in quibusdam determinatis casibus* sub eadem conclusione. — Denique frustra dicunt nostri contradictores, coniunctionem duarum orationum in unam pertinere ad solemnitatem, quia Missae votivae privatae, non obstante ista duarum orationum unione, non ideo privantur suis aliis orationibus dicendis iuxta Rubricas.

Digitized by Google

Unde arbitramur, ab hac ultima sententia non esse in praxi recedendum, quin unquam opponi possit Decretum S. R. C., n. 3605 ad dub. IV; si enim hoc loquitur tantum de Missa *solemni* pro re gravi, hoc provenit ex eo quod petitio nonnisi hanc Missam respiciebat.

A. FOURNERET
ex Acad. Liturg. Rom. Censoribus.

## QUAESTIO A CONSOCIATIS SOLVENDA pro mense Augusto 1906.

### De usu pileoli.

Quaeritur: 1° Quandonam in sacris functionibus pileolus adhiberi possit? — 2° An Episcopus Missae solemni assistens, pileolum statim post elevationem reassumere valeat, atque ius habeat permittendi, ut Parochus Viaticum deferens, pileolum in capite teneat?



Digitized by Google

# Ius Liturgicum.

(*Continuatio*. V. num. 5, anni curr., pagg. 311–317).

## De S. Liturgiae fontibus.

### XXXII. *Fontes vivi seu hodierni.*

172. Fontes hodiernae romanae Liturgiae sunt quinque: 1. *Missale* (ex Bulla S. Pii V, d. d. 14 Iulii 1570 et publicata d. 29 eiusdem); 2. *Breviarium* (ex Bulla item S. Pii V, d. d. 9 Iulii 1568 et publicata d. 15 eiusd.); 3. *Martyrologium* (ex Apostolicis Litteris Gregorii XIII, dd. d. 14 Ianuar. 1584); 4. *Pontificale* (ex Apost. Litt. Clementis VIII, dd. d. 10 Februar. 1596); 5. *Rituale* (ex Apost. Litt. Pauli V, dd. d. 17 Iunii 1614).

173. Liturgistae omnes inter hos ponunt etiam *Caeremoniale Episcoporum*, iussu Clementis VIII (ex Apost. Litt. dd. d. 14 Iulii 1600) editum. At, cum hic liber non contineat sacros liturgicos ritus, sed leges sive normas tantummodo eos exequendi, praecipue in Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis, nos illum inter Codices proprie dictos ponere nequimus, ac proinde tamquam alterius generis fontem considerare malumus, cum sit potius directorium sacrorum actuum.

174. Huius generis sunt etiam *Graduale* et *Antiphonarium*, quae similiter directoria sunt, pro *Cantu* in Missis et Officiis exequendo.

175. Addititius fons S. Liturgiae vocari possunt tum *Conciliorum Acta*, tum *Constitutiones Pontificiae*, tum *S. Rituum Congregationis Decreta*; haec enim vel novos interdum induxerunt seu reformarunt Ritus, vel antiquos interpretata sunt, seu declararunt.

176. Horum fontium quasi appendices, habemus: 1. *Memoriale Rituum*, Benedicti XIII iussu, ad usum Ecclesiarum Parochialium minorum Urbis, editum, ex decreto particularis Con-

Digitized by Google

gregationis, sub die 4 Decembris 1724 indictae, pro nonnullis ad S. Visitationem Ecclesiarum Parochialium Urbis spectantibus. Cum tamen hodie in Alma Urbe Parochiales Ecclesiae omnes aequiparatae sint, ita ut non amplius distinguantur in maiores et minores, atque ideo omnes sufficienter dotatae fuerint, cessavit ibi necessitas Memorialis istius (His postremis temporibus, ex quibusdam rerum adiunctis, interdum ad illud recurrere rursus necesse fuit). Extra Urbem vero, iamdudum, ubi copia non esset ministrorum, vel cantorum, functiones in illo Memoriali descriptae profecto celebrabantur, prout melius visum unicuique fuisset, Rubricis inhaerendo; at, publicato Memoriali, procul dubio isti sese quisque Parochus conformari debuit. Quod sane prima vice a S. Rituum Congregatione praeceptum fuit in *Tuden.*, die 23 Maii 1846 (n. 2915[1]): « Servetur parvum Caeremoniale a s. m. Benedicto Papa XIII ad hoc editum ». In aliis tamen Ecclesiis istiusmodi functiones minime fieri valent hac forma, nisi accedat Apostolicum Indultum (Decr. 16 Martii 1876, in *Mechlinien.*, n. 3390, et 9 Decembr. 1899, n. 4049, in *Comen.*).

177. Habemus 2. *Octavarium Romanum*, a cl.mo P. Bartholomaeo Gavanto exaratum, in quo exhibentur Lectiones II et III Nocturni, Octavarum proprias, pro iis festis, quae in Breviario Romano non inveniuntur cum octava. In illius editionibus haec approbatio, a S. R. Congregatione data, invenitur: « Octavarium hoc a R. P. Bartholomaeo Gavanto, Clerico Regulari S. Pauli, celebrandis cum octava festivitatibus iampridem elaboratum, ac referente bon. mem. Illustrissimo Card. Bellarmino a Sacr. Rit. Congregatione non semel laudatum probatumque, ut recitari possit, ne diutius religiosi viri desiderarent, eadem Congregatio posse imprimi seorsum a Breviario, unanimi Illustrissimorum Patrum consensu decrevit, die 19 Februarii 1622. — Franc. Card. a Monte. — Io. Bapt. Rinucinus Secret. ».

178. Romae insuper, alia habetur similis quaedam appendix: *Instructio Clementina*, quae data est primum, die 20 Ianuar. 1705, a Clemente XI, postea vero rursum a Clemente XII, die 1 Se-

Digitized by Google

ptembr. 1736, pro expositione SS.mi Sacramenti in forma XL Horarum, in qua tamen plura exhibentur, quae respiciunt sive alias sacras functiones, sive etiam ceteras quascumque Ecclesias.

179. Sed et ea, quae almam tantum Urbem ibi tangunt, *laudabiliter* a S. R. Congregatione adhiberi dicuntur et extra (*Patavina*, 12 Iul. 1749, n. 2403); imo eadem S. C., die 9 Maii 1857, in *Cadurcen.*, n. 3049[4] edixit, inhaerendum esse, *quantum fieri potest Instructioni Clementinae*; et die 18 Martii 1899, in *Alatrina*, n. 4015[5]: « Expedit servare Instructionem Clementinam ».

## XXXIII. *Fontes exhausti seu veteres.*

180. Antiqui fontes, prioris, quod distinximus, generis, libri nimirum quos tamquam veros Codices habuere maiores nostri, prout ad nos pervenerunt, sunt *Sacramentaria romana* tria: *Leonianum*, *Gelasianum*, *Gregorianum*.

181. Primum demonstrat statum romanae Liturgiae, ait clariss. Veneroni, a S. Damaso (366-384) ad S. Leonem (440-461) (Hoc Sacramentarium a Thalhofer non ponitur inter codices proprie dictos). At mutilum est; incipit nimirum a mense aprili, et caret *Canone*; illius ordo porro valde turbatus est.

182. Alterum, quod, iuxta Thalhofer, est *antiquior romana collectio authentica orationum Missae* (492-496), in tres partes dividitur: 1ª pertractat de anni circulo, 2ª de festis Sanctorum, 3ª de diebus dominicis. Lebrun ait, illud posse considerari tamquam collectionem rituum Missae priorum saeculorum (III vel IV), additis a Gelasio Orationibus et Praefationibus.

183. Tertium (590-604), iuxta Ioannem Diaconum (in *Vita S. Gregorii*), « Gelasianum codicem de Missarum solemniis, multa subtrahens, pauca convertens, nonnulla adiiciens, pro exponendis evangelicis Lectionibus, in unius libri volumine coarctavit ».

184. Haec tria Sacramentaria, Rubricis destituuntur; videntur huic defectui supplere *Ordines Romani*, qui regulas et ordinem continent, quibus actus liturgici dirigi debebant.

Digitized by Google

185. Ex his orti sunt hodierni Codices Romani: *Missale*, *Pontificale* et *Rituale*.

186. Alterius generis fontes, seu, iuxta dicta n. 171, traditionales vel monumentales, sunt:

187. 1° *Libri Novi Testamenti*, et praecipue *Epistolae S. Pauli*, et Liber *Actuum Apostolorum* (Act. XIII, 2, 3).

188. In his describitur simplex *fractio panis*, quae videtur brevissimo temporis spatio durasse, prioribus nempe Ecclesiae annis, quibus haec Ierosolymis coarctabatur. Post septennium enim videre est, Antiochiae, ritum collationis sacrorum Ordinum, a communi convivio seiunctum, et solemniori apparatu celebratum.

189. *Epistola I ad Corinthios* (I Corinth., X, 15, 17; XII, 26 etc.) tam multa habet, ut possit cum divo Augustino affirmari, iam tum extitisse ordinem quemdam generalem liturgicum in tota Ecclesia observandum.

190. Liber ipse propheticus, *Apocalypsis*, revelat liturgicum ordinem tunc in Ecclesia existentem, uti iure animadvertit clariss. Magani; ita ut, merito dici possit, aut divum Ioannem aptavisse caelesti Ierusalem solemnem formam Synaxis pontificalis tunc existentem, aut illas splendidas liturgicas formas fuisse deinceps translatas ad illos ecclesiasticos Coetus. Illud primum verius existimatur.

191. 2° Coaevum libris Novi Testamenti (post Evangelium S. Matthaei tantum) est documentum illud pretiosissimum, a Metropolita Bryennios, a. 1873 inventum, quod vocatur Διδαχὴ τῶν δώδεκα Ἀποστόλων.

192. 3° Sequuntur *Patres Apostolici*, inter quos fusior *S. Iustinus*, Philosophus et Martyr.

193. 4° Ex *Epistola S. Barnabae*, cuius graecus textus nuper quoque inventum est, confirmatio habetur Synaxis diei dominici.

194. 5° Postrema capita *Epistolae S. Clementis* Romani *ad Corinthios* (a Bryennios item detecta), maximi sunt valoris liturgici, pertinet enim haec ad ultimam saeculi primi partem.

Digitized by Google

195. 6° Habetur insuper *Epistola* incogniti auctoris *ad Diognetem*, quae Clementinae, de qua supra, est coaeva, imo forte illa antiquior, sed falso tribuitur Iustino.

196. 7° Supersunt quoque *Epistolae S. Ignatii*, Martyris antiocheni.

197. 8° *S. Iustinus*, forsan *Presbyter*, seu *Episcopus ad Gentes*, praecipue in *Apologia maiori*, plura habet circa S. Liturgiam Ecclesiae romanae, tempore Apostolicum aevum immediate insequenti.

198. 9° *Constitutiones Apostolicae*, quae veniunt sub nomine Clementis Romani, non videntur huius esse auctoris, sed generatim dici possunt vetustissimae, et ritus referentes romanae Ecclesiae. Etenim, quod sint graece conscriptae, et forte ab antiocheno auctore, non debet invocari quasi argumentum in contrarium; graeca quippe lingua et Romae tribus prioribus saeculis fuit lingua liturgica. Ipsa videtur stipes quoque fuisse omnium Liturgiarum Orientalium.

199. 10° Eximius Professor Gamurrini, anno 1887, pretiosum codicem in publicam lucem edidit, cui titulum suffecit: *Sanctae Silviae Aquitanae peregrinatio ad loca sancta*. Describitur in eo peregrinatio cuiusdam piae mulieris, facta, ut videtur, sub Theodosio imperatore, annum nempe inter 385 et 388.

200. Etsi liturgicae notitiae ibi relatae sunt propriae Ecclesiae Ierosolymitanae, nihilominus pro romana Liturgia maximi haberi debent, quippe quod, tunc temporis, *una* ubique, iuxta communiorem doctorum opinionem, erat Liturgia. Et sane, Ierosolymis Petrus profectus est, ut Romam veniret, hinc Liturgia S. Petri, Ierosolymis initiata, facta est romana. Attamen in ea custoditur tenaciter *disciplina arcani*, unde potior pars silentio praeteritur.

201. 11° Succedit *Liturgia S. Cyrilli* Ierosolymitani, in sua *Catechesi* descripta, quam medio saeculo IV exaravit. Haec haberi potest tamquam praefati codicis, nempe Peregrinationis, cuius est quasi coaeva, complementum; Liturgia enim Missae fidelium, quae in hac omittitur, invenitur in illa. Hic pariter, quamvis agatur de Ierosolymitana Ecclesia, et de regione Liturgiae Syriacae, su-

Digitized by Google

mus nihilominus in nostra provincia, quia una, ut diximus, ea aetate erat ubique Liturgia.

202. 12° Canones liturgici *Concilii Laodiceni*, anno forsan 364 exarati, maximum valorem praeseferunt; Ecclesiam enim illam a divo Paulo fundatam dicunt, et certe custos esse debuit apostolicarum traditionum.

203. His addi possent *Canones Hippolyti*, quorum tamen genuinitas nondum in aprico posita est: neque desunt alia *fragmenta liturgica*, et plurima *epigraphica monumenta*, item liturgica, praecipue e Coemeteriis romanis extracta.

## CAPUT III.

### De Iure Liturgico speculative sumpto.

### ARTICULUS I. — A quo sit Ius Liturgicum.

#### XXXIV. *Natura et extensio liturgicae potestatis legislativae.*

204. Loquentes de Origine et Progressu S. Liturgiae, diximus, Christum Dominum Ecclesiae tribuisse potestatem legislativam circa sacros Ritus, eamque reipsa illam sempre exercuisse, pro temporum et locorum adiunctis; nunc huius potestatis *naturam* et *extensionem* expendere operis pretium est.

205. Id fiet sequentes explanando Propositiones:

I. Potestas legislativa circa sacros ritus, seu, aliis verbis, Ius liturgicum eius est naturae, ut sit proprium Ecclesiae, exclusive quoad Principes laicos, seu civilem potestatem.

II. Ius liturgicum non est proprium Ecclesiae, prout dicit multitudinem, seu collectionem membrorum.

III. Ius liturgicum non est proprium Ecclesiae, prout dicit Episcoporum coetum, independenter a Romano Pontifice.

IV. Ius liturgicum ita proprium est Ecclesiae, ut plene resideat in uno eius Supremo Pastore.

Digitized by Google

PROPOSITIO I.

206. Ius liturgicum eius est naturae, ut sit proprium Ecclesiae, exclusive quoad Principes laicos, seu civilem potestatem.

207. Protestantium theoria, qua principi temporali tribuitur ius *in sacra*, vel saltem *circa sacra*, in eo fundatur, quod in Capitularibus Regum Francorum, invenitur quaedam Constitutio, cui titulus: *De emendatione librorum et officiorum ecclesiasticorum*. Unde concludunt: Si Ecclesia hanc recepit Constitutionem Principis laici circa liturgicas res, facto probavit, ipsam recognoscere penes civilem potestatem auctoritatem iuris dicundi circa Sacra.

208. Nos tamen iis, aliisque eiusdem furfuris adversariis respondemus distinguentes, cum Canonistis, ius directum seu *absoluti dominii*, ab alio indirecto, seu *executionis* et *defensionis*. Nunc si ius circa sacra priori sensu intelligatur, absolute negamus, illud in civili potestate residere; si altero sensu, non modo affirmamus, illud penes civilem potestatem residere, sed eius ita esse proprium, ut ipsa teneatur omnino idem exercere.

209. Et sane, quoad primum, potestatem in S. Liturgiam Principem laicum habere posse contendunt adversarii, sive *a*) iure maiestatico, ut aiunt, idest iure sibi proprio, intrinsece cum officio connexo, et independenti; sive *b*) quatenus Ecclesia illud ei demandaverit; sive *c*) quod Liturgia temporalia subditorum tangat, aut saltem mixta; sive *d*) eo quod Princeps habeat ius *cavendi* contra abusus Papae seu Episcoporum; sive tandem *e*) ex facto, quod Ecclesia sit in Statu.

210. At haec omnia cum nullo innitantur solido argumento, restat thesis nostra: Ius liturgicum non pertinere ad civilem potestatem.

211. Probatur assertio: *a*) Si Princeps temporalis iure proprio posset sacram Liturgiam moderari, hoc posset etiam circa fidei Symbola et professionem, probavimus quippe in catholica Li-

Digitized by Google

turgia contineri et fidei dogmata (Cap. I, Art. II huius I^ae partis, n. X), et subditi tenerentur ei obedire, etiamsi catholicae Ecclesiae adversari deberent. Atqui hoc contradiceret ordini a Deo ipso ipso statuto, quod una Ecclesia catholica sit fidei moderatrix, eique uni hac in re teneantur fideles obtemperare, iuxta illud: *Euntes, docete omnes gentes... Qui vos audit me audit...* Ergo... Praeterea, historia teste, perpetua ecclesiastica traditione docemur iuri eiusmodi maiestatico semper restitisse Ecclesiam, spretis etiam aegerrime ferendis gravibus consectariis.

(*Continuabitur*).

Ios. M.

# Appendix.

## LITTERAE APOSTOLICAE
### De ratione studiorum Sacrae Scripturae in Seminariis Clericorum servanda.

PIUS PP. X.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quoniam in re biblica tantum est hodie momenti, quantum fortasse nunquam antea, omnino necesse est, adolescentes clericos scientia Scripturarum imbui diligenter; ita nempe, ut non modo vim rationemque et doctrinam Bibliorum habeant ipsi perceptam et cognitam, sed etiam scite probeque possint et in divini verbi ministerio versari, et conscriptos Deo afflante libros ab oppugnationibus horum hominum defendere, qui quidquam divinitus traditum esse negant. Propterea in Litt. Encycl. *Providentissimus* recte decessor Noster illustris edixit: « Prima cura sit, ut in sacris Seminariis vel Academiis sic omnino tradantur divinae Litterae, quemadmodum et ipsius gra-

Digitized by Google

vitas disciplinae et temporum necessitas admonent » (1). In eamdem autem rem haec Nos, quae magnopere videntur profutura, praescribimus:

I. Sacrae Scripturae praeceptio, in quoque Seminario impertienda, ista complectatur oportet: primum, notiones de inspiratione praecipuas, canonem Bibliorum, textum primigenium potissimasque versiones, leges hermeneuticas; deinde historiam utriusque Testamenti, tum singulorum, pro cuiusque gravitate, Librorum analysim et exegesim.

II. Disciplinae biblicae curriculum in totidem annos partiendum est, quot annos debent alumni Ecclesiae intra Seminarii septa commorari ob sacrarum disciplinarum studia: ita ut, horum studiorum emenso spatio, quisque alumnus id curriculum integrum confecerit.

III. Magisteria Scripturae tradendae ita constituentur, quemadmodum cuiusque Seminarii conditio et facultates ferent: ubique tamen cavebitur, ut alumnis copia suppetat eas res percipiendi, quas ignorare sacerdoti non licet.

IV. Quum ex una parte fieri non possit, ut omnium Scripturarum accurata explicatio in schola detur, ex altera necesse sit omnes divinas Litteras sacerdoti esse aliquo pacto cognitas, praeceptoris erit, peculiares et proprios habere tractatus seu *introductiones* in singulos Libros, eorumque historicam auctoritatem, si res postulaverit, asserere, ac analysim tradere: qui tamen aliquanto plus, quam in ceteris, in eis Libris immorabitur ac Librorum partibus, quae graviores sunt.

V. Atque is, ad Testamentum vetus quod attinet, fructum capiens ex iis rebus, quas recentiorum investigatio protulerit, seriem actarum rerum, quasque hebraeus populus cum aliis Orientalibus rationes habuit, edisseret; legem Moysi summatim exponet; potiora vaticinia explanabit.

VI. Praesertim curabit, ut in alumnis intelligentiam et studium Psalmorum, quos divino officio quotidie recitaturi sunt, excitet: non-

(1) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 26, pag. 269.

Digitized by Google

nullosque Psalmos exempli causa interpretando, monstrabit, quemadmodum ipsi alumni suapte industria reliquos interpretentur.

VII. Quod vero ad novum Testamentum, presse dilucideque docebit, quatuor Evangelia quas habeant singula proprias tanquam notas, et quomodo authentica esse ostendantur; item totius evangelicae historiae complexionem, ac doctrinam in Epistolis ceterisque Libris comprehensam exponet.

VIII. Singularem quandam curam adhibebit in iis illustrandis utriusque Testamenti locis, qui ad fidem moresque christianos pertinent.

IX. Illud semper, maxime vero in novi Testamenti expositione meminerit, suis se praeceptis conformare eos, qui postea voce et exemplo vitae erudire ad sempiternam salutem populum debeant. Igitur inter docendum commonefacere discipulos studebit, quae sit optima via Evangelii praedicandi: eosque ex occasione ad exequenda diligenter Christi Domini et Apostolorum praescripta alliciet.

X. Alumni, qui meliorem de se spem facient, hebraeo sermone et graeco biblico, atque etiam, quoad eius fieri possit, aliqua alia lingua semitica, ut syriaca aut araba, erunt excolendi. « Sacrae Scripturae magistris necesse est, atque theologos addecet, eas linguas cognitas habere, quibus libri canonici sunt primitus ab agiographis exarati, easdemque optimum factu erit si colant alumni Ecclesiae, qui praesertim ad academicos theologiae gradus aspirant. Atque etiam curandum, ut omnibus in Academiis de ceteris item antiquis linguis, maxime semiticis, sint magisteria » (Litt. Encycl. *Providentissimus*).

XI. In Seminariis, quae iure gaudent academicos theologiae gradus conferendi, augeri praelectionum de Sacra Scriptura numerum; altiusque propterea generales specialesque pertractari quaestiones, ac biblicae vel archaeologiae, vel geographiae, vel chronologiae, vel theologiae, itemque historiae exegesis plus temporis studiique tribui oportebit.

XII. Peculiaris diligentia in id insumenda erit, ut secundum leges a Commissione Biblica editas, delecti alumni ad academicos Sacrae

Digitized by Google

Scripturae gradus comparentur: quod quidem ad idoneos divinarum Litterarum magistros Seminariis quaerendos non parum valebit.

XIII. Doctor Sacrae Scripturae tradendae sanctum habebit, nunquam a communi doctrina ac Traditione Ecclesiae vel minimum discedere: utique vera scientiae huius incrementa, quaecumque recentiorum sollertia peperit, in rem suam convertet, sed temeraria novatorum commenta negliget: idem eas dumtaxat quaestiones tractandas suscipiet, quarum tractatio ad intelligentiam et defensionem Scripturarum conducat: denique rationem magisterii sui ad eas normas diriget, prudentiae plenas, quae Litteris Encyclicis *Providentissimus* continentur.

XIV. Alumni autem, quod scholae praelectionibus ad hanc assequendam disciplinam deerit, privato labore suppleant oportet. Quum enim particulatim omnem enarrare Scripturam magister prae angustiis temporis non possit, privatim ipsi, certo ad hanc rem constituto spatio in dies singulos, veteris novique Testamenti attentam lectionem continuabunt; in quo optimum factu erit, breve aliquod adhiberi commentarium, quod opportune obscuriores locos illustret, difficiliores explicet.

XV. Alumni in disciplina biblica, ut in ceteris theologiae, quantum nimirum e scholae praelectionibus profecerint, periculum subeant, antequam ex una in aliam classem promoveri et sacris ordinibus initiari possint.

XVI. Omnibus in Academiis quisque, candidatus ad academicos theologiae gradus, quibusdam de Scriptura quaestionibus, ad *introductionem* historicam et criticam, itemque ad exegesim pertinentibus, respondebit; atque experimento probabit, satis se interpretationis gnarum ac hebraei sermonis graecique biblici scientem.

XVII. Hortandi erunt divinarum Litterarum studiosi, ut, praeter interpretes, bonos lectitent auctores, qui de rebus cum hac disciplina coniunctis tractant; ut de historia utriusque Testamenti, de vita Christi Domini, de Apostolorum, de itineribus et peregrinationibus Palaestinensibus: ex quibus facile locorum morumque biblicorum notitiam imbibent.

Digitized by Google

XVIII. Huius rei gratia, dabitur pro facultatibus opera, ut modica conficiatur in quoque Seminario bibliotheca, ubi volumina id genus alumnis in promptu sint.

Haec volumus et iubemus, contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris, die XXVII Martii anno MDCCCCVI, Pontificatus Nostri tertio.

L. ✣ S. A. Card. MACCHI.

# S. CONGREGATIO STUDIORUM

## Privilegia conceduntur Collegio S. Thomae Aquinatis de Urbe.

*Beatissimo Padre,*

Il Padre Fr. Enrico Buonpensiere dei Predicatori, Reggente del Collegio di S. Tommaso d'Aquino de Urbe, supplica umilmente Vostra Santità affinchè si degni concedere a detto Collegio il titolo di *Pontificio*, dichiarando che i gradi accademici, che da esso si conferiscono in Filosofia, Teologia e Diritto Canonico, abbiano gli stessi effetti canonici di quelli che si conferiscono in altre Università cattoliche.

Che della grazia, ecc.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X in Audientia diei 26 mensis Maii 1906, referente subscripto S. Congregationis Studiorum E.mo Cardinali Praefecto, attenta commendatione R.mi P. Generalis Ord. Praed., benigne libenterque annuens precibus R.mi P. Henrici Buonpensiere Regentis Collegii Divi Thomae Aquinatis de Urbe, mandare dignatus est, ut hoc perinsigne Collegium, in quo florent studia Philosophiae, Theologiae ac Iuris Canonici, posthac *Pontificium* vocari possit; et gradus academici, qui ab eo in Philosophia, Theologia ac Iure Canonico rite conferuntur, eadem prorsus iura ac privilegia habeant, quae habent ii qui in qualibet Universitate catholica canonice instituta conferuntur. Contrariis quibuscunque non obstantibus.

L. ✣ S.

† Fr. Card. SATOLLI, *Praefectus.*
ASCENSUS DANDINI, *a Secretis.*

Digitized by Google

# Bibliographia.

De Herdt P. J. B., **Praxis Pontificalis**, seu Caeremonialis Episcoporum practica expositio, in usum Cathedralium aliarumque maiorum ecclesiarum saecularium aut regularium, ubi officium solemniter celebratur. Editio altera, recognita et recentioribus S. R. C. Decretis accommodata. — Lovanii, 1905. Vol. 3. L. 12.

Etiam post mortem cl. De Herdt, Ecclesiae metropolitanae Mechliniensis Canonici, cuius peritiam in re liturgica omnes mirati sunt, a multis nova desiderabatur editio operis *Praxis Pontificalis*, iuxta recentiora S. R. C. Decreta emendati; gaudemus autem, quod, sicut anno 1903 decima editio prodiit alterius operis *Sacrae Liturgiae Praxis* sub eiusdem Auctoris (tunc iam defuncti) nomine, ita nuper altera editio vulgata sit operis *Praxis Pontificalis*, in qua Rubricae Caeremonialis Episcoporum ac Pontificalis Romani emendatae sunt iuxta editionem typicam Ratisbonensem, commentarium autem Auctoris *maxima ex parte* respondet recentioribus S. R. C. Decretis, quae citantur secundum authenticam collectionem annis 1898–1901 editam. Consulto tamen diximus *maxima ex parte*; aliquid enim ibi adhuc legitur, quod emendatione indigere videtur; hoc autem multo magis contigisse in altero opere *Sacrae Liturgiae Praxis*, pluries in his *Ephem. Liturg.* pro data occasione patefecimus. Quidquid sit, nova operis editio, quam nostris lectoribus annuntiamus, non parvam affert utilitatem.

## Opera ad nostram Directionem transmissa.

De Amicis P. M., P. D. M., **Il Cerimoniale completo** per le Chiese parrocchiali, collegiate e cattedrali, esposto secondo i più recenti Decreti della S. Congregazione dei Riti. Seconda edizione corretta ed aumentata. — Roma, Desclée, Lefebvre e C., piazza Grazioli, palazzo Doria, 1906. Vol. 4. L. 12.

Recensionem iam fecimus huius praeclari operis in *Ephem. Liturg.*, anno 1903, pag. 563, inter alia dicentes, sacram Liturgiam ibi admodum effulgere dicendi brevitate, claritudine, simplicitate, elegantia, partium ordine, Rubricis Decretisque modo partim, modo integre allatis, necnon praestantissimis auctoritate scriptis, ut praetermittamus laudes extrinsecas, pulchritudi-

Digitized by Google

nem nempe exemplarium ac papyri robur, quae omnia lectoris et visum et animum vehementer delectant.

Totum opus, quatuor voluminibus constans, in novem partes dispescitur: in prima parte agitur de notionibus generalibus sive res sacras sive caeremonias aliaque scitu utilia respicientibus; in secunda parte exponitur ritus servandus in Missae privatae celebratione, atque in SS. Eucharistia administranda; in tertia parte agitur de Missis privatis specialibus, sive de requie, sive votivis. Quarta et quinta pars continet instructionem pro Missa cantata seu solemni, tam in genere quam in specie; in sexta parte agitur de Officio solemni, de exequiis, de expositione SS. Sacramenti, de processionibus, de functionibus extraordinariis in anni curriculo occurrentibus, de sacra Visitatione, ac de functionibus extraliturgicis. Sequitur septima pars agens de Sacramentis, cum octava parte ubi de benedictionibus sermo fit. Opus absolvitur per partem nonam, in qua ritus exponuntur pro functionibus Pontificalibus sive in throno sive in faldistorio peragendis, addito etiam tractatu de sacrorum Ordinum collatione.

Ad doctrinam liturgicam quod attinet, quamvis cl. Auctor in prima operis editione magnam adhibuerit diligentiam, nihilominus attentis recentioribus S. R. C. Decretis, nonnulla addenda ac varianda erant; ideo ipse, nulli parcens labori, novam sui operis editionem nuper vulgavit, in qua plures additiones variationesque magni momenti exhibentur, ita ut altera haec editio omnibus valde utilis sit, haud exceptis iis, qui primam operis editionem acquisiverunt.

Notetur autem, pretium horum quatuor voluminum idem esse atque pretium trium librorum, qui primam editionem constituebant, quamvis per quartum volumen circiter paginae 170 additae sint.

GLATIGNY I. B. (O. F. M.), **Les commencements du Canon de l'Ancien Testament.** Un vol. in-12, pag. 248. — Rome, Desclée, Lefebvre et C., 1906. L. 3.

ARRIGONI R. **Eloquenza sacra italiana del secolo XVII.** Osservazioni critiche. — Roma, Desclée, Lefebvre e C., 1906. L. 0,80.

Digitized by Google

# Chronica.

*Die 8 Maii 1906*, in Aedibus E.mi ac R.mi D. Cardinalis Aloisii Oreglia a S. Stephano, Episcopi Ostiensis et Veliternen. habita fuit Congregatio Ss. Rituum Antepraeparatoria, in Parisien., Beatif. et Canoniz. Ven. S. D. Francisci Mariae Pauli Libermann, Institutoris Congregationis S. Spiritus et Immaculati Cordis Mariae, super dubio: « An constet de virtutibus theologalibus nec non de cardinalibus earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur ». Interfuerunt et suffragium tulerunt R.mi Patres Consultores Theologi, Praelati Officiales, et E.mi ac R.mi Patres Cardinales.

*Die 15 Maii 1906*, in Palatio Apostolico Vaticano, habita fuit Congregatio Ss. Rituum Ordinaria, in qua, E.mi ac R.mi Patres Cardinales, infrascriptas Causas retulerunt: E.mus Card. Ferrata: *Taurinen.*, Beatif. et Canoniz. Servi Dei Iosephi Cafasso, Sacerdotis saecularis, Collegii Ecclesiastici Taurinen. Moderatoris, E.mus Card. Tripepi: *Nucerina Paganorum*, seu *Compsana*, Beatif. et Canoniz. Servi Dei Dominici Blasucci, Clerici Studentis e Congregatione SS.mi Redemptoris, utrasque *super introductione Causae*.

*Die 29 Maii 1906*, in Palatio Apost. Vatic., habita fuit Ss. Rituum Congregatio Nova-Praeparatoria, in Causa *Oceaniae*, Canonizationis Beati Petri Aloisii Mariae Chanel, Sacerdotis e Societate Mariae, Oceaniae Protomartyris, super dubio: « An, et de quibus Miraculis constet, post indultam eidem Beato venerationem, in casu et ad effectum de quo agitur ». Interfuerunt et suffragium tulerunt R.mi Patres Consultores Theologi, Praelati Officiales, necnon E.mi ac R.mi Patres Cardinales.

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR.
Fr. Albertus Lepidi, O. P. S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR.
† Iosephus Ceppetelli, Patr. Constant., Vicesgerens.

Augustus Zucconi, Director Domus editricis Desclée, Lefebvre et Soc. Romae, *Sponsor*.

Ex Off. typ. Soc. S. Ioannis Ev. - Tornaci in Belgio.

Digitized by Google

# Acta Sanctae Sedis
sacram Liturgiam spectantia.

## SS. RITUUM CONGREGATIO

**Conceditur Tertiariis Regularibus Ordini Minorum Capuccinorum adhaerentibus usus Kalendarii, Missalis ac Martyrologii Capuccinorum (1).**

ORDINIS S. FRANCISCI CAPUCCINORUM.

*Beatissime Pater,*

Procurator Generalis Ordinis Minorum Capuccinorum, nomine Ministri Generalis eiusdem Ordinis, ad genua Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter supplicat pro gratia, ut ad normas similis privilegii a Summo Pontifice Pio VI (Const. *Religiosos Ordines* diei 6 Septembris 1785) Ordini Fratrum Minorum concessi, et declarationum a Sacrorum Rituum Congregatione, sub die 8 Augusti 1835 (*Decret. authen. S. R. C.*, n. 2735 ad VI), et 15 Aprilis 1904 editarum, non solum Moniales Capuccinae secundi et tertii Ordinis Regularis, quae iam vigore privilegii Sacrorum Rituum Congregationis diei 24 Ianuarii 1688 (*Decret. authen.*, n. 1790 ad II) hanc gratiam consecutae sunt, sed etiam omnes utriusque sexus Tertiarii in communitate viventes, et vota simplicia emittentes, qui

(1) Cfr. *Ephem. Liturg.*, vol. XVIII, pagg. 270, 411 et 92.



Digitized by Google

sint Instituti aliquam coniunctionem in sua origine aut progressu cum Ordine Minorum Capuccinorum habentis, aut qui ad tramitem Decreti Sacrae Congregationis Indulgentiarum diei 28 Augusti 1903, et Rescripti Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium diei 18 Novembris 1905, eidem aggregati fuerunt, aut in futuro aggregabuntur, licet etiam non divinum Officium quotidie recitent, sed Officium Deiparae parvum aliasque preces dumtaxat persolvant in suis Ecclesiis et Oratoriis, uti valeant Kalendario, Missali ac Martyrologio ad usum Fratrum Minorum Capuccinorum a Summo Pontifice Leone XIII, sub die 4 Decembris 1894 approbatis, ita tamen ut si sint sacerdotes, ecclesiae sive simplici sive parochiali canonice mancipati, in festis Patroni principalis, tituli ac Dedicationis Ecclesiae tam propriae quam Cathedralis, necnon quibus diebus Missam applicare debent pro populo, teneantur in Officio et Missa sequi Kalendarium dioecesis prouti Fratres primi Ordinis, ac deinde recurrente iuxta Kalendarium primi Ordinis aliquo Officio secundum Ordinem dioecesanum iam recitato, prouti fit in eodem primo Ordine, impeditorum festorum repositionem seu translationem disponere.

Et Deus etc.

Sacra Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X tributis, attentis expositis, benigne precibus annuit: exceptis tamen Tertiariis

Digitized by Google

Franciscalibus tam saecularibus quam Regularibus qui Kalendarium Ordinis Fratrum Minorum seu Conventualium in Horis Canonicis persolvendis Sacroque litando iam assumpserint. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 22 Ianuarii 1906.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

## Commentarium
### in Decretum S. R. C. d. d. 16 Febr. 1906 (1).

Quamquam praesens Decretum videtur particulare, utpote pro Fratribus Minoribus Provinciae Apuliae editum, nihilominus cum regulas pertingat, quae Patronorum celebrationem moderantur festorum, generale procul dubio dicendum est. Ipsum porro omni consideratione dignum a liturgicis existimandum est, quia nonnulla principia clarius ex eo deducuntur, quae non paucas quaestiones a scriptoribus huc usque agitatas declarant ac resolvunt.

Iuxta S. R. C. decreta, et doctorum placita, Regulares tenentur ad celebrationem festi de Patrono loci, in quo degunt, et si locus specialem Patronum non habet, de Patrono Dioecesis; nec non ad celebrationem festi de Patrono Regni vel Ditionis civilis, si legitime habeatur. Nihilominus quando alicubi plures recoluntur Patroni, vel loci, vel dioecesis vel Regni aut civilis Provinciae ex aliquorum sententia (A Carpo, *Bibliot., p. 2, n. 170*), « a Regularibus quocumque in casu de duobus tantummodo principalibus (et ubi plures sunt de duobus magis principalibus) Patronis locorum celebrandum est Officium sub ritu duplici I classis, sed sine octava; videlicet de Patrono principali (seu magis principali) civitatis, aut oppidi, vel pagi ubi morantur, si habeatur,

(1) Cfr. *Ephem. Liturg.*, ann. curr. pag. 321.

Digitized by Google

aliter de Patrono principali (seu magis principali) Dioecesis; et de Patrono principali (seu magis principali)... Ditionis, si item habeatur ». Ad quam suam tuendam sententiam citat nonnulla S. R. C. Decreta, quorum unum tantummodo, nempe n. 1708, in authentica collectione nunc invenitur. In eo tamen nil decernitur quoad omittenda Compatronorum festa, prouti agitur in Decreto d. 23 Maii 1846, e nova collectione expuncto. Quapropter iuxta Cl. P. A Carpo et eius pedissequos, si in aliqua dioecesi duo principales recoluntur Patroni sub ritu duplici I classis, de principaliori tantum, scilicet de eo qui cum feriatione recolitur, Regulares agere tenentur, et nihil de alio, nisi alia ratione eum celebrent.

Hanc sententiam in praxim deduxerunt R.di Patres Ordinis Minorum, qui in Aemilia conventus tenent; nam tanti Liturgistae illiusmet Ordinis doctrinam sectantes, non multis ab hinc annis die 26 Septembris Placentiae praetermittere coeperunt festum duplex I classis S. Iustinae V. Mart. illius civitatis Patronae aeque principalis, quia absque feriatione celebratur. Sed erroneam esse hanc doctrinam, cum bona pace Cl. P. A Carpo eiusque asseclarum facile comprobatur.

I. Certo certius Urbanus Pp. VIII, in sua constitutione *Universa per Orbem* (*idib. Septemb. 1642, n. 812*) pro observatione festorum, in fine § 2, inter Festos dies ex praecepto, seu cum feriatione colendos, praescribit etiam festum *unius ex principalioribus Patronis in quocumque Regno sive Provincia, et alterius pariter principalioris in quacumque Civitate, Oppido vel Pago, ubi hos Patronos haberi et venerari contigerit.* Sed aliud est praeceptum celebrandi festa *cum feriatione*, de qua tantummodo agit Urbaniana Constitutio, aliud est praeceptum recolendi Patronorum festa sub ritu duplici I classis. Ad omnia festa quae in locis *cum feriatione* celebrantur, tenentur Regulares procul dubio ex dispositione Concilii Tridentini (*Sess. XXV, de Regular., c. 12*) ubi legitur: *Dies etiam festi, quos in dioecesi sua servandos Episcopus praeceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus, serventur.* Quod pluries con-

Digitized by Google

firmavit S. R. C., et peculiariter die 28 Aprilis 1866 (n. 3147⁴) declarans: *Regulares teneri ad Officia festorum Dioecesis de praecepto quoad forum.* Quocumque ritu ergo recolantur festa cum feriatione (uti Regii Lepidi Translatio S. Prosperi dup. II class. et Placentiae festum Ss. Decemmillium Martyrum dupl. mai.), Regulares, ratione *feriationis* ad ea colenda tenentur omnino.

Sed et ratione *patronatus* ipsi iure meritoque tenebuntur ad plures Patronos, si sunt aeque principales, et ritu duplici I classis in loco recoluntur, licet non omnes cum feriatione.

Ratio est, quia Regulares in loco degentes, non minus quàm incolae ac cives iuvamen sentiunt Sanctorum Patronorum, sub quorum praesidio civitas vel regio aliqua posita est; imo cum ad Patronorum electionem, iuxta Urbani VIII decretum, Regulares quoque suo consensu et voto concurrant, ut docet Benedictus XIV (*De Canoniz., l. 4, p. 2, c. XIV, n. 5*), sane et eorum festum celebrare debent.

Nota tamen hic agi de Patronis *principalibus*, non vero de *secundariis* seu *minus principalibus*, qui ex Rubrica Breviarii ritu duplici maiori recoluntur. De his, procul dubio Regulares, iuxta S. R. C. decretum d. d. 24 Ianuarii 1682, *in una Ordinis Minor. de Observ.*, quod reperitur in Indice a Merati exarati n. 125 (1) nil agere debent, sic enim sonat:

*Religiosi tenentur celebrare sub ritu duplici I classis cum octava Festum tam de Dedicatione, quam de Titulari Ecclesiae illius conventus, in quo morantur: et sub eodem ritu duplici I classis tenentur recitare de Patrono principali loci, et de Titulari Ecclesiae Cathe-*

(1) Decretum hocce neque in collectione antiqua Gardelliniana, neque in nova invenitur. Nihilominus vim legis adhuc habere dicendum est, primo quidem, quia in alio Decreto, novae collectionis, reperitur implicita exclusio Patronorum minus principalium, secundo autem, quia Commissio, cui demandata fuit cura expungendi Decreta, examen suum posuit tantummodo in iis, quae a Gardellini edita fuerant; tertio denique quia iuxta Decretum 16 Februarii 1898, quod in fronte I voluminis legitur, nihil dissonat ab iis quae in authentica collectione inveniuntur.

Digitized by Google

*dralis tantum; ad Octavam autem non tenentur, iuxta pluries resoluta. De aliis autem Patronis minus principalibus non tenentur recitare, nisi sint descripti in Kalendario Romano vel in dictorum Religiosorum proprio.*

Quod si Regulares ad celebrandos Patronos minus principales, seu secundarios, qui ritu duplici maiori recoluntur, non tenentur, ad principales, licet plures sint, qui ritu I classis celebrantur in loco, iure adstricti erunt.

Et revera, testibus Gavanto (*sect. 3, c. XII, n. 5*) cum Merato et Guyeto (*l. 2, c. XIII, qu. 3*) nec non Cavalerio, dantur multis in locis plures Patroni aeque principales. En quid habet Cavalerius (*loc. cit., decr. 7, n. 8*):

« Non solum tamen ex indulto apostolico dantur in aliquo Regno, loco, vel civitate plures Patroni principales, sed etiam ex usu antiquissimo et inveterato alicubi coluntur plures Sancti tamquam Patroni aeque principales, et eorumdem officium ibidem celebratur sub ritu duplici I classis cum octava ». Porrigitque varia exempla in Gallia ex Halden (part. III, tit. 1), inde sequitur: « In ecclesia itidem Cremonensi tamquam Patroni principales ritum I classis et octavam obtinent Ss. Petrus et Marcellinus, 2 Iunii, S. Himerius Episcopus, 19 Octobris, et S. Homobonus confessor, 13 Novembris.

« In dominio Reipublicae Ianuensis similem cultum assequuntur S. Georgius M., S. Ioannes Bapt., et Conceptio B. Mariae; et in Dioecesi Placentina S. Antoninus M., 4 Iulii, nec non S. Iustina Virgo et M., 26 Septembris, quemadmodum et alibi fieri non semel observavimus ». Hucusque Cavalerius.

Et sane; si Regulares iuxta S. R. C. Decretum d. d. 15 Februari 1873 (n. 3289[1]) tenentur ad celebrationem duorum Titularium Ecclesiae Cathedralis (si habeantur), sub ritu duplici I classis, licet uterque, quatenus Titularis, careat feriatione, eo magis ad celebrationem duorum loci Patronorum. Relatio enim Regularium cum Titulari Cathedralis remotior est quam relatio cum loci Patrono; hic enim proxime attinet ad omnes incolas

Digitized by Google

loci, inter quos et Regulares adnumerantur; Titularis vero Cathedralis a Regularibus recolitur, nonnisi in signum aliquod subiectionis Episcopo Ordinario.

Sed quid immoramur? S. R. C. quaestionem hanc omnino diremit et extinxit suo Decreto generali d. d. 9 Iulii 1895 (n. 3863) in quo explicite haec leguntur:

« I. Festum praecipui Patroni loci, vel Dioecesis, si particularis non habeatur, celebrandum esse ab omnibus et singulis de Clero, ad horas canonicas obligatis, qui eodem in loco degunt, sub ritu duplici primae classis, a Saeculari cum octava, a Regulari vero sine octava. **Quod si plures habeantur in loco Patroni aeque principales, ad singula eorumdem Festa, praefato celebranda ritu, omnes ut supra similiter tenentur** ». Ergo et Regulares.

Insuper die 28 Sept. 1658, n. 1095, eadem S. R. C. iam declaraverat, ad celebrandum festum martyrii Ss. Hemiterii et Cheledonii, Patronorum principalium Civitatis Calaguritanae, « etiam auctoritate S. Congregationis, tum Saeculares cum Regulares per Episcopum compelli posse ».

Non ergo requiritur *feriatio*, ut Regulares Patronorum principalium festa concelebrent.

Sed, qua ratione noscentur Patroni, esse aeque principales, veri et legitimi, maxime quando feriatione carent? 1° Notio potissima erit ritus duplex I class. cum octava, quo Clerus saecularis Patronum recolit; si enim non principalis sed secundarius esset, ritu tantum duplici maiori gauderet. 2° Electio a Populo et Clero rite statuta ad formam decreti Urbani VIII, si agatur de Patronis post annum 1630 electis. 3° Antiqua et continuata appellatio Patroni principalis in documentis et in actis ecclesiae loci ubi Patronus uti talis recolitur. 4° Recitatio symboli in Missa, quae non conceditur Sanctis nisi ratione reliquiae, vel Tituli, vel doctoratus, vel Patronatus. 5° Consuetudo apud Regulares, a saeculo saltem XVIII, celebrandi festum huiusmodi Patroni. Hae sunt notiones quibus legitimi ac veri Patroni aeque principales probari possunt.

Digitized by Google

Quibus positis, facile demonstratur opportunitas et aequitas responsionum quae in decreto 16 Februarii datae fuerunt.

Ad I et II responsum est *Affirmative*; et bene, quia S. Ianuarius pro toto antiquo Regno Neapolitano, et S. Nicolaus in tota civili Provincia Barensi, sunt veri ac legitimi Protectores *principales* Regni, aut Regionis, ergo ut vidimus, sunt recolendi a Regularibus quoque. In his autem primis duobus dubiis, quaeritur etiam, num Regulares teneantur ad recitationem quoque *officii proprii* Patronorum, et responsum est affirmative; ex quo confirmatur quam maxime ac definitive sententia quam nos ipsi pluries defendimus in *Ephem. Liturg.* ac praesertim vol. XVII, pag. 254-263, 424-427 et 543.

Ad III. Item probe intelligitur cur ad III responsum fuerit *Negative*, non enim ex dictis, dispensantur Regulares, a celebratione Patroni principalis Regni, eo quod et recolunt Patronum Provinciae civilis. Eodem sane uterque gaudet iure.

Ad IV. Per se, ut supra demonstravimus, non requiritur quod festum Patroni habeat feriationem; quoniam vero antiquitus hanc habuerunt omnes Patroni principales, attendendum est, hic resolvitur, num antiquitus revera habuerint, quasi indicium ad agnoscendum revera Patronum fuisse principalem.

Ad V. Ad abundantiam hic declaratur festum Patroni, quod tamquam mobile in aliqua Dominica recolitur, considerandum esse ornatum feriatione. Hoc ipso enim in Dominica celebratur, ne festa feriata nimis succrescant.

Ad VI. Quamvis S. Franciscus a Paula, Regni Patronus aeque principalis non sit, colitur enim ritu duplici II classis, nihilominus, cum celebretur in Dominica, ut feriatione gaudeat, Religiosi ad eius celebrationem teneri dicuntur, ratione ipsius feriationis, prout disposuerat Gregorius XVI die 10 Maii 1839. De eodem S. Francisco a Paula Regulares recitare debent officium proprium, ob rationes iam allatas, et ex praecepto Gregorii XVI.

Ad VII. Regulares teneri ad commemorationem SS. Apostolorum, die 29 Iunii, et Ss. Martyrum, die 26 Decembris,

Digitized by Google

S. R. C. iam declaraverat in citato Decreto, n. 3157 ad XII, quaest. 1. Id etiam cl. De Herdt (part. V, n. 99, et 84) iam suo tempore docuit, dicens: « ad hanc commemorationem teneri non tantum saeculares sed etiam Regulares, tum quia in indulto pro reductione festorum Sanctitas sua hanc praecepit omnibus, qui ad horas canonicas tenentur, tum quia haec commemoratio in locum Festorum de praecepto substituitur ». Notetur autem, per Breve diei 10 April. 1818 pro utriusque Siciliae Regno (S. R. C., n. 2589), Pium Pp. VII praecepisse, ut die 29 Iunii in Officio et in Missa addatur commemoratio tam omnium Ss. Apostolorum quam omnium Ss. Martyrum.

Ad VIII. Responsum est *negative*; *nisi concessio praeceptive etiam pro Regularibus facta fuerit*, in casu enim agitur de festo II classis, ergo non de Patrono principali. Licet enim celebretur in Dominica, non tamen constat id statutum fuisse ut feriatione gaudeat festum B. Mariae in casu, et ideo vere non constat de obligatione Regularium.

Ad IX et X responsum, nil est dicendum, cum res per se pateat, et tangat casum particularem.

Doct. PETRUS PIACENZA.

## S. CONGREGATIO INDULGENTIARUM

### I.

**Privilegium Sacerdotibus Congr. Missionis conceditur quoad impositionem Scapularium B. M. V. de Monte-Carmelo.**

*Beatissime Pater,*

Augustinus Venceziani, Procurator Generalis Congregationis Missionis, ad pedes S. V. humiliter provolutus, enixe petit indultum, cuius vigore Sacerdotes dictae Congregationis, qui facultate gaudent benedicendi ac imponendi Scapularia B. M. V. de Monte Carmelo, *occasione tantummodo magni concursus* illa benedicere

Digitized by Google

valeant, quin teneantur eadem singulis christifidelibus imponere, omissa etiam nominum inscriptione in album confraternitatis.

Et Deus etc.

SS. D. N. Pius PP. X, in Audientia habita die 13 Iunii 1906 ab infrascripto Card. Praefecto S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 13 Iunii 1906.

L. ✣ S.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

## II.

### Indulgentia 300 dierum conceditur recitantibus quandam precem ad S. Ioachim.

*Beatissime Pater,*

Ioseph Masquilier, sacerdos Congregationis SS.mi Redemptoris, Director Annalium Sancti Ioachim, ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus, humillime petit Indulgentiam pro sequente liturgica oratione:

**" O Ioachim sancte, coniux Annae, pater almae Virginis, hic famulis confer salutis opem ".**

*Recitantibus hanc precem semel in die Indulgentiam tercentorum dierum in Domino concedimus.*

PIUS PP. X.

Praesentis Rescripti authenticum exemplar a SS. D. N. die 28 Maii 1906 Manu propria signatum, exhibitum fuit huic S. C. Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. C., die 16 Iunii 1906.

L. ✣ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

Digitized by Google

## Ad *Motu-proprio* de Protonotariis Apostolicis Commentarium.

(*Continuatio.* V. num. 6, anni curr., pagg. 331-336).

### De Protonotariis Apostolicis Supranumerariis.

31. Romae et extra (109), si ad Missam lectam cum aliqua solemnitate celebrandam accedant, habitu praelatitio induti, praeparationem et gratiarum actionem persolvere poterunt ante altare in genuflexorio pulvinaribus tantum instructo (110), vestes sacras ab Altari assumere (non tamen Crucem pectoralem et Annulum), (111) aliquem clericum *in Sacris* assistentem habere, ac duos inferiores ministros (112); Canonem et Palmatoriam, Urceum et Pelvim cum Manutergio in lance adhibere; sed ante *Communio* manus ne lavent (113). In aliis Missis lectis a simplici Sacerdote ne differant, nisi in usu Palmatoriae (114): in Missis autem cum cantu, sed non pontificalibus, uti poterunt etiam Canone, Urceo cum Pelvi, ac lance ad Manutergium, nisi ex statutis vel consuetudine in propria ecclesia haec prohibeantur (115).

32. Canonico Protonotario Apostolico Supranumerario Pontificalia peragere cum ornamentis ac ritu superius enunciatis fas non erit, nisi infra terminos propriae dioecesis; extra autem, nonnisi ornatu et ritu, prout Protonotariis *ad instar*, ut infra dicetur, concessum est (116).

Digitized by Google

33. Cum tamen Canonicos trium Patriarchalium Urbis, ob earumdem praestantiam, aequum sit excellere privilegiis, eo vel magis quod in Urbe, ob Summi Pontificis praesentiam, Pontificalium privilegium exercere nequeunt, illis permittitur, ut in ecclesiis totius terrarum orbis, impetrata Ordinariorum venia, ac Praesulum ecclesiarum exemptarum consensu, Pontificalia agant cum ritu atque ornamentis nn. 27, 28, 29 recensitis (117). Insuper, licet aliquis ex ipsis inter Praelatos nondum fuerit adscriptus, Palmatoria semper, etiam in privatis Missis uti poterit (118).

34. Recensita hactenus privilegia illa sunt quibus dumtaxat Protonotarii Apostolici Supranumerarii fruuntur (119). Verum, cum eadem collective coetui Canonicorum conferantur, Canonici ipsi, tamquam singuli, iis uti nequibunt, nisi Praelati Urbani fuerint nominati et antea suae ad Canonicatum vel Dignitatem promotionis et auspicatae iam possessionis, atque inter Praelatos aggregationis, ut num. 14 dicitur, testimonium Collegio Protonotariorum Participantium exhibuerint; coram ipsius Collegii Decano, vel per se vel per legitimum procuratorem, Fidei professionem et fidelitatis iusiurandum de more praestiterint, ac de his postea, exhibito documento, proprium Ordinarium certiorem fecerint (120). Quibus expletis, eorum nomen in sylloge Protonotariorum Apostolicorum recensebitur (121).

35. Canonici ecclesiarum extra Urbem, qui ante Nostri huius documenti Motu Proprio editi publicationem, privilegia Protonotariorum, una cum Canonicatu,

Digitized by Google

sunt assequuti, ab expeditione Brevis, de quo supra. num. 14, dispensantur (122); iusiurandum tamen fidelitatis coram Ordinario suo praestabunt infra duos menses (123).

36. Collegialiter tamquam Canonici Pontificalibus functionibus, iuxta Caeremoniale Episcopornm, sacris vestibus induti adsistentes non alia Mitra utantur, quam simplici (124), nec unquam hoc et ceteris fruantur Protonotariorum insignibus et privilegiis extra propriam ecclesiam, nisi in diplomate concessionis aliter habeatur (125). Canonicus tamen, qui forte ad ordinem saltem Subdiaconatus non sit promotus, neque in choro cum aliis Mitra unquam utatur (126). In functionibus autem praedictis inservientem de Mitra non habebunt, prout in Pontificalibus uni Celebranti competit (127). Qui in Missa solemni Diaconi, Subdiaconi aut Presbyteri assistentis munus agunt, dum Dignitas, vel Canonicus, aut alter Privilegiarius pontificaliter celebrant, Mitra non utentur (128); quam tamen adhibere poterunt Episcopo solemniter celebrante, ut dictum est de collegialiter adsistentibus (129), quo in casu, cum ministrant, aut cum Episcopo operantur, maneant detecto capite (130).

(109) *Romae et extra* possunt Protonotarii supranumerarii etiam in Missa lecta, cum aliqua tamen solemnitate, vestes sacras ab altari assumere.

Nota tamen, quod in gratiam Canonicorum trium praesertim Patriarchalium Urbis, hic permittit Summus Pontifex, ut etiam extra Urbem hoc privilegio uti possint, nam Pius IX, in citata sua constitutione (§ 19), hoc expresse Protonotariis non

Digitized by Google

participantibus prohibuerat, quod adhuc interdictum est Protonotariis *ad instar*, uti videbimus infra, in notis ad § 49.

(110) De huiusmodi Missa lecta cum aliqua solemnitate, vide quae diximus supra in nota 26. Notandum vero est quod Protonotarii, ut hoc privilegio uti queant, oportet omnino ut *habitu praelatitio* sint induti, alioquin vestes sacras ab altari assumere non possunt, neque praeparationem et gratiarum actionem in genuflexorio ante altare persolvere. Quoad genuflexorium advertendum est tapete seu strato ornatum esse non debere sicut utuntur Episcopi in propria sede; si enim Episcopi ipsi extranei genuflexorio pulvinaribus tantum instructo uti debent (Martinucci *l. 8, n. 5*) eo magis Protonotarii.

(111) Vestes sacras ab Altari assumunt, more solito, loti primum manibus cum urceo et manutergio, de quibus paulo infra; non tamen crucem pectoralem et annulum, quorum usum item Pius IX, loco citato, in huiusmodi Missa lecta prohibuerat.

(112) Clericum *in sacris* habere possunt Protonotarii in hac Missa lecta, qui ea agat quae in Caeremoniali describuntur pro Missa lecta ab Episcopo; vide tamen quae in nota 27 diximus de Clerico qui *in sacris* non sit.

(113) Congruit cum iis quae in nota 104 indicavimus, nam si in Missa pontificali interdicitur Protonotario secunda manuum ablutio quae ante *Communio* fit ab Episcopis aeque et in Missa privata.

(114) Usus ergo palmatoriae, quem Pius IX omnino Protonotariis in ipsis pontificalibus prohibuerat, hic a Pio X benigne conceditur etiam in Missis lectis ordinariis, ob causas quas supra attulimus in nota 95.

(115) In Missis ergo cum cantu, sed non pontificali ritu celebratis, a ceteris Sacerdotibus non differunt Protonotarii, nisi in usu Canonis, palmatoriae, urcei cum pelvi ac lance ad manutergium, et bene. Haec enim concessa fuisse noscuntur quampluribus ecclesiarum Canonicis, non Protonotariis, ergo, his eo magis. Quia vero in aliquibus ecclesiis, uti ex. gr. in Urbis Basilicis, ex

Digitized by Google

specialibus statutis a Canonis et palmatoriae usu se abstinere debent R.mi Canonici, hanc exceptionem hoc loco invenimus, quae et in citato § .19 constitutionis Pii IX habetur.

(116) Quia Protonotarius Supranumerarius aliquis esse nequit, nisi ratione canonicatus, ut in nota 31 fusius diximus, privilegiis huc usque designatis aeque uti non poterit nisi intra fines dioecesis in qua canonicatum obtinet. Ne autem omnia iura Protonotarius deperdat, opportune hic dicitur extra dioecesim posse quidem Pontificalia peragere, moderatiori tamen ornatu, prout nempe utuntur Protonotarii *ad instar*. Hinc binas mitras comparare sibi debet in casu Protonotarius Supranumerarius, unam ex serico albo, cum orae textu ex auro, aliam simplicem ex serico damasceno absque ullo ornamento aureo.

(117) Opportuna et aequa est huiusmodi dispositio, si enim Canonicos trium Patriarchalium Urbis hoc privilegio non ditasset Summus Pontifex, frustra Protonotarios supranumerarios eos declarasset, eorumque insignia, nempe usum faldistorii et mitrae cum aureis ornamentis, illis tribuisset, quibus numquam uti potuissent nec infra limites dioecesis Romanae.

(118) Canonici Patriarchalium Urbis honoratiores esse censentur quam alii cuiuscumque extra Urbem ecclesiae; et quia ob praesentiam Ementissimorum Patrum Cardinalium et Summi Pontificis, multis privilegiis uti nequeunt, saltem palmatoriae usus illis conceditur, licet inter Praelatos fortasse nondum sint adscripti.

(119) Huiusmodi clausula posita fuit, ut quisque ex Protonotariis sciat se uti non posse quibuscumque aliis privilegiis, iuribus, insignibus, vestibus et ornamentis, nisi iis quae in articulis a 13 usque ad 34 descripta sunt ac declarata, qui enim, praeter memorata aliis uti praesumpserit, honore privabitur et titulo uti sequenti art. 39 dicetur.

(120) Vide quae diximus in nota 37. Si quis ergo Canonicus alicuius Ecclesiae renunciatur, cuius Capitulo ab Apostolica Sede collata sint titulus, privilegia et iura Protonotariatus supranumerarii, potest quidem simul cum aliis sodalibus in choro,

Digitized by Google

aliisque functionibus capitularibus iisdem vestibus et ornamentis uti, etiam mitra, aliisque insigniis pontificalibus; extra tamen, et non praesente suo capitulo, nullo protonotariatus privilegio aut ornamento uti poterit, nisi prius Praelati Urbani titulo per apostolicum breve exornatus fuerit, nec non ut in praesenti articulo distincte declaratur, coram Collegii Protonotariorum Decano, professionem fidei et fidelitatis erga S. Sedem iuramentum praestiterit.

Porro ut quis tamquam privata persona omnibus iuribus et titulo Protonotarii supranumerarii gaudeat, haec oportet ut perficiantur:

*a*) Legitima ad Canonicatum, vel dignitatem promotio. *b*) Ipsius canonicatus vel dignitatis canonica possessio. *c*) Inter Praelatos Urbanos per breve Apostolicum aggregatio. *d*) Horum trium documentorum ad Decanum Collegii Protonotariorum partecipantium in Urbe praesentatio. *e*) Per se vel per procuratorem Professionis fidei, et fidelitatis iuramenti in manu ipsius Decani praestatio. *f*) De his omnibus rite gestis et praestitis documenti authentici proprio Ordinario praesentatio. Hisce enim omnibus adhibitis, verus et legitimus Protonotarius Supranumerarius dicetur et erit.

(121) Imo nomen eius in Annuario Pontificio, in Sylloge Protonotariorum iure meritoque recensendum erit, iam enim tamquam privata persona, Praelatus est per Breve apostolicum renunciatus, ideoque inter Praelatos, et quidem Protonotarios adnumerari debet, ut rite distinguatur ab illis Canonicis qui breve Praelaturae non obtinuerint.

(122) Aequissima est profecto huiusmodi SS. D. N. Pii Pp. X dispositio; etenim quotquot sunt Canonici quarumdam ecclesiarum extra Urbem a Pontificibus titulo et insignibus Protonotariorum tamquam de numero donati, revera omnibus iuribus et privilegiis fruebantur, quin breve personale obtinuerint Praelati domestici. Hinc ab huiusmodi Brevis expeditione dispensati sunt, alioquin ex *Motu proprio* minorati existerent. Ipsi ergo Praelati

Digitized by Google

domestici iuribus gaudent, et ideo tamquam singuli pontificalia agere possunt, ut supra dictum est, etiam extra Ecclesiam in qua canonicatu potiuntur.

Hic autem nil dicitur de Canonicis trium Patriarchalium Urbis, eo quod iam in eis antiqua extabat consuetudo, quod nullus Canonicus privilegiis et insigniis Protonotariorum uteretur, nisi prius Praelaturae Urbanae breve obtinuisset.

(123) Dispensantur Canonici ecclesiarum extra Urbem ab expeditione Brevis, non tamen iuramento fidelitatis, quod intra bimestre tempus praestare debuerunt in manibus Ordinarii, ut a susceptione Romani itineris, vel, a procuratoris electione liberarentur. Haec porro est clausula transitoria pro antiquis canonicis, pro novis enim eligendis manet dispositio in articulis 14 et 34 contenta.

(124) Articulus 36, valet solummodo pro Canonicis Protonotariis Supranumerariis extra Urbem, nam Romae Canonici numquam mitra, capitulariter vel singulariter uti possunt. Quia vero in apostolicis litteris, quibus Canonici quarumdam ecclesiarum extra Urbem Protonotarii constituuntur, dicitur etiam quod collegialiter mitra uti valent, dum Ordinarius pontificaliter celebrat, opportune hic decernitur quando et quomodo hoc privilegio utentur. Igitur, cum Ordinarius Episcopus pontificales celebrat functiones, Canonici Protonotarii sacris vestibus induti, mitram quidem assument, sed lineam, non vero aliam, quam adhibere queunt dum ipsi pontificalia agunt ut in articulo 27 dictum est. Quod optime cohaeret cum dispositionibus in constitutione Pii Pp. VII d. d. 27 Augusti 1822.

(125) Haec clausula, uti patet, intelligenda est de usu mitrae in functionibus collegialiter obeundis, quae nonnisi in Cathedrali ut plurimum celebrantur. Si vero in diplomate concessionis conceditur etiam in alia ecclesia, tunc profecto Canonici collegialiter hoc privilegio sine haesitatione utentur.

(126) Huiusmodi dispositio nova est omnino, neque in antiquis constitutionibus similis invenitur. Noluit enim Ss. D. N.



Digitized by Google

Pius Pp. X, quod clericus, nondum in Subdiaconatu constitutus ideoque liber ad saecularia vota transire, mitra uteretur, ne, si forte clericali militiae nuntium mittat, pontificali infula aliquando decoratum fuisse se iactet. Igitur, in casu, dum ceteri Canonici sodales sacris vestibus induti et mitra insigniti in choro assistunt, ipse Canonicus non Subdiaconus choralibus indumentis exornatus, post alios sedere poterit.

(127) Sicut enim Episcopi et Abbates, in Cappella Pontificia, inservientem de mitra non habent, et per seipsos eamdem accipiunt et deponunt, prae manibus eam gestantes, ita et Canonici parati in choro. Hoc idem disposuit Pius Pp. VII in citata Constitutione; ex qua etiam applicari valet in casu, alia dispositio, qua Canonici in processionibus Ss. Sacramenti mitram manu deferre debeant. Hinc minister de mitra adhiberi potest tantummodo a Protonotario quando pontificaliter aliquam celebrabit functionem; quo in casu Diaconus Missae iuxta S. R. C. decretum n. 1728, vel eo impedito Caeremoniarius mitram eidem imponit et aufert.

(128) Hoc ipsum S. R. C. declaraverat in decreto generali n. 2624.

(129) Diaconus vero et Subdiaconus, sicut et Diaconi et Presbyter assistentes Episcopo, mitra quidem ornari possunt sicut et alii Canonici in choro. Attamen dum aliquid agere debent, mitram clerico alicui tradunt, a quo suo tempore accipient ut propriis manibus eam induant.

(130) Hoc idem edixerat Pius Pp. VII in citata constitutione § 18, et S. R. C. decreto n. 2624.

Doct. Petrus Piacenza.

Digitized by Google

# Expositio Rubricarum.

## EXPOSITIO NOVISSIMA
## RUBRICARUM BREVIARII ROMANI

(*Continuatio.* V. num. 6, anni curr., pagg. 348-360).

## TITULUS XXI.
## De Antiphonis (707).

### N. 1.

**Ad omnes Horas nocturnas et diurnas semper cum Psalmis dicuntur Antiphonae (708), vel una, vel plures pro diversitate Officii et Horarum (709).**

(707) *De Antiphonis.* Ex graeco ἀντιφονεῖν, latine *ex adverso, reciproce et alternatim canere*, cantus antiphonus ortum dedit voci *Antiphonae*, quae non adhibetur nisi in lingua liturgica, nil enim significat extra usum ecclesiasticum.

S. Isidorus (*Etymol. VI, 19*) ait, antiphonam esse cantum, quo duo ordines canentium in choro, sibi invicem alternatim respondent; *in antiphonis versibus alternant chori, quod genus psallendi Graeci invenisse traduntur.*

Theodoretus (*Hist. Ec.* II, 19, *P. G. LXXXII, 1060*) reapse habet, huiusmodi genus, cantus alternati, inductum fuisse in ecclesia Antiochena medio saeculo IV, a monachis Diodoro et Flaviano, qui ut populum a tumultuantibus arianis et apollinaristis averterent, die noctuque in ecclesiis detinebant, tempus insumendo canticis sacris. Iuxta tamen D. Cabrol (*Le livre de la*

Digitized by Google

*prière antique* 1900, p. 46) quaestio de origine Antiphonarum definita non est, nam ex Theodoreto Mopsuesteno eruitur, S. Ignatium M. iam ab anno 100 inter christianos hunc modum cantandi alternatim invexisse (Cf. Baumer *Hist. du Brev.* I, p. 174). Sed et in Occidentalibus Ecclesiis, huiusmodi antiphonatus cantus incrementum accepit saeculo IV exeunte, opere praesertim S. Eusebii Vercellensis et S. Ambrosii, de quo testatur S. Augustinus (*Conf. IX, 7, n. 1*), cantum alternatum psalmorum in vigiliis instituisse, *secundum morem Orientalium partium, ne populus moeroris taedio contabesceret.*

Ceterum modus alternandi cantum psalmorum a duobus choris sibi invicem respondentibus etiam apud Iudaeos in usum erat, ortumque naturaliter habuit ut cantores pausare possent.

Hinc in regula S. Benedicti aliquando sumitur vocamen *Antiphona* ad significandum versum aliquem, seu sententiam quae alternatim cum versibus psalmi repetitur; de quo exempla adhuc extant in Missali, ex. gr. ad benedictionem Candelarum, in qua versus cantici *Nunc dimittis*, intermiscentur cum antiphona *Lumen ad revelationem*, nec non in Pontificali Romano in Dedicatione Ecclesiae et Altaris et in consacratione Episcopi. Aliquando vero sumitur ad significandum versum illum seu sententiam, quo aperitur et concluditur cantus psalmi.

In primo sensu sic B. Thomasius (*Antiphonarium Vaticanum*, pag. 24) antiphonam definit: « Antiphona est versus aliquis, sive sententia intercalaris, quae una cum Psalmi Canticive versibus, decantatur intercalari concentu, eodem prorsus ordine quo Ecclesiastica Responsoria cantantur ».

In secundo sensu postea frequentius accepta est Antiphona, ita ut significatus vocaminis *Antiphona* diversus prorsus evasit et primitivi usus eius et clara derivatio a cantu alternato penitus amisit. Saeculo ergo sexto Antiphona non amplius significat quod *alternatim, antiphonatim* erat decantandum, sed quod *ante* canitur; ideoque nova reperitur vocis huiusmodi etimologia; Antiphona enim exinde ex *anteponere* derivabit; et

Digitized by Google

S. Germanus Parisiensis (*Ep. altera de com. off. P. L.* LXXII, p. 95) hoc dicit explicite; *Antiphona dicta quia prius ipsa anteponitur.* Imo, in multis manuscriptis antiquis Regulae ipsius S. Benedicti legimus, etiam cum nova graphica significatione, *Antephona*, pro Antiphona. (*Cf.* Cabrol *Diction. d'Archéol. ad vocem* Antienne, *par* d. Leclercq.). *Antiphona* porro uti habetur in Officio divino aliisque liturgicis libris ecclesiae Occidentalis, post saeculum VII, non aliud significat nisi versum illum qui praecedit et sequitur psalmum. Ut plurimum sumitur antiphona ex psalmo ipso, aliquando ex aliis libris antiqui vel novi testamenti, et aliquando constant ex historia sanctorum vel ex dictis Ss. Patrum.

Guyetus (*l. 3, c. 4, q. 4*), more suo scribit: « Antiphonarum triplex genus, psalterialium, historicarum et ex utrisque mixtarum. Psalteriales eae sunt quae in Psalterio habentur ex Psalmis ipsis depromptae..... Historicae, quae ex historia Mysterii seu Sancti, cuius festum est, carptim delibatae per singulos Psalmos seu Cantica distribuuntur, cuiusmodi sunt festorum Christi Domini, B. Mariae, Ss. Petri, Stephani, Laurentii, aliaeque omnes Officiorum propriorum. Item Evangelicae, seu quae ex Evangeliis depromptae per omnes Dominicas et Ferias Quadragesimae ponuntur ad *Benedictus* et *Magnificat.* Item aliae omnes, quae ad Mysterium seu Sanctum pertinent, licet non sint ex historia depromptae, ut sunt Antiphonae festi Circumcisionis *O admirabile commercium*, cum reliquis, Antiphona ista in die Ascensionis, *O Rex gloriae, Domine virtutum* etc. Antiphona, *O sacrum convivium* in festo Corporis Christi, Antiphona, *Salve iubente Deo* etc. in festo S. Petri ad vincula etc. ».

« Mixtae denique dicuntur, quae ex psalmis depromptae, paucis verbis additis vel mutatis, vel transpositis ad rem Mysteria seu Sancti traducuntur, quales sunt Antiphonae Vesperarum diei Nativitatis Domini, *Tecum principium* etc. Antiphona 3 Laudum S. Stephani et S. Laurentii, *Adhaesit anima mea post te* etc. pleraeque de Communi Sanctorum, maxime super Psalmos

Digitized by Google

Nocturnorum et prae aliis Antiphonae omnes Festi Corporis Christi a S. Thoma exaratae ».

« Inter has vero et illas discrimen est, quod historicae ad quoscumque Psalmos sint idoneae, mixtae vero non nisi ad eos ex quibus erutae sunt. Quod cum in omnibus Officiis Breviarii Romani constanti lege servatum reperiatur, non possum non dissonantiae alicuius arguere Officia illa propria, in quibus secus aliquid factum deprehenditur » (1)..... « Longiores quandoque sunt, magisque emphaticae quae super Cantica *Benedictus* et *Magnificat* imponuntur, caeterae vero breviores quibus nec plus quinque sexne lineas tribui convenit ».

(708) *Ad omnes Horas nocturnas et diurnas semper cum Psalmis dicuntur Antiphonae.* Excipe Horas minores in triduo mortis Domini, et per octavam paschalem, in qua Antiphona, *Haec dies,* quae revera dicitur et in minoribus Horis, locum tamen non tenet consuetae Antiphonae, quae Psalmis praeponitur.

(709) *Vel una vel plures pro diversitate Officii et Horarum.* Ratione diversitatis officii habemus officium dominicale et feriale in quibus et plurimum dicuntur duo psalmi sub una tantum Antiphona; in officiis vero Festorum unicuique antiphonae psalmus quoque correspondet. Ratione vero diversitatis Horarum, habemus horas minores, et Completorium quorum tres vel quatuor psalmi sub una antiphona dicuntur, et habemus Laudes, in quibus antiphona I in dominicis imponitur primis quatuor psalmis et III, tribus ultimis; in festis vero I, II et IV, imponitur I et II psalmo et cantico, III, imponitur III et IV psalmo, et V, psalmis tribus ultimis.

(1) Alii liturgici scriptores, Officia praesertim Passionis D. N. I. C. censoria nota inusserunt ob neglectas leges quibus horae canonicae construi debent (A Carpo); quoad Antiphonas ex. gr. ad Matutinum SS. Sindonis, habetur III, *Diviserunt sibi* ex Ps. 21, posita super Ps. 14; V. *Omnes videntes me* pariter ex Ps. 21, super Ps. 23; VII *Caro mea* e Ps. 15, super Ps. 53; et VIII *Convertisti* ex Ps. 29 super Ps. 75. Idem de officio novissimo Flagellationis, in quo Antiphonae ad Vesperas sunt psalteriales, non conveniunt tamen cum psalmo quem concomitatur. Oh si viverent Guyetus, Gavantus, Bana et Thomasius!!

Digitized by Google

## N. 2.

Si de Tempore fiat Officium, id est de Dominica, aut Feria (710), dicuntur Antiphonae ut in Psalterio, quae cum Psalmis (711) positae in Vesperis Dominicae, et Feriarum, in Completorio et in Nocturnis [etiam quando fit Officium de Festo trium Lectionum, idest, Simplici] numquam mutantur (712), nisi tempore Paschali, in una tantum Antiphona quo dicitur *Alleluia* (713); excepto etiam tempore Adventus, in quo ad Vesperas et Nocturnos Dominicae ponuntur Antiphonae propriae (714). In Laudibus et aliis Horis mutantur pro diversitate temporum ut in Proprio de Tempore habentur (715): cum vero non assignantur propriae, semper dicuntur quae positae sunt in Psalterio (716).

(710) *Si de Tempore fiat Officium idest de Dominica aut Feria.* Etiam festa quae Natalitia dicuntur, nec non Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Trinitatis et Corporis Christi inter officia *de Tempore* disponuntur in Brevario, nihilominus, de huiusmodi festivitatibus non loquitur haec Rubrica, sed tantum de Officio *de Tempore* in Dominicis et Feriis per annum celebrando.

(711) *Dicuntur Antiphonae ut in Psallerio quae cum Psalmis...* Hic agitur de Antiphonis quae super Psalmos dicuntur, non vero de iis quae super Cantica, nempe *Benedictus* et *Magnificat*, quia hae mutantur in Dominicis semper, in Feriis quandoque. Imo et ad *Nunc dimittis* a Feria V in coena Domini

Digitized by Google

usque ad Sabbatum in Albis mutatur solita antiphona *Salva nos*. Regulariter vero Antiphonae dicuntur ut in Psalterio.

(712)..... *positae in Vesperis Dominicae et Feriarum, in Completorio et in Nocturnis (etiam quando fit officium de Festo trium Lectionum, idest simplici) numquam mutantur.* Haec Rubricarum dispositio per se patet, nam in Breviario nulla ponitur variatio Antiphonarum super Psalmos ad Vesperas, ad Matutinum et ad Completorium, nisi pro Tempore Paschali, de quo statim dicitur, et nisi ad Cantica pro quibus unaquaeque ex Dominicis etiam per annum, et singulae Feriae maiores, propriam habent Antiphonam.

(713)..... *nisi tempore Paschali, in quo dicitur una tantum Antiphona* Alleluia. *Una tantum Antiphona*, dicitur non unum tantum *Alleluia*; scilicet per omnibus Psalmis, Matutini, Vesperarum et Completorii, una tantum tempore Paschali dicitur Antiphona, quae incipit cum vocamine *Alleluia* in nocturno officio; ad Vesperas vero et ad Completarium, sicut et pro Horis minoribus, ipsa antiphona constat ex tribus *Alleluia*.

(714) *Excepto etiam tempore Adventus in quo ad Vesperas et Nocturnos Dominicae ponuntur Antiphonae propriae.* Hoc quoque facile cuique apparet in dispositione Breviarii, in quo Antiphonae super Psalmos Vesperarum cuiusvis Dominicae Adventus sumuntur in Proprio de Tempore prout in Laudibus; illae vero quae dicendae sunt in nocturnis, eaedem semper sunt in quatuor Adventus Dominicis et sumuntur in psalterio.

(715) *In Laudibus et aliis Horis mutantur pro diversitate temporum, ut in Proprio de Tempore habentur.* In Dominicis per annum Antiphonae super Psalmos in Laudibus et in Horis minoribus sumuntur in Psalterio; in dominicis vero maioribus, Antiphonae propriae habentur et sumuntur in Proprio de Tempore, imo quandoque etiam in Feriis, ut in iis quae occurrant a die 17 usque ad 24 decembris, et in maiori Hebdomada.

(716) *Cum vero non assignantur propriae semper dicuntur quae positae sunt in Psalterio.* Haec est generalis lex, quia ad

Digitized by Google

Psalterium, prout habetur in Breviario, recurritur quando agitur officium de Tempore, sicut ad commune quando fit officium Sanctorum, ubi desunt propria.

## N. 3.

Antiphonae, quae in Proprio de Tempore pro Sabbatis ponuntur ad *Magnificat* pro prima Dominica alicuius mensis, sumendae sunt ex ea Dominica, quae est proximior Kalendis, vel est in Kalendis illius mensis; ut dictum est supra in Rubricis de Dominicis, ac etiam in Rubrica mensis Augusti, et semper in Sabbato ponitur Antiphona ad *Magnificat*, quae contigua est libro Scripturae in Dominica ponendo (717).

(717) Huiuscae Rubricae ratio est, quia Vesperae in Sabbatis per annum, a capitulo sunt de sequenti Dominica, ideoque Antiphona ad *Magnificat* pertinet, non ad Sabbatum ipsum, sed ad officium Dominicae cuius sumitur et propria Oratio. Igitur, cum in primis Dominicis mensium Augusti, Septembris, Octobris et Novembris ponuntur novi libri Scripturae, licet nondam absoluta sit lectura antecedentis libri, et cum Antiphona ad *Magnificat* in Sabbatis sumitur reapse ex libro Scripturae in Dominica sequenti incipiendo, necessario fit locus dispositioni huius Rubricae. Quae autem sit Dominica prima alicuius mensis, iam diximus in nota 105, et habetur in Breviario in Rubrica quae legitur ante Dominicam I Augusti.

(*Continuabitur*). Doct. PETRUS PIACENZA.

Digitized by Google

# Quaestiones Liturgicae.

## De Orationum numero in Missis votivis.[1]

**Quaestio.** – Quot orationes dicendae sunt in Missis votivis, in quibus commemoretur Officium occurrens, sive Duplex, sive Semiduplex, aut Simplex integre recitatum eo die in Breviario?

**Solutio.** – Unanimis Doctorum sententia hucusque fuit tres Orationes dicendas esse, etiamsi commemoratio fiat in eis de Duplici integre recitato in Officio, quoties agitur de Votivis pro causa non publica celebratis in ipsis diebus a Rubrica determinatis.

*Dixi 1°*: quoties agitur de Votivis pro causa non publica, quia quae celebrantur pro re gravi vel causa Ecclesiae publica, semper in eis dicitur una tantum Oratio (Rubr. gen. Miss., tit. IX, n. 14), et ideo non in quaestionem venire queunt.

*Dixi 2°*: quoties agitur de Votivis celebratis in ipsis diebus a Rubrica determinatis, quia Votivae, quae ex Indulto Apostolico conceduntur, subiici possunt peculiaribus quoque regulis, et proinde Votivarum normam non constituunt, teste axiomate valde trito: « *Quae a iure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda* ».

*Dixi 3°*: etiamsi in eis commemoratio fiat de Duplici integre recitato, quia si Votivae sunt Communes, quas Rubrica absolute e Duplicibus et Dominicis excludit (tit. IV, n. 3), non desunt et aliae Votivae speciales, quas ipsa Rubrica celebrare sinit etiam in Duplicibus, quin propterea supprimatur tertia Oratio, ut videbimus infra.

Quibus praemissis ut verus quaestionis ambitus clare appareat, nunc ostendendum venit quod praefati Doctores sic sentiendo non erraverunt, et demonstrare debemus: 1° Votivas omnes quae;

(1) Cfr. *Ephem. Liturg.*, anni curr., pagg. 157 et 197.

Digitized by Google

favente Rubrica, celebrari queunt ex causa non publica tam in Semiduplicibus quam in Simplicibus et Duplicibus, tres uniformiter sibi vindicare Orationes; 2° huic doctrinae non opponi posse decreta a cl. Brugnani allegata, et speciatim illud diei 26 Ianuarii 1793 et alterum diei 12 Maii 1905.

1ª *pars.* – Quod ut minimum Rubricae generales Missalis assignent tres Orationes dicendas in Votivis quibuscumque ex causa non publica celebratis, hoc sufficienter patet ex simplici lectione tit. IX, n. 14 et 15. Quoniam tamen cl. Brugnani regulam ibi memoratam restringit ad solas Votivas in Feriis, Simplicibus, et Semiduplicibus occurrentes, quamvis non distinguat Rubrica; nos ergo insistere debemus, et ex omni necessitate videre: an Confrater ille iuste ac merito reliquerit extra legem hanc Votivas, quas aliae Rubricae etiam in duplicibus non raro admittunt?

Quid primo asserit specialis Rubrica, quae ad Votivam pro Sponso et Sponsa attinet? Declarat eam de pleno iure dici debere, *etiamsi occurrat festum duplex maius vel minus.* Sed quot orationes dicendae? Audi duo decreta generalia, unum antiquius (3 Martii 1818), et alterum recens (30 Iunii 1896). Ambo, in Authentica Collectione inscripta sub n. 2582 et 3922, § VI, nonne ternarium numerum Orationum absque ulla distinctione proclamant? Quod tamen inexplicabile foret, si distinguere oporteret, quia in hisce decretis quanquam generalibus Sacra Rituum Congregatio non providisset casibus Votivarum non raro in Duplicibus occurrentium. Hinc, iuxta ipsorum Decretorum tenorem – nisi dicere velis Romam non accurate locutam fuisse – absolute tenendum est in celebratione Nuptiarum, *etiamsi officium fiat de festo duplici per annum sive mai. sive min.*, Missam votivam in fine Missalis pro Sponsis specialiter assignatam, semper legi debere, quatenus privatam, sine *Gloria* et sine *Credo*, cum tribus Orationibus, 1ª videlicet eiusdem Missae votivae propria, 2ª et 3ª diei currentis, ut habetur in Rubr. Miss. tit. VII, n. 3.

Inspice pariter Rubricam specialem de Missa Votiva post Processionem S. Marci et Rogationum dicenda. Eius celebratio fieri

Digitized by Google

debet etiam in Dominica et Duplicibus 2ae cl., et nihilominus non variantur Orationes iuxta ritum Officii occurrentis, sed tres semper iubentur. Verbi gratia, die 12 Nov. 1831, n. 2682, ad 35, S. R. C. declarat in ecclesiis, sive in quibus non solet quotidie Missa decantari, sive in quibus adest solus Parochus, *etiamsi occurrat festum duplex*, Missam Processionis esse dicendam Rogationum in casu dicto: unde iam clare innuitur tres Orationes esse recitandas, quoniam in praefata Votiva expresse notantur. Sed ad maiorem securitatem, res de novo proponitur et quaeritur: Quot et quaenam in casu Duplicis celebrati faciendae sunt commemorationes? Ad quod eadem Congregatio respondit: « Faciendam esse commemorationem festi occurrentis cum sola tertia Oratione, quae 2° loco praescribitur in Missa Rogationum » (23 Maii 1846, n. 2915, ad 2). Hinc, perfecte liquida est conclusio, nimirum, Duplex aliquod integre celebratum nequaquam influere super Orationum numerum in Missis Votivis ubi commemoraretur diebus a Rubrica praevisis, et semper tres dicendas esse Orationes ut in mere semiduplicibus.

In quo ceterum Duplex celebratum *secundum ordinem officii* influere posset super Votivas quae celebrantur *extra ordinem officii*? Facile concipitur Missam Duplicis pertinentem ad ipsum ordinem officii unam tantum habere Orationem sicut et in Breviario, nisi aliqua commemoratio fieri debeat (tit. IX, n. 1); sed in Votivis quae non pertinent ad ordinem officii, non video curnam illae in Duplicibus exorbitarent a iure Votivarum communi, quoniam ibi, ut patet, cessat tota ratio uniformitatis cum officio, et ita sensus liturgicus nequit laesus haberi per trium Orationum recitationem.

Adde insuper nullum Liturgistam alicuius notae tantisper inclinasse versus opinionem cl. Brugnani. Quos enim ipse praesumit in suo sensu abundare, ii loquuntur vel de Votivis privilegiatis vel de Votivis ex Indulto Apostolico concessis; et proinde adduci non valent in exemplum *ad declarationem normae sequendae*, quia exulant a iure communi.

Digitized by Google

Ex quibus iam secure concludimus cum Victorio ab Appeltern et Gardellini in notis super n. 2582, tres Orationes semper dici debere in Votivis a Rubrica permissis (etiamsi de duplici maiori vel minori officium recitatum fuerit), quin obstent, ut nunc videre est, decreta contra nos allegata.

2ª *pars.* – Libenter profiteor ista decreta aliqualiter esse speciosa, si a contextu et occasione eorum separata examinantur; sed melius inspecta, mirifice corroborant nostram sententiam.

Mens siquidem illorum, quaenam est? Numquid regere intendunt Votivas sine ullo addito? Sed contra, coarctatur dubium ad Votivas alicui Ordini ex Indulto Apostolico concessas etiam in die, quo eas non admitteret ius commune; et nedum illas regere velint, quas Rubrica permittit currenter in suis propriis diebus, aperte definitur tantum modus agendi relate ad Orationes, quando Religiosi Votivas celebrabunt, mediante praefato Indulto, in diebus quibus vi Rubricarum celebrari nequeunt.

*a*) Lege, ex. gratia, primum dubium, quale refertur in Collectione Decretorum. S. R. C., die 20 Iunii 1744, Patribus Ordinis Reformatorum S. Francisci Provinciae Bahien. in Brasilia benigne indulsisse dicitur, ut in eorum ecclesiis celebrari possit Missa solemnis festiva cum cantu de Immac. Concept. B. M. V. singulis Sabbatis non impeditis Festo dupl. 1 vel 2 classis, Vigiliis aut Octavis privilegiatis; et Religiosi exinde supplicant: « An *in tali Missa votiva solemni* tres Orationes dici debeant, vel una tantum cum *Credo* »?

Porro, audita sententia unius ex Caeremoniarum Apostolicarum Magistris, responsio fuit: « Affirmative ad primam partem iuxta modum, scilicet: in Feriis, Simplicibus, et Semiduplicibus tres dicendas esse Orationes; in duplicibus duas, semperque cum *Gloria*, ratione Sabbati; ad secundam vero partem, negative » (26 Ianuarii 1793, n. 2542, ad 1).

Quid autem concludere ex isto particulari casu, qui certe per dierum ambitum concessorum exulat a iure communi? Nihil absolute contra nos: 1° quia nefas est transire de genere ad genus,

Digitized by Google

et ad consequentiam trahere, quae statuta sunt pro votivis ex Indulto concessis ultra dies a Rubrica fixos, prae regula quae citra dubium declaratur sequenda in Missis votivis celebratis intra dies a Rubrica determinatos; 2° quia, si hoc particulare decretum pro norma tenetur, aliud generale et posterius a SS.mo Pio Papa VII approbatum et confirmatum, non conservari debuisset in Collectione, quoniam declarat, *firma remanente dispositione alterius generalis decreti quoad designationem dierum, in quibus Missa Votiva pro Sponso et Sponsa celebrari potest*, eamdem esse Votivam privatam, proinde semper legendam sine Hymno Angelico et sine Symbolo Nicaeno, cum tribus Orationibus... (28 Febr. 1818, n. 2582).

Neque dicas cum cl. Brugnani, duo decreta conciliari posse, dicendo videlicet *particulare decretum* omnes casus praevidisse, et *decretum generale*, licet posterius, non attendisse ad celebrationem Votivarum in Duplicibus. Quis auderet id serio sustinere, quando Sanctitas sua mandare curavit *generale decretum praelo tradi et publici iuris fieri*? Praeterea, decretum commemorat, hanc Votivam esse dicendam, *etiamsi fiat officium de dupl. mai. vel min.*, et declarare omitteret quid agendum in casu? Quis talem interpretationem pati poterit, quando pariter definire curat, praefatam Missam esse *Votivam privatam, proinde semper legendam... cum tribus Orationibus?*

Audi praesertim *generale Decretum* diei 30 Iunii 1896, et negare non poteris veritatem nostrarum conclusionum, et imo scies famosum *particulare Decretum* non amplius obstare.

In decreto anteriori diei 28 Febr. 1818, contradictor noster iam immerito propugnabat in nota vocem « semper » – et quidem non absque difficultate – applicari tantum omissioni obligatoriae Hymni Angelici *Gloria* et Symboli *Credo*. Sed in praesenti, res prorsus evadit impossibilis, quia legimus: « *Eadem Missa* (id est Votiva pro Sponsis), *cum sit votiva privata, semper celebranda est, etiamsi fiat in cantu, sine Gloria et sine Credo et cum tribus Orationibus* », et ita vox « semper » non potest non respicere tres Orationes ipsas, quin logica aperte laedatur (n. 3922, § VI).

Digitized by Google

Sed progrediamur. « Tres saltem Orationes, ait Congregatio, iuxta Rubricas dicantur, *etiam in Missis Votivis huiusmodi* (id est B. M. V.) *quae ex Indulto quolibet anni Sabbato cantari solent* ». Unde iam nitide apparet impraesentiarum normam trium Orationum ubique valere non solum pro Votivis a Rubrica permissis, sed etiam pro Votivis, de quibus loquebatur *particulare* decretum, quod iuxta Brugnani, legem tamen facere debebat pro omnibus.

Et id adeo certum est, ut in fine decreti generalis legatur: « *Non obstantibus decretis quibuscumque particularibus in contrarium facientibus, quae per hoc generale decretum uti revocata ac nullius roboris habenda esse S. R. C. declarat* », et consequenter, si non ut *particulare indultum* habeatur dictum decretum n. 2542 ad 1 *pro Ordine Minorum*, superest ut nemo in posterum illud observet.

*b*) Quomodo autem intelligere novissimum decretum diei 12 Maii 1905 pro eodem Ordine Minorum?

Agitur, sicut et in decreto citato n. 2542 ad 1, de Missis votivis B. M. V. ex Indulto concessis, et non de aliis, ut praetendit cum cl. Brugnani pag. 165 Commentarium ipsius decreti pag. 197, et alter alicuius dubii solutor pag. 301, in *Ephemeridibus Liturgicis*.

Contemplare potius rationem consultationis. « Quo facilius uniformitas habeatur in celebranda Missa Votiva Immac. Concept. ex Indulto Apostolico Ordini Fratrum Minorum in Duplicibus etiam permissa, hodiernus Rev. Procurator Generalis eiusdem Ordinis sequentia dubia S. R. C. exsolvenda humiliter proposuit », inter quae: II. An in Missa Votiva, etiam Vigiliae (B. M. V.) respondente, dicenda, in qua commemoratur Duplex eo die integrum Officium ac Missam habens, debeat ratione Duplicis omitti oratio tertia de Tempore...?

Quum autem Congregatio, audita sententia Commissionis Liturgicae adhaerentis voto Rev. Consultoris Petri Piacenza, rescripserit: « Affirmative... ad mentem decretorum 2542, ad I... », quomodo nunc conciliare hanc responsionem cum decreto generali diei 30 Iunii 1896?

Digitized by Google

Respondemus, antiquum decretum n. 2542 pro Minoribus ad instar proprii et particularis Indulti habendum esse, et ideo novum diei 12 Maii 1905 pariter ut particulare Indultum valere dumtaxat pro dictis Religiosis quoad celebrandam Missam votivam de Immaculata Conceptione B. M. V.

Quae quum ita sint, intacta ex omni parte remanet doctrina hucusque a Doctoribus propugnata, et sequenda norma a decretis generalibus tradita die 28 Febr. 1818 et 30 Iunii 1896, quae proptera abrogat signanter n. 2542 et decretum diei 12 Maii 1905, ad II, nisi dicas ea pro Ordine Minorum Indulti seu Privilegii rationem habere, teste decreto *Urbis et Orbis* 16 Febr. 1898, in capite I voluminis decretorum.

A. FOURNERET
ex Acad. Liturg. Rom. Censoribus.

# Consultationes.

## I. — Dubiorum liturgicorum solutio.

EX URBE.

**De partibus Officiorum propriis reponendis.**

**Dub.** – Quaenam Officiorum partes censendae sunt *propriae*, ad mentem Decreti S. R. C., d. 29 Iulii 1904, praesertim quoad festa B. M. V. et quoad psalmos?

**Resp.** – Ex Decreto S. R. C., 29 Iulii 1904, *Ord. Fr. Min. Prov. Angl.*, ad I (apud *Ephem. Liturg.*, vol. XVIII, pag. 583), in Festis, non autem in Officio de die infra Octavam aut de die Octava, *partes Officiorum propriae* debent, in casu impedimenti, loco illarum poni quae vel de Communi accipiuntur, vel sunt iam in iisdem Officiis recitatae; ita nempe ut in Festo S. Antonii Patavini primis Vesperis carente, antiphonae in hisce Ve-

Digitized by Google

speris propriae (pro utentibus Breviario Romano-Seraphico) ponendae sint in secundis Vesperis, omissis antiphonis quae secus ex Laudibus forent repetendae.

Iamvero quaenam Officiorum partes censendae sunt *propriae*, ad mentem praefati Decreti?

Opposita sunt *proprium* et *commune*; utrumque autem duplicis est generis, idest vel de Tempore vel de Sanctis.

Quoad Officium de Tempore, idest de Dominica vel Feria, *propria* sunt ea quae in secunda parte Breviarii seu in Proprio de Tempore, *communia* autem quae in prima Breviarii parte seu in Psalterio ponuntur; ad Sanctorum Officia quod attinet, propria sunt quae in tertia parte Breviarii seu in proprio Sanctorum habentur, communia vero quae extant in quarta Breviarii parte seu in Communi Sanctorum (Cfr. Rubr. Brev., tit. XII, n. 2 et 3).

Pro festivitatibus B. Mariae Virginis, commune Officium nunc non est Officium eius parvum circa finem Breviarii, sed est illud quod in recentioribus Breviariis inscribitur « *In Festis beatae Mariae Virginis per annum* ». Id aperte constat ex Rubrica generali Breviarii (tit. XII, n. 5) reformata per Decretum diei 11 Dec. 1897. Cfr. *Ephem. Liturg.*, vol. XVIII, pag. 33.

Itaque in festo Purificationis B. M. V. antiphonae *O admirabile commercium* de primis Vesperis, quamvis recitatae iam sint in festo Circumcisionis Domini et in Vigilia Epiphaniae, atque extent in Officio parvo B. M. V. post Nativitatem usque ad Purificationem, tanquam *propriae* censentur, eo quod minime leguntur in communi Deiparae Officio, idest in Festis B. M. V. per annum; si igitur Purificationis festum alicubi primis Vesperis integris careat, antiphonae *O admirabile commercium* in secundis Vesperis dicentur, loco antiphonarum *Simeon iustus* quae ad Laudes sunt iam recitatae.

Item antiphona *Spiritus sanctus*, quae dicitur ad *Magnificat* in primis Vesperis Expectationis Partus B. M. V. (die 18 Dec. pro aliq. locis) cum e communi Deiparae Officio sumpta non sit,



Digitized by Google

*propria* habetur, etiamsi dicatur in eius Officio parvo, tempore Adventus, nec non ad *Benedictus* in prima Adventus Dominica (1); ideo, si festum Expectationis Partus B. M. V. ob duplex 1 classis sequens commemoratione in secundis Vesperis privetur, antiphona *O Virgo virginum* in iisdem Vesperis posita non anticipatur ad *Magnificat* in primis Vesperis, in quibus de more dicetur antiphona *Spiritus sanctus*; quoties autem praefatum festum secundas Vesperas integras non habeat, antiphona *De fructu* ad Laudes anticipanda videtur, loco quintae antiphonae *Ecce ancilla* in primis Vesperis recitatae; Decretum enim S. R. C., d. 29 Iulii 1904, superius citatum, iubet ut partes Officiorum propriae, in casu impedimenti, loco illarum ponantur quae in iisdem Officiis *sunt iam recitatae*.

Quid vero dicendum de psalmis specialibus, qui quandoque in Proprio Sanctorum assignantur? Suntne tanquam *proprii* censendi in casu?

Aliqua quidem ratione proprii appellari possunt, quatenus videlicet non iidem sunt qui in respectivo *Communi Sanctorum* habentur; v. gr. in utrisque Vesperis sanctarum Virginum Agnetis et Agathae (21 Ian. et 5 Febr.), loco psalmorum de communi Virginum, assignantur psalmi de Dominica, ultimo excepto, qui est *Laudate Dominum* pro primis Vesperis, *Lauda, Ierusalem, Dominum,* pro secundis; insuper quandoque unus vel alter versus psalmi in aliquo festo assignati relationem dicit ad Mysterium vel Sanctum, cuius festum peragitur; quod sufficere videtur, ut psalmus eidem festo *uti proprius* adiudicari possit (Van der Stappen, tom. I, q. 21); ita in secundis Vesperis Expectationis Partus B. M. V. assignatur ultimus psalmus *Memento, Domine, David*, in quo legitur: « *De fructu ventris tui* ponam super sedem tuam » ; in secundis Vesperis sanctorum Angelorum (v. gr. S. Michaelis Archangeli, Ss. Angelorum Custodum, etc.) ultimus

(1) Antiphona *Spiritus sanctus*, quae dicitur ad *Magnificat* in 1 Vesp. Annunt. B. M. V. diversis constat verbis; sed dato etiam quod iisdem vocibus constaret, quid inde?

Digitized by Google

psalmus est *Confitebor tibi... quoniam audisti*, in quo habentur verba: « *In conspectu Angelorum psallam tibi* »; in secundis Vesperis Orationis D. N. I. C. in monte Oliveti, atque Sacr. Lanceae et Clavorum D. N. apponitur ultimus psalmus *Credidi*, in quo legimus: « *Calicem salutaris accipiam* »; in secundis Vesperis Sacrat. Sindonis D. N. assignatur ultimus psalmus *Voce mea ad Dominum clamavi*, qui totus Christo morituro bene applicatur; in secundis Vesperis Pretiosissimi Sanguinis D. N. ponitur ultimus psalmus *Lauda, Ierusalem, Dominum*, ad illud festum satis concinnus.

Attamen, re penitus perspecta, dici etiam potest, psalmos, qui in Proprio Sanctorum assignantur, non esse stricte habendos tanquam partes Officiorum *proprias*, de quibus agit Decretum S. R. C., d. 29 Iulii 1904; omnes enim psalmi integre ac sine ulla immutatione desumuntur e prima Breviarii parte, nempe e Psalterio, quod est *commune* Officii de Tempore (cfr. *Ephemerides Liturg.*, vol. XVIII, pag. 30); psalmi igitur semper appellari possunt partes Officiorum *communes*.

Praeterea in Rubricis generalibus Breviarii (tit. XXII, n. 6) legitur: « Psalmi de Dominica ad Vesperas, ut plurimum dicuntur in Vesperis Festorum, *excepto ultimo, qui mutatur*: cum vero aliter fieri debet, suis locis notatur ». Qua ex Rubrica infertur, ultimum psalmum pro utrisque Vesperis in Proprio Sanctorum appositum, esse semper aliqua ratione proprium Mysterii vel Sancti cuius festum agitur; hoc praesertim valet quoad festa Domini ac sanctorum Angelorum, quae (excepto Dedicationis festo) non habent in Breviario Officium *commune*, uti adest pro Deiparae ceterorumque Sanctorum festis. Sicut igitur antiphona *magis propria* non est antiphonae *minus propriae* praeferenda (hoc enim nequaquam ex Decretis eruitur, uti diximus in his *Ephem. Liturg.*, vol. XIX, pag. 691, n. 3), ita in primis Vesperis Ss. Agnetis et Agathae, Orationis D. N. I. C., Lanceae et Clavorum, Sindonis ac Pretiosissimi Sanguinis eiusdem D. N., necnon Ss. Angelorum non est omittendus psalmus *Laudate Dominum*, ut locus fiat psalmo

Digitized by Google

*Credidi*, vel *Voce mea*, vel *Lauda, Ierusalem, Dominum*, vel *Confitebor*, qui in secundis Vesperis dici nequeat.

Ceterum psalmus *Lauda, Ierusalem, Dominum*, assignatus in secundis Vesperis Ss. Agnetis et Agathae habetur etiam in Communi Virginum, ideoque non est vere proprius Ss. Agnetis et Agathae. Item psalmus *Memento*, assignatus in secundis Vesperis Expectationis Partus B. M. V., extat etiam in Communi Confessorum Pontificum; hinc dici nequit stricte proprius illius festi.

Concludendum igitur putamus, quod psalmis, donec aliter S. R. C. declaret, non est applicandum Decretum d. 29 Iulii 1904; qua sententia in praxim deducta, multa incommoda eliminantur.

Neque gravis nobis videtur difficultas petita ex peculiari Rubrica Breviarii Romano-Seraphici, quae sub die 24 Martii statuit, ut in primis Vesperis sancti Gabrielis Archangeli dicatur ultimus psalmus *Confitebor* ex secundis Vesperis impeditis a sequenti festo Annuntiationis B. M. V. (cfr. *Ephem. Liturg.*, vol. XIX, pag. 618); haec enim Rubrica, uti docet cl. A Carpo (*Kalend. perpet.*, sub d. 24 Mart.), quum in aliis Breviariis minime reperiatur, ab iis tantummodo est usurpanda, qui Breviario Romano-Seraphico utuntur; in appendice autem Breviarii Romani typici, quamvis festum S. Gabrielis assignatum die 18 Martii careat *perpetuo* secundis Vesperis ob sequens festum S. Ioseph, nihilominus nihil statuitur quoad ultimum psalmum *Confitebor* in primis Vesperis anticipandum.

## E Lusitania.

**Dub.** - Qua die in ecclesiis Ordinis Benedictini fit commemoratio omnium defunctorum eiusdem Ordinis, possuntne dici pro iis omnes Missae privatae de requie, etiamsi occurrat festum duplex minus?

**Resp.** *Affirmative*, iuxta Decretum S. R. C., d. 5 Maii 1736, quod, quamvis e nova Decretorum collectione expunctum sit, adhuc tamen viget, utpote habens *rationem indulti seu privilegii* pro ec-

Digitized by Google

clesiis Ordinis S. Benedicti (Cfr. Decr. S. R. C., 16 Febr. 1898, initio collectionis, et vol. IV Decr. S. R. C., pag. 179). Neque his, quae nunc dicimus, adversantur ea quae scripta sunt in his *Ephem. Liturg.*, anno curr., pag. 297; ibi enim legitur, in anniversario omnium defunctorum alicuius Ordinis, *secluso speciali indulto*, ob occursum festi duplicis etiam minoris ac translati, unicam Missam de requie solemnem, vel cantatam, vel Conventualis instar permitti.

## II. — Breviora responsa.

### Pro Belgio.

1. Quodcumque festum habens octavam, si ob *perpetuum* impedimentum alia die reponatur, *cum integra octava* transferendum est, ut alias diximus. Cfr. *Ephem. Liturgicae*, vol. XVI, pag. 438, ac vol. XIX, pag. 365.

2. Concurrente festo S. Aloisii Conf. Titularis propriae ecclesiae cum festo S. Albani Mart. Patroni praecipui Dioecesis, non autem illius loci, Vesperae integrae dicuntur de S. Aloisio, quamvis sequens festum sit ex indulto duplex 1 classis cum octava; si vero S. Albanus Mart. sit praecipuus Patronus non solum Dioecesis sed etiam illius loci, Vesperae dividuntur; ratione autem *feriationis*, festum S. Albani tam in occurrentia quam in concurrentia praeferri *potest* alteri festo. Cfr. *Ephem. Liturg.*, vol. XII, pag. 444, vol. XIII, pag. 80, et ann. curr., pag. 239.

### Pro Rochester.

1. Ubi ex Apostolico indulto cantari potest Missa de requie ter in hebdomada, occurrente etiam festo ritus duplicis, exceptis tamen festis 1 et 2 classis, diebus Dominicis aliisque festis de praecepto, nec non *vigiliis*, feriis octavisque privilegiatis, eadem

Digitized by Google

Missa cani potest etiam *in Vigilia Epiphaniae* utpote quae non est stricte privilegiata. S. R. C., 9 Maii 1857, n. 3049 ad 2, et 16 Sept. 1673, n. 1491.

2. Quoad Sanctum in oratione *A cunctis* nominandum, cfr. *Ephem. Liturg.* vol. XIX, pag. 351.

3. Paramenta pro ordinandis in sacris debent esse eiusdem coloris atque paramenta ipsius Celebrantis, nisi aliud postulet necessitas. ut declaravit S. R. C., 17 Iulii 1894, n. 3832 ad 6. (Cfr. *Ephem. Liturg.*, vol. XIII, pag. 247). Quia vero Pontificale Romanum in appendice pro ordinatione unius Subdiaconi, unius Diaconi et unius Presbyteri praescribit colorem album, quem praescribit et pro Abbate benedicendo et pro Episcopo consecrando, non videtur reprobanda consuetudo adhibendi ab omnibus ordinandis sacras vestes albi coloris.

## Pro Dioecesi Namurcensi.

Concurrente Officio votivo Immaculatae Conceptionis B. M.V. (sub ritu semidupl.) cum primis Vesperis alicuius Dominicae Quadragesimae, in hymno Completorii dicitur doxologia *Iesu, tibi sit gloria* (S. R. C., 11 Mart. 1871, n. 3241 ad I), sed in hymno Vesperarum *Audi, benigne Conditor* dicenda est consueta conclusio « *Praesta, beata Trinitas,... – Ut fructuosa sint tuis – Ieiuniorum munera* »; haec enim doxologia, cum non adhibeatur in omnibus hymnis intra Quadragesimam, non est propria *temporis* quadragesimalis, sed est propria ipsius *hymni*, ita ut nunquam immutari debeat. Cfr. *Ephem. Liturg.* curr. anni, pagg. 351 ac 359. Sic emendentur quae antea (pag. 303) dixeramus.

Digitized by Google

# Palaestra liturgica.

## SOLUTIO QUAESTIONIS
### pro mense Februario 1906 propositae.

**De cantu " Benedictus etc. „ in Missa solemni et de cantibus in lingua vernacula ad benedictionem cum SS. Sacramento.**

**Quaestio.** — Quaeritur: 1° Utrum, in Missa solemni, versus *Benedictus qui venit* etc. cantari possit ante elevationem, an dici submissa voce sub organo? 2° An sive ante sive intra benedictionem cum SS.mo Sacramento tolerari valeant cantus in lingua vernacula?

**Solutio.** — Ad meliori modo rem tractandam, sic procedere iuvat.

*a*) *Ad primum*, videtur quod non ex praecepto dicendus sit post elevationem calicis in Missa tam solemni quam cantata versus *Benedictus qui venit* etc. Legitur enim in Caeremoniali Episcoporum, lib. I, cap. XXVIII, n. 9: « Post elevationem poterit immediate motettum aliquod opportunum cantari », et insuper Missale silet de obligatione illum remittendi post elevationem.

Praeterea, nonnulli, et quidem melioris notae, Doctores asserunt, illos non esse damnandos, qui praefatam Laudem unitim et continuate cum prima parte *Sanctus* dicunt ante elevationem: inter quos Quarti (part. II, tit. VII, n. 11), Cavalieri (tom. V, cap. XIV, n. 70), De Herdt (*Praxis Pontif.*, lib. II, cap. IX, n. 190, et *Praxis Liturg.*, tom. I, n. 111, 3°), nec non Victorius ab Appeltern (tom. 1, p. 222, nota).

Sed contra, firmiter tenendum est, versum *Benedictus*, sive cantetur sive submissa voce pronuntietur sub organo, id permittente Caeremoniali lib. I, cap. XXVIII, n. 9, semper separandum esse a Trisagio antecedente, et proinde necessario dicendum post elevationem.

Digitized by Google

Lege, verbi gratia, hanc Rubricam Caeremonialis Episcoporum: « Chorus prosequitur cantum usque ad *Benedictus qui venit* etc. exclusive; quo finito, et non prius, elevatur Sacramentum » (lib. II, cap. VIII, n. 70). Et paulo post: « Elevato Sacramento, Chorus prosequitur cantum *Benedictus qui venit* etc. » (ibid., n. 71). Quid clarius desiderari queat?

Attamen, ad illius vim probantem infirmandam, non defuerunt auctores qui asserere ansi sunt: Caeremonialis dispositio memorata respicit Missas solemnes celebrante Episcopo, non vero quascumque conspicit necessario, absente etiam Episcopo. Sed quam perperam sic locuti sint Quarti, Cavalieri, De Herdt et Victorius ab Appeltern, videamus!

Regulares scire volebant an, utentes Missali Romano in celebratione Missarum *tam privatarum quam solemnium*, ritus in Missali praescriptos immutare possent, addendo vel minuendo aliqua, seu ritus alios subrogando in Choro aut in Altari, sub alicuius antiquae consuetudinis praetextu; *an potius omnia* in eodem *Missali et Caeremoniali* praescripta, ad unguem *sine ulla* additione, diminutione vel *immutatione servare* deberent? Ad quod textualis responsio facta fuit: « *Nihil* addi, minui, vel *immutari*; sed *omnia in* Missali et *Caeremoniali* praescripta, *ad unguem servanda esse* » (S. R. C., 19 Aug. 1651, n. 937, ad 2). Unde, die 17 Aug. 1894, Roma ad instar principii statuere potuit: « Ad Caeremonialis Episcoporum observantiam, iuxta Apostolicas Constitutiones teneri *omnes ecclesias*, praecipue autem Metropolitanas, Cathedrales et Collegiatas » (S. R. C., n. 3839, ad I).

Postea, in suo pastorali munere exercendo, R.mus Marsorum Episcopus quamplurima animadvertens ad ritus et caeremonias spectantia, quae potius privatam interpretationem redolerent quam servarentur iuxta leges Caeremonialis, interimque hunc privatum sensum de medio tolli cupiens, et *ab universo suae dioecesis clero* quoad omnia sequendum esse eumdem ordinem, speciatim casum proposuit, de quo in praesenti, dicens: « Ubi cantus Chori non producitur usque ad elevationem hostiae, *Benedictus qui venit* etc.

Digitized by Google

cantari ne debet post elevationem; an immediate post primum *Hosanna in excelsis?*» Et quid Congregatio servari mandavit? «Cantari debet post elevationem» (S. R. C., 12 Nov. 1831, n. 2682, ad 31). Quapropter, non solum in Missis Pontificalibus, sed et in omnibus ab universo dioecesis Clero cantatis, servanda est dispositio Caeremonialis, quidquid scribere potuerint in contrarium Auctores.

Illud adeo innegabile est, ut super cantionibus in solemniori Missa, S. R. C. per generale decretum declarare censuerit haec sequentia, a SS.mo Leone Papa XIII confirmata, nimirum: «Quod si – peracta ultima elevatione, *quam iuxta Rubricas statim BENEDICTUS subsequi debet* – ad Orationem Dominicam usque, aliquid modulari libeat, S. R. C. id permittit; dummodo de iis quae ex Liturgia canenda sunt, nihil praetermittatur, Celebrans a Missa continuanda haud impediatur, et quod concinitur ad Sacramentum pertineat» (22 Maii 1894, n. 3827, ad III). Confer quoque decreta n. 3365, ad VII sub die 7 Aug. 1875, et 3590 sub die 19 Sept. 1883.

Aliunde, pulchra accedit ratio liturgica, ut *Benedictus* non dicatur in Choro nisi post elevationem utriusque speciei. Haec quippe laus pertinet ad Novum Testamentum, dum *Sanctus* spectat ad antiquum, et quemadmodum conclamata fuit tantum post Christi incarnationem adventumque in hunc mundum, ita prorsus naturale est ut ad illam cantandam expectetur quoque realis praesentia Christi in Sacramento, id est consecratio quae ponit illum vere et sacramentaliter in Altari. Ita Castaldi, lib. II, lect. IX, cap. I, n. 20, et Doct. Gihr, *Le Saint Sacrifice de la Messe*, tom. II, pag. 226.

Quid vero reponere ad rationes partis adversae? Hoc nobis restat nunc sollicite pensandum.

Ad primam respondemus: duo certa sunt, nempe: 1° Caemonialis dispositio, qua post elevationem immediate cantari potest aliquod opportunum Motettum, non idcirco facultatem suppeditat Choro praemittendi *Benedictus* ante consecrationem, quia

Digitized by Google

(quod autumare nefas est) Caeremoniale sibimet contradiceret, declarando ibi liberum, quod deinceps lib. II, cap. VIII, n. 70 aperte excludit; 2° eadem dispositio neque exonerat a recitatione *Benedictus* post consecrationem; quoniam, iuxta decretum generale supra citatum, qui voluerit uti facultate cantandi Motettum, debebit tamen nihil praetermittere de iis quae ex Liturgia canenda sunt. Sed quomodo conciliare vocem « immediate » cum obligatione dicendi *Benedictus* post elevationem, et quidem ante Motettum? Distinguere sufficit inter Missas cum pulsatis organis et Missas absque sonantibus organis. In posterioribus, Chorus cantum *Benedictus* necessario prosequitur post elevationem iuxta normam lib. II, cap. VIII, n. 71; in prioribus, cum sonant organa, *Benedictus* qui figuratur cantari, submissa voce tantum recitatur; et cum lectio haec nil fere temporis requirat, tunc dici potest, Motettum statim post elevationem cantari, axiomate docente *parum pro nihilo reputari*. Unde sic comprobatur vox « immediate », quin antinomia in Caeremoniali existat, cum versus *Benedictus* sub organo tantum recitatur.

Quoad silentium Missalis de cantu chorali, nihil induci nequit contra nos, quasi Missale regeret Missas cantatas absente Episcopo, et Caeremoniale alias praesente Episcopo. Namque Caeremoniale est complementum Missalis, et quidem obligatorium *in omnibus ecclesiis*, uti declaratum est in decretis supra citatis. Ergo ubi hoc tacet, illi standum est, et proinde in quibuscumque Missis *Benedictus* dicendus est post consecrationem, et non anticipandus unquam.

Ad secundam rationem, simpliciter respondemus negando non esse damnandos qui *Benedictus* uniunt cum prima parte *Sanctus*, ante consecrationem. Et de facto, dispositio Caeremonialis, lib. II, cap. VIII, nn. 70 et 71, adeo perspicua est, ut de necessitate remittendi *Benedictus* post consecrationem locus non sit alicui dubio. Sane, si aliae Rubricae existerent pro aliis Missis, nimirum: solemnibus, cum Episcopus assistit, vel celebrat pro defunctis, vel est absens (lib. II, cap. IX, XI, XII), non possemus ita univer-

Digitized by Google

saliter concludere, ut Rubrica *cap. VIII* servanda sit in omnibus quibuscumque Missis cantatis; sed cum non existant, unde, quaeso, desumendae reliquae caeremoniae non in his omnibus singulatim expositae? Non video nisi Missam *cap. VIII*; quoniam ibi tantum reperiuntur universae Caeremoniae, et itaque mirum est quod id auctores admittentes, non condemnant eos, qui non sequuntur modum dicendi *Benedictus* ibi relatum. Transeat adhuc, si Rubricae Missalis providissent Missis non pontificalibus! At vero silent omnino pro omnibus Missis cantatis, et in quibuscumque ecclesiis, et exinde recurrendum est pro chorali cantu ad normas Caeremonialis, non exceptu ritu *Benedictus* dicendi.

Brevi: ex praecedentibus consequi certe videtur quod consuetudo, iuri liturgico sic audito opposita, non servari, sed prorsus aboleri debeat, *Motu proprio* SS. D. N. Pii Papae X de Musica Sacra statuente: « Unum, iuxta Ecclesiae Romanae consuetudinem, conceditur, post solemnis Missae ℣. *Benedictus*, canticulum SS. Eucharistiae (§ III, n. 8) », et praecipiente postea per S. R. Congregationem « ut *Instructio* praedicta ab omnibus accipiatur Ecclesiis, sanctissimeque servetur, non obstantibus privilegiis atque exemptionibus quibuscumque, etiam speciali nomine dignis... » (8 Ianuarii 1904). Nec amplius audiendi sunt, qui contrarium olim tenebant (cfr. *Ephemerides Liturg.*, anno 1891, pag. 515, et anno 1893, pag. 154). (1)

*b*) *Ad secundum*, id est, an sive ante sive intra benedictionem cum SS.mo tolerari valeant cantus in lingua vernacula? Credimus

(1) Hisce tamen non obstantibus, nonnulli nunc, nec forsan immerito, autumant coniungi posse cantum *Benedictus* cum priori parte *Sanctus*, si musicae indoles id exigat; dummodo totus cantus ante elevationem absolvatur. Sperare autem nobis licet fore ut Auctoritas competens, si de hac re consulatur, praefatae opinioni non adversetur, eo magis quia veteres auctores silent de separatione *Benedictus* a cantu *Sanctus*, et in Caeremoniali Episcoporum lex canendi *Benedictus* post elevationem statuta esse dicitur ob nimiam prolixitatem cantus, qui olim in Missis pontificalibus adhibebatur.

(*N. R.*).

Digitized by Google

esse respondendum: Negative. Etenim, quandonam proprie incipit functio liturgica, de qua in casu? Si percurras decreta diei 11 Iulii 1857, n. 3058, ad III, et diei 15 Aprilis 1880, n. 3513, non poteris dubitare quin illa incipiat per *Tantum ergo*, et cum benedictione proprie dicta finiatur. Porro, intra hos limites excluduntur cantus in lingua vernacula.

Contemplemur v. g. decretum 21 Iunii 1879, n. 3496, ad 1. Nonne vetat in genere cantus in lingua vulgari tolerare *intra functiones liturgicas solemnes*, permittens solum cantus huiuscemodi haberi, si fiant extra dictas functiones? Et speciatim, decretum diei 23 Martii 1881, n. 3530, nonne impedit, non solum preces in sermone vulgari cantari, si immediate ante actum benedictionis seu post Orationem *Deus qui nobis*, sed et Antiphonas Officii divini cum Tempore congruentes, ut *Alma* vel *Regina coeli*? Si ergo quoddam decretum n. 3237 ad 1, sub die 11 Martii 1871 editum, continuare permittit consuetudinem recitandi *Dio sia benedetto*, sermone vernaculo immediate post Orationem *Deus qui nobis* etc., hoc non est in exemplum protrahendum, quia a regula communi exorbitat; et *Motu proprio* SS. D. N. Pii Papae X insuper expresse declarat: « Proprius Romanae Ecclesiae sermo latinus est; itaque in solemnibus sacris liturgicis prohibentur omnino cantus vulgari eloquio editi » (22 Nov. 1903, § III, n. 7).

Hinc 1°, functione incoepta aut perseverante, ne ullum quidem cantum abs re intermiscere licet, et in actu ipso benedictionis « Celebrans nihil dicere, Cantores et Musici nihil quoque cantare interim debent, non obstante quacumque contraria consuetudine, quae est contra praescriptum Ritualis Romani et Caeremonialis Episcoporum » (S. R. C., 9 Febr. 1762, n. 2464). Quod confirmant decreta n. 2722 ad III sub die 23 Maii 1835, et n. 3058 ad II sub die 11 Iulii 1857 edita, etiamsi ageretur de Episcopo elargiente hanc benedictionem SS.mi Sacramenti (S. R. C., 21 Iulii 1855, n. 3031, ad 2 et 3), et non obstante in dioecesi consuetudine immemorabili in contrarium (S. R. C., 16 Mart. 1833, n. 2698).

Digitized by Google

Hinc 2°, nondum incoepta functione, etiam ante SS.mum patenter expositum, publicam licet adhibere quarumdam precum recitationem vulgari idiomate conceptarum (S. R. C., 31 Aug. 1867, n. 3157, ad VIII); haberi potest conciuncula vulgo *Fervorino* (S. R. C., 14 Dec. 1883, n. 3599, ad II), et cantus quoque hymnorum in lingua vernacula, dummodo non agatur « de hymnis *Te Deum* et aliis quibuscumque liturgicis precibus, quae nonnisi latina lingua decantari debent » (S. R. C., 27 Febr. 1882, n. 3537, ad III), nec de Litaniis Lauretanis, ut recenter statutum est die 5 Mart. et 1 Iulii 1904, ad 2.

Hinc 3°, finita functione, statim post benedictionem cessat prohibitio, et iam permittuntur cantus in sermone vulgari (S. R. C., 3 Aug. 1839, n. 2791, ad 2).

Ex dictis patet, reformandam esse doctrinam a quodam traditam in his *Ephem. Liturg.*, vol. XV, pagg. 364-370.

A. FOURNERET
ex Acad. Liturg. Rom. Censoribus.

## QUAESTIO A CONSOCIATIS SOLVENDA pro mense Septembri 1906.

### De Calendario in Seminariis adhibendo.

In dioecesanis clericorum seminariis alicui religiosae Familiae proprium Calendarium habenti concreditis, quodnam Calendarium adhibendum est tam a religiosis directoribus seu professoribus quam ab alumnis, sive in publica divini Officii recitatione sive in Missa?

Digitized by Google

# Ius Liturgicum.

(*Continuatio*. V. num. 6, anni curr., pagg. 370–377).

## De Iure Liturgico speculative sumpto.

212. *b*) Ecclesia nunquam si facta consideremus, Principibus laicis curam Sacrae Liturgiae demandavit. Gratuito sane id evenisse asserunt adversarii; namque ea quae ad suae thesis probationem congerunt nil concludunt: v. gr. quam initio retulimus, Caroli Magni constitutio, processit non ex iure *maiestatico*, sed ex alio, quod diximus *defensionis* et *executionis*, quod ex hisce peremptoriis verbis constitutionis probatur: *Nos Rev.mi Papae Hadriani salutaribus exhortationibus parere cupientes*...

213. Neque id unquam, si ius perpendatur, Ecclesia facere posset; adversaretur hoc enim suis ipsius fundamentalibus praerogativis, suae naturae et constitutioni, uti patet.

214. *c*) Esto, quod sacra Liturgia aliquando temporalia tangat aut mixta ex temporalibus et spiritualibus, ex hoc tamen nil concludi valet favore adversariorum. Et re quidem vera, potestas civilis et potestas ecclesiastica nequeunt inter se collidi, sunt enim ambo a Deo; cum autem agitur de obiectis utrique obnoxiis, ut servetur ordo, necesse est unam subordinari alteri; nunc vero cum ecclesiastica sit, divina ipsa institutione, non solum independens ab altera, quinimo et ipsi superior, necesse est, ut haec, aliquando etiam in iis quae inferioris sunt regiminis, sese ingerat.

Ceterum sat prudentiae, sapientiae, iustitiae, caritatis in Ecclesia inest, ut ad bonum societatis dirigat quaecumque iubet.

215. *d*) Quoad ius, quod appellant *cavendi*, haec respondemus: Uti iam innuimus, ambigendum non est, Ecclesiam superiorem esse potestati civili; nunc autem, quod inferior dicat, sibi cavendum a placitis superioris, eaque tanquam abusus respuenda arbitretur, maxime iniuriosum est; ergo iniuriosum est dicere, in

Digitized by Google

civili potestate Iuris Liturgici arbitrium residere, ex iure cavendi contra abusus Papae et Episcoporum.

216. Insuper, si quando ageretur de re dogmatica, haeresi daretur locus; etenim cavere a definitionibus Ecclesiae circa fidem, haeresis est. Si vero de re morali ageretur, recte novimus, illa quae Ecclesia praecipit circa mores, iniusta aut prava esse non posse, haec enim praerogativa e nota suae infallibilitatis procedit; ergo Princeps laicus non habet unde timeat sive pro se sive pro subditis.

217. At quoad quaedam particularia, si quando nonnulla videantur iniusta, non ideo hoc adversariis favere dicendum est, in casu siquidem nonnisi de dubio agi potest; quia licet, absolute loquendo, possibilis sit casus ecclesiasticae ordinationis *notorie* iniustae, in praxi tamen inter chimaericas hypotheses id poni debet. In dubio autem standum est pro Superiore, et urget obligatio obediendi. Ergo ius *cavendi* defendi nequaquam potest.

218. *e*) Quod animadverterit Optatus Milevitanus, *Statum non esse in Ecclesia, sed Ecclesiam in Statu*, qua sententia abutuntur adversarii, ut probent huic illam debere se subiicere, nec minime illis prodest. Quid enim importat animadversio? Nihil aliud, nisi quod Ecclesia supponit civile consortium, cui praesit, quod doceat et ad salutaria perducat; non autem quod hoc liberum maneat recipiendi vel non leges Ecclesiae.

219. Hoc quidem dependet ab ipsa Ecclesiae natura, quae cum sit catholica, una toto orbe et sub uno Pastore consistere debet. Hinc per tria priora saecula Ecclesia etiam invitis Principibus, imo iis persequentibus, sese et suas leges ubique stabilivit. Ceterum Princeps quoque tenetur catholicus esse, unde tenetur Ecclesiae subesse, eique se totum dicare, cum subditis suis. Unde eo quod Ecclesia est in Statu, nullum ius Principi laico circa Liturgiam competit.

220. Quoad alterum vero: ius nempe indirectum seu *defensionis* et *executionis* proprium esse civilis potestatis, hanc imo ad illud exercendum teneri, res per se liquet; sufficit haec animadver-

Digitized by Google

tisse: Vocitant adversarii, Principem laicum esse iure proprio protectorem sacrorum canonum; ultro libenterque id concedimus, sed ex hoc titulo hoc profluit consectarium, nempe quod, ut Ecclesia potestate qua pollet libere utatur, civilis potestas nec in minimo sese immisceat oportet suorum iurium, secus enim oppriment et non protegeret. Hoc est contrarium consectario quod trahunt adversarii, praesumentes, defensionem, tutelam, favorem in executione secumferre iudiciale, independens ab Ecclesiae iudicio, potestatis exercitium in Principe laico, seu civili potestate. At potius Princeps seu civilis potestas, ut protector canonum, tenetur auxilium praestare Ecclesiae, ut libere condere leges earumque observantiam obtinere possit.

221. Unde concludendum: Ius Liturgicum ex nullo capite pertinet ad laicam potestatem, ergo uni reservatur potestati ecclesiasticae, cui reipsa a Christo Domino commissum est, in ipsa sui constitutione.

PROPOSITIO II.

222. Ius Liturgicum non est proprium Ecclesiae, prout dicit multitudinem seu collectionem membrorum.

223. Volunt Protestantes, Ecclesiam nil aliud esse nisi *collegium*, ut vocant, fidelium articulos fidei fundamentales a Christo traditos profitentium; non autem constare auctoritate regente, et fidelibus ipsi subiectis. Unde, iuxta illos, omnis legislativa potestas penes totam collectionem residet.

224. Sed ut hoc systema falsum probetur, sufficit genuinam Ecclesiae institutionem recolere, quae constat auctoritate gubernante et multitudine obediente.

225. Equidem, sacra Scriptura teste, Ecclesia a Christo constituta est sub forma *ovilis*; ergo habere debet *Pastorem*; at, quia absurdum est adserere, in ovili, ius regendi ad oves pertinere, et non ad Pastorem; ergo potestas Ecclesiae non in multitudine residet, sed in auctoritate legitime praeposita.

Digitized by Google

226. Christus ipse suos Vicarios instituit; nota sunt verba illius ad Petrum: « Pasce oves meas... pasce agnos meos... confirma fratres tuos... quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in coelis », et alia: « Qui vos audit me audit, et qui vos speruit me speruit ».

227. Insuper factum ipsum ecclesiasticae traditionis hoc confirmat. Apostoli non ex collectis multitudinis suffragiis, sed propria auctoritate dogmata tenenda, et praecepta servanda determinarunt. Post eos passim occurrunt historica monumenta, quibus ostenditur, Ecclesiae disciplinam ab Episcopis fuisse determinatam et directam, non autem multitudine; Ergo...

PROPOSITIO III.

228. Ius Liturgicum non est proprium Ecclesiae, prout dicit Episcoporum coetum, independenter a Romano Pontifice.

229. Liturgiae ordinatio est actus iurisdictionis; atqui iurisdictio cuiuslibet Episcopi subiacet Romano Pontifici; ergo Episcopi nonnisi dependenter a Papa Liturgiam ordinare possunt.

230. Probavimus iam, Liturgiam, ex natura sua esse fidei expressionem, ergo, cum ius supremum in rebus fidei spectet ad Summum Pontificem, sive solum, sive in oecumenico Concilio; ius in Liturgiam ad Episcopos independenter a Summo Pontifice non spectat.

231. Episcopi, relative ad Supremum Pastorem sunt tantum oves; ergo quod faciunt independenter ab illo, nullimode tanquam legitimum auctoritatis exercitium haberi potest. Ergo Ius Liturgicum non est penes coetum Episcoporum, independenter a Romano Pontifice.

PROPOSITIO IV.

232. Ius Liturgicum ita proprium est Ecclesiae, ut plene resideat in uno eius Supremo Pastore.

233. Probatur primo, ex principiis doctrinae catholicae: equidem certum est, Romanum Pontificem esse unicum, supre-



Digitized by Google

mum Ecclesiae universalis Pastorem: nunc autem Liturgia esse posset erroribus obnoxia, nisi a supremo magisterio gubernaretur; ergo...

234. Si, ex opposito, Ius Liturgicum in aliquo alio residere posset, absque ulla dependentia a Romano Pontifice, id esset in detrimentum auctoritatis illius; atqui nulla legitima auctoritas potest anteponi illi quam possidet Romanus Pontifex; ergo...

235. Probatur secundo ex perpetua Ecclesiae praxi; qua de re, cum bona fide dubitari nequeat, a documentis afferendis abstinemus.

## ARTICULUS II. — Quodnam sit Ius Liturgicum in Ecclesia vigens.

### XXXV. *Iuris Liturgici status ante Concilium Tridentinum.*

236. Ab Ecclesiae exordio ad saeculum v, potestas legislativa circa S. Liturgiam, non tamen circa essentialia, a Summis Pontificibus singularum Ecclesiarum Pastoribus commissa vel permissa est.

237. Saeculo v Concilia Provincialia coeperunt Liturgiam ad unitatem metropolitanam reducere.

238. Exinde Romani Pontifices, usque ad saec. VIII, hortati sunt Ecclesias ad unitatem liturgicam amplectendam, seu potius resumendam, non tamen illam stricte praeceperunt.

239. Tum, sublatis veteribus Liturgiis, praecipue Gallicana, VIII saeculo, Hadriano I Summo Antistite, et Mozarabica, XI saeculo, Gregorio VII Ecclesiam gubernante, Romana praecepta est, ita tamen ut ius corrigendi, addendi, immutandi, quae ad substantialia non pertinerent, penes Ordinarios vel Concilia provincialia remanserit.

### XXXVI. *Iuris Liturgici status post Concilium Tridentinum.*

240. Tandem saeculo XVI Concilium Tridentinum, novum instauravit in toto Occidente Liturgicum Ius, plures tamquam cardines constituens liturgicae disciplinae, ablatis seu reformatis

Digitized by Google

pluribus, quoad Missarum celebrationem et Sacramentorum administrationem, abusibus.

241. Sed sacros Liturgiae codices emendare non potuit; unde rem totam circa illos perficiendam reliquit uni Personae Summi Pontificis.

242. Hinc opus iam a Praedecessoribus inchoatum (Iulio II, Leone X, Clemente VII, Paulo III, sub quo Cardinalis Quignonez Breviarium nimis a traditione ecclesiastica discors composuerat, quod deinde prohibuit Paulus IV, S. Pius V perfecit, auxerunt porro Gregorius XIII, Clemens VIII, Paulus V, Urbanus VIII.

243. Statutum proinde fuit, ut nemini exinde ulla, quidquid addendi vel detrahendi vel immutandi, quoad Ius Liturgicum, suffragaretur potestas.

244. Hinc novum constitutum Ius, quo Romana Liturgia, servatis legitimis quibusdam exceptionibus, per totum orbem diffusam Ecclesiam obligavit.

245. Sixtus vero V tamquam sigillum huic operi tam bene patrato posuit, S. Rituum Congregationem instituens (22 Ian. 1587, Constitut. *Immensa Dei*), cui curam commisit providendi « ut veteres ritus sacri, ubivis locorum in omnibus Urbis orbisque Ecclesiis, etiam in Capella nostra Pontificia, in Missis, divinis Officiis, Sacramentorum administratione, ceterisque ad divinum cultum pertinentibus, a quibusvis personis diligenter observentur, caeremoniae si exoleverint restituantur, si depravatae fuerint reformentur ».

246. Quae insuper prodierunt interdum ex aliis Romanis Congregationibus, vel etiam, Motu proprio aut alia sub forma a Persona summi Pontificis quoad S. Liturgiam, Decreta, eandem vim habent, uti patet.

247. Unde concludendum, Ius Liturgicum, in Ecclesia Romana vigens, haberi in *Codicibus Liturgicis* proprie dictis, in aliis sacrorum Rituum et Caeremoniarum Apostolica Auctoritate promulgatis Collectaneis, et in Sacrorum Rituum, aliarumve obiter Congregationum *Decretis*.

Digitized by Google

248. Sed necessarium ducimus, summariam saltem Constitutionum praefatorum Pontificum notitiam tradere, quam ad studiosorum commoditatem hic subiicimus.

## XXXVI. *Constitutionum Apostolicarum summa, quoad Codices Liturgicos.*

### *A*) — Pro editione Breviarii Romani.

249. S. Pius V, Bulla quae incipit *Quod a nobis*, data Romae, septimo Idus Iulii, anno 1568, significat causam edendi huius Breviarii, nempe ad tollendam orandi varietatem.

Enarrat ea, quae in hac re praestitere Paulus et Pius nomine quarti, et quam ipse adhiberi operam curavit, ex Decreto Concilii Tridentini.

Tollit et abolet omnino Breviarium a Cardinali Sanctae Crucis compositum, quod erat brevissimum. Item alia Breviaria Romana, et alia, quae ex institutione vel consuetudine legitima non superant ducentos annos.

Permittit tamen ut antiquiora ducentis annis possint mutari in hoc Breviarium, iis omissis, si Episcopus et universum Capitulum consentiant.

Revocat omnes permissiones, consuetudines, statuta, privilegia, licentias, et indulta precandi et psallendi more et ritu praedictorum Breviariorum suppressorum.

Praecipit observari hoc Breviarium in toto orbe, cum exceptione ducentorum annorum, de qua supra.

Statuit in eo nihil mutandum, addendum et detrahendum.

Obligat quosque, qui tenentur Horas Canonicas recitare, ut hoc utantur Breviario, alias non satisfaciant muneri suo.

Iubet omnibus Praelatis, ut hoc introducant tam in Choro, quam extra Chorum.

Tollit peccati obligationem, quae erat recitandi in Choro Officium parvum Beatae Mariae Virginis et Defunctorum, Psalmos Poenitentiales et Graduales, iuxta Rubricas Breviarii.

Digitized by Google

Hortatur ut recitentur eadem, propositis Indulgentiis dierum centum recitantibus Officium parvum Beatae Mariae Virginis et Defunctorum: quinquaginta recitantibus Psalmos Poenitentiales et Gradualès, quando Rubricae ea praescribant.

Non tamen tollit laudabilem consuetudinem, ubi est, recitandi Officium Beatae Mariae Virginis in Choro, imo eandem confirmat, et tandem tempus decernit obligationis ad usum Breviarii post eiusdem publicationem.

250. CLEMENS VIII, Apostolicis Litteris, quae incipiunt *Cum in Ecclesia*, datis Romae, die 10 Maii, anno 1602, declarat, se per viros pios et eruditos Breviarium Romanum a Pio V editum, et progressu temporis in multis depravatum, examinasse, et in statum pristinum restituisse; illudque sic restitutum in Typographia Vaticana imprimi et divulgari iussisse.

Prohibet, ne alibi imprimatur nisi iuxta exemplar Vaticanum, et habita Ordinariorum licentia, sub poena excommunicationis latae sententiae.

Interdicit, sub iisdem poenis, usum Breviariorum impressorum absque tali Ordinariorum licentia in scriptis, quae fidem faciat de collatione facta praedictorum Breviariorum cum originali romano; cuius etiam licentiae exemplar initio vel in calce cuiusque Breviarii semper imprimatur.

Praedictis Ordinariis prohibet, ne aliquid addi, vel detrahi permittant; et hoc sub poena excommunicationis, suspensionis a divinis, ac interdicti ab ingressu Ecclesiae. Verumtamen in gratiam pauperum, Breviaria hactenus impressa vendere, apud se retinere ac illis uti permittit.

251. URBANUS VIII, Apostolicis Litteris, quae incipiunt *Divinam Psalmodiam*, datis Romae, die 25 Ianuarii, anno 1631, declatat, se, piorum doctorumque virorum adhibita cura, Breviarium a Pio V editum, et a Clemente VIII recognitum, a pluribus mendis expurgasse; Hymnos ad metri et latinitatis regulam revocasse; in Psalmis et Canticis interpunctionem editionis vulgatae restituisse; Sermones, Homilias et Sanctorum Historias, collatis veteribus manuscriptis, recognovisse.

Digitized by Google

Quamobrem iubet, ut iuxta hanc correctionem Romae imprimatur, alibi iuxta Romanum exemplar excudatur, servatis conditionibus in suprascripta Clementis Bulla enumeratis, quas fere iisdem verbis repetit; adiungens, easdem conditiones servandas in impressione eorum, quae e Breviario Romano ortum habent, cuiusmodi sunt Missalia, Diurnalia, Officia parva Beatae Mariae Virginis, Officia Maioris Hebdomadae, et alia id genus.

252. Diversae porro mutationes, Sanctae Sedis auctoritate confectae, necessariam nuper reddiderunt novam Breviarii editionem, quae, Leonis XIII iussu recognita, accurate revisa, et ad normam reformatarum Rubricarum plane redacta, futuris temporibus uti typica habenda, ex Decreto Sacrorum Rituum Congregationis, die 13 Aprilis 1885, data fuit.

Cumque haec typica Breviarii editio, aliis sensim inductis additamentis, ac praesertim Rubricarum variationibus, a S. Rituum Congregatione die 7 Decembris 1897 decretis, haud amplius fuerit conformis, nova editio, ceu typica pro futuris editionibus habenda, excusa et evulgata est anno 1900.

*B)* — Pro Romani Martyrologii editione.

253. Gregorius XIII, datis Litteris in forma Brevis, haec quoad Martyrologii emendationem et usum statuit:

Ad perpetuam rei memoriam. — Emendato iam Kalendario, curavimus (quod antea quoque decreveramus) Romanun Martyrologium, nonnullis in locis Librariorum Typographorumque negligentia mendosum, per viros eruditos ad fidem historiae, quae rerum gestarum, personarum, locorum, temporum veritate continetur, adhibitis etiam codicibus vetustioribus atque emendatioribus corrigi, correctumque, et multis in locis auctum, proposita etiam atque explicata Epactarum, Lunaequae singulis diebus numerandae ratione, edi, vetustissimoque Ecclesiae more in Choro legendum proponi, ad Dei gloriam, ad Sanctorum ipsorum, quorum met moria celebratur, laudem, ad eorum qui legunt, quique audiun fructum. Habet enim Sanctorum innocentiae, caritatis, fortitu-

Digitized by Google

dinis, ceterarumque virtutum commemoratio stimulos quosdam acerrimos, quibus tum maxime incitamur, cum illorum propositis exemplis, nostram desidiam agnoscimus, quamque procul ab illorum laude et perfectione absumus, cogitamus. Mandamus igitur omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, ceterisque Ecclesiis, Monasteriis, Conventibus, Ordinibus, sive saecularibus sive regularibus quibuscumque Praefectis, ut in peragendo divino in Choro Officio, omni alio Martyrologio amoto, hoc tantum nostro utantur, nulla re addita, mutata, adempta. Si quos alios habuerint Sanctos in suis Ecclesiis aut locis celebrari solito, eos in hunc librum ne inserant, sed separatim descriptos habeant, eumque illis locum atque ordinem tribuant, qui regulis hic descriptis traditur.

Eadem etiam iis, qui in Horis ecclesiasticis privatim Martyrologio uti voluerint (quod quidem magnopere cuperemus ut omnes facere vellent) mandamus, omnibusque aliorum Martyrologiorum omnium publice privatimque in ecclesiasticis Horis usum interdicimus; Typographis etiam prohibemus, ne in posterum hoc nostrum ulla in re minutum, auctum, mutatum edere audeant. Si quis aliter quam hoc nostro Decreto comprehensum est, fecerit, noverit se in Dei omnipotentis, beatorum Apostolorum Petri et Pauli indignationem incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV Ianuarii MDLXXXIV, Pontificatus nostri anno duodecimo. — ANT. BUCCAPADULUS.

254. BENEDICTUS XIV, ad Ioannem V Portugalliae et Algarbiorum Regem Apostolicas dedit Litteras, die 1ª Iulii 1748, in quibus gavisum se esse profitetur, illumque meritis laudibus effert, quod in alma Urbe imprimendum curaverit Romanum Martyrologium; et ad egregium opus conficiendum aliquid ipse Apostolico muneri non incongruum conferre studet.

Praeteritis multis et gravibus controversiis, dicit, se non recedere a correctionibus, Gregorio XIII et Urbano VIII Ecclesiam gubernantibus, peractis, et eius curas eo tandem contendere, ut

Digitized by Google

quae post evulgatas correctiones supervacanea occurrunt resecentur, quae vero deficiunt superaddantur.

Prolixioria quaedam Sanctorum elogia contrahuntur. Sanctorum quorum nomina adduntur, series attexitur. Sanctorum nomina, sive ex Litteris Apostolicis, quae pridem latebant, eruta, sive recentiori aevo in Canonem Sanctorum relata, describi curat.

Multorum studia, ut nova Servorum Dei et Beatorum nomina, quorum nonnulli Sanctorum titulo decorati et cultu immemorabili nobilitati, asserebantur, insererentur, refellit; vel enim horum virtutes nec discussae nec probatae fuerunt, vel pro eis non militat praerogativa formae antiqui cultus, ad veterem Ecclesiae disciplinam.

Expendit peculiariter quaestionem de Clemente Alexandrino qui in Martyrologio non nominatur; de Sulpitio Severo, e cuius elogio expuncta sunt verba: discipuli sancti Martini; de Theodoro Summo Pontifice, qui non inseritur, defectu plurimorum codicum; de Siricio item Summo Pontifice, cuius elogium strenue vindicatur.

(*Continuabitur*). Ios. M.

# Appendix.

## LITTERAE APOSTOLICAE
### Quibus universa Germania subiicitur Legi Tridentinae de matrimonii clandestinitate.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Provida sapientique cura quavis aetate Sancta Ecclesia legibus latis ea disposuit, quae ad christianorum connubiorum firmitatem et sanctitatem pertinerent. In quibus legibus illa eminentem locum habet, qua Sancta Synodus Tridentina clandestinorum matrimoniorum pe-

Digitized by Google.

stem abolere et ex populo christiano extirpare contendit. Magnam ex hoc Tridentino Decreto utilitatem in universam rempublicam christianam promanasse et hodie quoque promanare apud omnes in confesso est. Nihilominus, ut sunt res humanae, contigit alicubi, et praesertim in Imperio Germanico, propter lamentabilem maximamque in religione divisionem et catholicorum cum haereticis permixtionem in dies augescentem, ut cum praedictae legis observantia incommoda etiam quaedam nec levia coniungerentur. Nimirum cum ex voluntate Concilii caput *Tametsi* non antea in singulis paroeciis vim obligandi habere coeperit quam in illis rite esset promulgatum, et cum haec ipsa promulgatio an facta sit multis in locis dubitetur, incertum quoque non raro sit an lex Concilii obliget etiam acatholicos uno aliove in loco morantes, maxima inde ac molestissima in plurimis Imperii Germanici locis nata est iuris diversitas et dissimilitudo, plurimaeque et spinosae exortae sunt quaestiones quae in iudicibus quidem persaepe perplexitatem, in populo fideli quamdam legis irreverentiam, in acatholicis perpetuas cierent querelas et criminationes. Non omisit quidem Sedes Apostolica pro nonnullis Germaniae dioecesibus opportunas edere dispositiones et declarationes, quae tamen iuris discrepantiam minime sustulerunt.

Atque haec moverunt complures Germaniae Episcopos ut iterum iterumque Sedem Apostolicam adirent communibus precibus huic rerum conditioni remedium petentes. Quorum preces Decessor Noster f. r. Leo XIII benigne excipiens praecepit ut ceterorum quoque Germaniae Praesulum vota exquirerentur. Quibus acceptis et toto negotio in Suprema Congregatione Sacrae Romanae et Universalis Inquisitionis mature discusso, Nostrum esse officium intelleximus praesenti rerum statui efficax et universale levamen afferre. Itaque ex certa scientia et plenitudine Nostrae potestatis, ut consulamus sanctitati firmitatique matrimonii, disciplinae unitati et constantiae, certitudini iuris, faciliori reconciliationi poenitentium, ipsi quoque paci et tranquillitati publicae, declaramus, decernimus ac mandamus:

I. In universo hodierno Imperio Germaniae caput *Tametsi* Concilii Tridentini quamvis in pluribus locis, sive per expressam publi

Digitized by Google

cationem sive per legitimam observantiam, nondum fuerit certo promulgatum et inductum, tamen inde a die festo Paschae (idest a die decimaquinta Aprilis) huius anni millesimi nonigentesimi sexti omnes catholicos, etiam hucusque immunes a forma Tridentina servanda, ita adstringat ut inter se non aliter quam coram parocho et duobus vel tribus testibus validum matrimonium celebrare possint.

II. Matrimonia mixta quae a catholicis cum haereticis vel schismaticis contrahuntur, graviter sunt manentque prohibita, nisi accedente iusta gravique causa canonica datis integre, formiter, utrimque legitimis cautionibus per partem catholicam dispensatio super impedimento mixtae religionis rite fuerit obtenta. Quae quidem matrimonia, dispensatione licet impetrata, omnino in facie Ecclesiae coram parocho ac duobus tribusve testibus celebranda sunt, adeo ut graviter delinquant qui coram ministro acatholico vel coram solo civili magistratu vel alio quolibet modo clandestino contrahunt. Imo si qui catholici in matrimoniis istis mixtis celebrandis ministri acatholici operam exquirunt vel admittunt, aliud patrant delictum et canonicis censuris subiacent.

Nihilominus matrimonia mixta in quibusvis Imperii Germanici provinciis et locis, etiam in iis quae iuxta Romanarum Congregationum decisiones vi irritanti capitis *Tametsi* certo hucusque subiecta fuerunt, non servata forma Tridentina iam contracta vel (quod Deus avertat) in posterum contrahenda, dummodo nec aliud obstet canonicum impedimentum, nec sententia nullitatis propter impedimentum clandestinitatis ante diem festum Paschae huius anni legitime lata fuerit, et mutuus coniugum consensus usque ad dictam diem perseveraverit, pro validis omnino haberi volumus, idque expresse declaramus, definimus atque decernimus.

III. Ut autem iudicibus Ecclesiasticis tuta norma praesto sit, hoc idem iisdemque sub conditionibus et restrictionibus declaramus, statuimus ac decernimus de matrimoniis acatholicorum, sive haereticorum sive schismaticorum, inter se in iisdem regionibus non servata forma Tridentina hucusque contractis vel in posterum contrahendis; ita ut si alter vel uterque acatholicorum coniugum ad fidem catholicam convertatur, vel in foro ecclesiastico controversia incidat

Digitized by Google

de validitate matrimonii duorum acatholicorum cum quaestione validitatis matrimonii ab aliquo catholico contracti vel contrahendi connexa, eadem matrimonia, ceteris paribus, pro omnino validis pariter habenda sint.

IV. Ut demum Decretum hoc Nostrum ad publicam notitiam perveniat, praecipimus Imperii Germanici Ordinariis ut illud per ephemerides dioecesanas aliosque opportuniores modos ante diem Paschae anni currentis cum clero populoque fideli communicent.

Datum Romae apud S. Petrum, die XVIII Ianuarii MDCCCCVI Pontificatus Nostri anno tertio.

PIUS PP. X.

## MOTU PROPRIO
## De examinibus ordinandorum Regularium in Italia et in insulis eiusdem ditioni subiectis.

PIUS PP. X.

Religiosorum Ordinum familias, utpote quae praeclaro semper et adiumento et ornamento fuerint Ecclesiae, peculiari quadam Nos providentia studioque prosequimur; in primisque dandam operam arbitramur, ut constanter pergant, pro necessitatibus temporum, salutares esse ac frugiferae. Hanc ob causam, quoniam ipsae, praeterquam sanctarum exercitatione virtutum, etiam doctrinae laude floreant necesse est, Nos e re esse haud ita pridem duximus, aliquid in hoc genere statuere. Etenim, noveramus quidem Sacram Congregationem, Episcoporum et Regularium negotiis et consultationibus praepositam, auctoritate decessoris Nostri fel. rec. Leonis XIII, die IV Novembris MDCCCXCII, prudentissime praescripsisse, ut « professi tum votorum solemnium, tum votorum simplicium ab Ordinariis locorum ad sacros Ordines non admittantur, nisi, praeter alia a Iure statuta testimoniales litteras exhibeant, quod saltem per annum sacrae theologiae operam dederint, si agatur de subdiaconatu; ad minus per biennium, si de diaconatu; et quoad presbyteratum saltem per triennium, praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo ». Sed praescriptiones

Digitized by Google

huiusmodi non aliter videbantur suos omnes fructus efferre posse, quam si candidati ad sacros Ordines legitimo experimento probare deberent, se in constitutis doctrinae studiis satis profecisse. Id quod ceteroqui sacrosancta Tridentina Synodus iusserat: nam Sess. XXIII, Cap. VII de Reform. haec habet generatim: « Episcopus ordinandorum omnium mores et doctrinam diligenter investiget et examinet »; nominatim autem de Regularibus eiusd. Sess. Cap. XII: « Regulares non sine diligenti Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis ». Opportunum igitur apparebat esse, hanc Tridentini Concilii legem revocari, quae diuturnitate obsolevisset; idque Nos anno superiore praestitimus pro Urbe, quum die XVI mensis Iulii Motu-proprio decrevimus, ut quicumque sive de saeculari sive de regulari clero ad sacros Ordines promovendi essent, omnes, excepto nemine, doctrinae periculum facerent in Curia Cardinalis Vicarii Nostri.

Nunc vero placet, etiam ex consulto Moderatorum Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, memoratum Nostrum decretum per has litteras extendere. Quare Nos, Motu item proprio, volumus ac iubemus, ut in Italia et in insulis Italae ditioni subiectis, Religiosi omnes, vel ad Instituta votorum simplicium, vel ad votorum solemnium pertinentes, ne ante ad sacros Ordines promoveantur, quam ab Episcopo loci, diligenti doctrinae examine probati sint idonei: sublato, ad hunc tantummodo effectum, quocumque contrario privilegio, etiam specialissima et individua mentione digno, abrogataque quacumque contraria consuetudine, etiam centenaria et immemoriali, quam in futurum quoque induci prohibemus. Id examen qua ratione instituendum sit, Episcopi definient: hique vero curabunt, quemadmodum Nos eo pro Urbe Motu-proprio constituimus, ut candidati non solum in iis rebus, quae ad Ordinem adeundem pertinent, sed in aliis quoque de theologia dogmatica tractationibus periculum faciant. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, die XIX Martii anno millesimo noningentesimo sexto, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X.

Digitized by Google

## MOTU PROPRIO

### De Sacris Congregationibus super Disciplina Regulari et de Statu Regularium Ordinum extinguendis.

PIUS PP. X.

Sacrae Congregationi super negotiis Episcoporum et Regularium providentissime constitutae duplicem aliam Romani Pontifices, decessores Nostri, congruenter necessitatibus temporum, adiecerunt. Nam Innocentius XII, ad tuendam in religiosis Italiae familiis sancti instituti integritatem, die XVIII Iulii an. MDCXCV Const. *Sanctissimus*, Congregationem instituit *super Disciplina Regulari*; quae quidem Congregatio, praeter propriam provinciam, conservandi scilicet inviolatam in Italia disciplinam religiosorum Ordinum internam, propositum habuit, opportuna Summo Pontifici consilia suggerere quae ad fovendam et reparandam eam ipsam disciplinam etiam extra Italiam pertinerent. Pius autem IX fel. rec. Congregationem *de Statu Regularium Ordinum*, quam ab Innocentio X fundatam Innocentius XII sustulerat decreto die VII Septembris an. MDCCCXLVI edito tamquam extraordinariam restituit, eiusque hoc voluit esse munus, quod memoratae modo Congregationis partim fuerat, disciplinam in religiosis Ordinibus per universam Ecclesiam instaurare *novisque fovere decretis*.

At vero, mutatis hodie adiunctis rerum ac temporum, iam non satis esse causae videtur, cur hae duae Congregationes a Congregatione Episcoporum et Regularium distinctae permaneant; multum esse, cur ipsae cum illa coalescant, nempe ut religiosorum negotia melius et facilius, servato rerum ordine ac similitudine, expediantur. Eo magis, quod Cougregatio super Disciplina regulari iamdiu communi utitur Cardinali Praefecto, et communis cum Congregatione Episcoporum et Regularium est utriusque Secretarius: Congregatio autem de Statu Regularium Ordinum munus sibi demandatum iam magna ex parte ad exitum feliciter adduxit. Itaque hisce omnibus mature perpensis, Nos Motu proprio Congregationem tum super Disciplina Regulari tum de Statu Regularium Ordinum penitus abolemus, abolitasque esse declaramus, ac facultates ipsarum omnes in Sacram Con-

Digitized by Google

gregationem Episcoporum et Regularium perpetuo transferimus. Quod autem his litteris decretum est, ratum firmumque auctoritate Nostra Apostolica iubemus esse, contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXVI Maii anno millesimo noningentesimo sexto, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X.

## S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### De dispositione redituum mutanda a Moniali simpliciter professa.

*Beatissime Pater,*

Sanctimonialis N..., praemisso pedis osculo, humillime exponit quatenus, ante religiosam professionem, ita de propriis redditibus disposuit, iuxta normam proprio Ordini assignatam a S. Congregatione Episcoporum et Regularium 12 Iulii 1896, quae in Collectanea Andreae Bizzarri praescripta legitur pro Maristis in articulo *quoad votum paupertatis*, ut illos quasi ex aequo suo fratri et propriae communitati cederet.

Iamvero frater nunc, ob auctas necessitates, maiori subsidio indiget, quod illi concedere oratrix in votis habet. Quapropter humillime postulat:

I. An iuxta normas a S. Congregatione Episcoporum et Regularium die 28 Iunii 1901 datas, possit cum sola superiorissae licentia dispositionem reddituum mutare?

II. Et quatenus negative, ut S. Sedes praedictam facultatem indulgere dignetur.

Pro qua gratia...

Sacra Congregatio E.morum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, super praemissis rescribendum censuit prout rescribit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Provisum in primo.*

Romae 2 Iunii 1905.

L. ✣ S.

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*
PHILIPPUS GIUSTINI, *Secretarius.*

Digitized by Google

# Bibliographia.

## Opera ad nostram Directionem transmissa.

**Novum Testamentum graece et latine.** Textum graecum recensuit, latinum ex vulgata versione clementina adiunxit, breves capitulorum inscriptiones et locos parallelos uberiores addidit FRIDERICUS BRANDSCHEID, Gymnasii Hadamariensis olim Conrector. Cum approbatione Rev. Archiep. Friburgensis. Pars prior: **Evangelia.** — Tertia editio critica recognita — (XXIV et 652 p.). — Friburgi Brisgoviae, sumptibus Herder, typ. editoris pontificii, 1906. Fr. 3.

**Memoriale vitae sacerdotalis.** Auctore CLAUDIO ARVISENET, olim Canonico et Vicario generali Trecensi in Gallia. — **De sacrificio Missae.** Tractatus asceticus continens praxim attente, devote et reverenter celebrandi. Auctore IOANNE CARD. BONA Ord. Cist. — In 12° (XVI et 426 p.). — Friburgi Brisgoviae, sumptibus Herder, typ. editoris pontificii, 1906. Fr. 3.75.

A. VERMEERSCH, S. I. Pratique et doctrine de la Dévotion au Sacré-Cœur de Jésus, à l'usage du clergé et des fidèles. — Tournai, H. et L. Casterman, Éditeurs pontificaux, 1906.

A. PREVOT, S. C. I. **Amour et Réparation.** Manuel pour l'Apostolat de la Réparation pouvant servir de mois du S.-Cœur pour les Ames réparatrices. — Tournai, H. et L. Casterman, Éditeurs pontificaux, 1906.

I. LINTELO, S. I. **La Communion fréquente et quotidienne.** — Tournai, H. et L. Casterman, Éditeurs pontificaux, 1906.

Digitized by Google

# Chronica.

*Die 19 Iunii 1906*, in Aedibus E.mi ac R.mi D. Card. Ferrata, Relatoris, habita fuit Ss. Rituum Cogregatio Antepraeparatoria, in *Constantien.* et *Abrincen.*, Beatific. et Canoniz. Ven. Servae Dei Sor. MARIAE MAGDALENAE POSTEL, Fundatricis Instituti Sororum Scholarum Christianarum a Misericordia, super dubio: An, et de quibus Miraculis constet, in casu et ad effectum de quo agitur. Interfuerunt et suffragium tulerunt R.mi Patres Consultores Theologi, ac Ill.mi ac R.mi Consultores Praelati.

*Die 26 Iunii 1906*, in Palatio Apostolico Vaticano, habita fuit Congregatio Ss. Rituum Ordinaria Rotalis, in qua Causae infrascriptae relatae sunt: 1. *Romana* seu *Turritana*, Beatific. et Canoniz. Ven. Servae Dei ELISABETH SANNA, Viduae, Tertiariae Professae Ord. Minorum, super dubio: An constet de validitate Processuum; testes sint rite examinati, ac iura producta legitime compulsata; E.mo D. Card. V. Vannutelli, Ponente. 2. *Andegaven.*, Beatific. et Canoniz. Ven. Servae Dei MARIAE PELLETIER A S. EUPHRASIA, Fundatricis Sororum a Bono Pastore, super dubio: An constet de validitate Process. ut supr., E.mo D. Card. Gotti, Ponente. 3. *Assisien.*, Beatific. et Canoniz. Ven. Servi Dei ANTONII PENNACCHI, Sacerdotis saecularis, super dubio: An sententia iudicis a R.mo Ordinario Assisien. subdelegati, super cultu numquam exhibito etc., sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur? E.mo D. Card. Ferrata, Ponente. 4. *Brixinen.*, Beatific. et Canoniz. Ven. Servae Dei MAGDALENAE AB AUSTRIA, Archiducissae, Reginae nuncupatae, Fundatricis Regii Parthenonis Halensis, super dubio: An sententia iudicis delegati a R.mo D. Episcopo Brixinen. super cultu numquam exhibito etc., sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur? E.mo D Card. Steinhuber, Ponente.

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR.
Fr. Albertus Lepidi, O. P. S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR.
† Iosephus Ceppetelli, Patr. Constant., Vicesgerens.

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée, Lefebvre et Soc. Romae, *Sponsor*.

Ex Off. typ. Soc. S. Ioannis Ev. - Tornaci in Belgio.

Digitized by Google

# Acta Sanctae Sedis
## sacram Liturgiam spectantia.

## S. CONGR. S. R. ET U. INQUISITIONIS

**Brevis forma determinatur pro administranda Extrema Unctione in casu necessitatis.**

DECRETUM.

*Feria IV, die 25 Aprilis 1906.*

Cum huic Supremae Congregationi quaesitum fuerit ut unica determinaretur formula brevis in administratione Sacramenti Extremae Unctionis in casu mortis imminentis, Emi et Revmi Patres Generales Inquisitores, maturrime re perpensa, praehabitoque Rmorum Consultorum voto, decreverunt:

In casu verae necessitatis sufficere formam: *Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen.*

Sequenti vero feria V, die 26 eiusdem mensis et anni, in audientia a SSmo D. N. Pio div. providentia PP. X, R. P. D. Adsessori impertita, SSmus D. N. decretum Emorum et Rmorum Patrum adprobavit.

L. ✠ S. PETRUS PALOMBELLI, *S. R. et U. I. Notarius.*

### Commentarium.

Forma Sacramenti Extremae Unctionis non est a Christo Domino instituta *in specie infima*, ut aiunt, hoc est certis verbis praescripta (Benedictus XIV, *De Syn. dioec.*, lib. VIII, cap. II, n. 2);



Digitized by Google

quaenam autem in Ecclesia latina sit adhibenda, patet ex Conc. Tridentino (*sess. XIV, de Extr. Unct.*) et ex Rituali Romano (tit. V), quo praecipitur ut sex aut septem corporis partes oleo sancto inungantur, dicendo ad singulas unctiones: « *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per visum* (sive *per auditum*, etc.) *deliquisti. Amen* ». Gravis autem est controversia, utrum omnes praedictae unctiones et formae prolationes sint de Sacramenti substantia.

Ultro Theologi omnes fatentur (cfr. Bened. XIV, loc. cit., cap. III), pedum ac renum unctionem necessariam non esse ad validam Sacramenti confectionem; imo « renum unctio in mulieribus, honestatis gratia, semper omittitur, atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non potest » (Rit. Rom., tit. V, cap. I, n. 15). Ceteras quinque sensuum unctiones necessarias esse necessitate praecepti, omnes Doctores admittunt; sed disputant, num etiam necessariae sint necessitate Sacramenti. Antiquiores Scholastici existimarunt, omnes unctiones pertinere ad substantiam et integritatem Sacramenti, quod ex singulis, tanquam ex suis partibus essentialibus, constitui atque integrari sunt opinati. Alii ex adverso validum censent Extremae Unctionis Sacramentum, si vel una tantum inungatur corporis pars, unica prolata forma universali, omnes sensus complectente. Cui posteriori opinioni, ut sapienter docet Benedictus XIV (loc. cit.), validissimum fundamentum praebet diversa in unctionum numero disciplina, quam in diversis Ecclesiis sua aetate viguisse affirmat Albertus Magnus; maius etiam argumentum huic eidem opinioni suppeditant plura peculiarium Ecclesiarum Ritualia, unicam unctionem sub universali forma fieri permittentia, si omnes unctiones perfici nequeant, ut in morbis contagiosis et peste grassante. Generalis autem forma, quam iuxta praefata Ritualia Theologi hucusque proposuerunt in casibus necessitatis adhibendam, haec est: « *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per sensus, visum, auditum, gustum, odoratum et tactum* » (cfr. Gury-Ballerini-Palmieri,

Digitized by Google

*Comp. Theol. moral.*, tom. II, n. 495, et De Herdt, *S. Liturg. Prax.*, tom. III, n. 205).

Iamvero per praesens Decretum S. Officii, Summus Pontifex declarat, in casu verae necessitatis sufficere breviorem formam: « *Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen* »; unica igitur unctio certo sufficit ad validitatem Sacramenti Extremae Unctionis, sicut sufficit unica ablutio ad validitatem Baptismi; neque requiritur, ut in Extremae Unctionis Sacramento per unicam formam administrando fiat expressio omnium sensuum sive generalis sive particularis, ut antea Theologi putarunt.

Itaque Parochi, cum prudenter timent, ne aegrotus decedat, priusquam omnes quinque sensuum unctiones finiantur, unicum sensum cito inungant sub universali forma, quam nuper S. Sedes approbavit; quin imo in huiusmodi periculo consultius est, ut caput, e quo omnium sensuum nervi descendunt, sub eadem generali forma inungatur, v. gr. in fronte (cfr. Bened. XIV, loc. cit.). Deinde, si infirmus adhuc supervivat, « dicantur orationes praetermissae, suo loco positae » (Rit. Rom., tit. V, cap. I, n. 10), sed non oportet ut in singulis sensibus consuetae unctiones sub conditione peragantur sub specialibus formis (cfr. S. Alfons. de Lig., *Theol. moral.*, lib. VI, n. 710), quia Theologorum controversia quoad validitatem huius Sacramenti per unicam formam administrati nunc sublata est; praefata autem forma generalis est virtualiter multiplex, pluribusque formis particularibus aequivalet; a gravi tamen culpa excusari nequeunt qui, extra casum verae necessitatis, vel unam ex quinque sensuum unctionibus praetermittunt (Bened. XIV, loc. cit.).

Digitized by Google

## S. CONGREGATIO CONCILII

**De iuribus Capellanorum Confraternitatum quoad Missas cantatas, funera defunctorum, triduanas ac novendiales preces.**

THEATINA.

Nonnullis in locis Theatinae Archidioeceseos saepe contingit ut unicus capellanus confraternitatis ibidem erectae ad fere omnes functiones sacras in eiusdem ecclesia peragendas adnitatur, dum parochus continenter ex eo refragatur, quod nil vel admodum parum adventitiorum emolumentorum ipsi cedat. Ut certa proinde norma ad has controversias dirimendas habeatur, Provicarius generalis, de mandato sui Archiepiscopi, libellum obtulit Sacrae Rituum Congregationi, trium dubiorum solutionem expostulans. Quum vero S. RR. Congregatio, audita Commissione liturgica, quae voto sui Consultoris inhaesit, rem Sacrae C. Concilii remisisset, quaestio resolvenda proposita fuit sub hisce dubiis:

I. Utrum responsum datum a S. Rituum Congregatione ad dubium X in Decreto diei 12 Ianuarii 1704 de iuribus Parochorum et Confraternitatum, respiciat solummodo Missas paratas, eas nempe quae cum assistentia ministrorum celebrantur, quemadmodum eruendum videtur ex adiectivo « *solemnium* » addito voci « *Missarum* », an etiam simplices Missas cantatas, sicut Parochi autumant?

II. Utrum responsum XX eiusdem Decreti spectet indiscriminatim omnes Parocho subditos, an eos tantum qui Confraternitatibus adscripti sint?

Digitized by Google

III. An Capellani triduanas et novendiales functiones libere celebrare possint in ecclesiis Confraternitatum, etiam diebus non expressis in statutis?

Quibus propositis dubiis E.mi Patres S. Congr. Concilii, die 24 Martii 1906, respondendum mandarunt:

Ad I. *Per se et generatim loquendo, affirmative ad primam partem, negative ad secundam, et ad mentem, quae est, ut quoties Missa solemnis cum ministris in aliquo loco habitualiter haberi non possit ob cleri defectum, et Missa cum cantu sine ministris ordinarie stet loco Missae solemnis, Archiepiscopus opportunis ordinationibus caveat ne ex hoc rerum statu spiritus legis seu decreti anni 1703 frustretur et abusus subrepant.*

Ad II. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Ad III. *Affirmative, sub dependentia Episcopi.*

## Commentarium.

Ad I. In Decreto generali S. Rituum Congregationis diei 10 Dec. 1703, approbato a Summo Pontifice die 12 Ianuarii 1704, n. 2123, super iuribus parochialium functionum et praeminentiarum inter Parochos et Confraternitates laicorum eorumque Capellanos et Officiales, dubium X hoc est: « An celebratio *Missarum solemnium* per annum, sive pro vivis sive pro defunctis, sit de dictis iuribus parochialibus? » Cui dubio S. R. C. respondendum censuit: « *Negative, prout iacet; sed licere Confratribus dumtaxat in Festivitatibus solemnioribus eiusdem Ecclesiae vel Oratorii* ».

Benedictus PP. XIV (*Inst. eccl. 105, n. 119*) hoc Decretum commentans dioecesique Bononiensi, cui tunc praeerat, applicans sic loquitur: « Equidem discrimen agnoscimus inter *solemne* sacri-

Digitized by Google

ficium Missae, et illud quod *cum cantu* celebratur. Nam solemnitas intrinsecus cum ritu implicita est, et in pluribus Ministris, nempe Diacono et Subdiacono collocatur. Cantus autem extrinsecus sacrificio Missae adiungitur, neque modum et rationem offerendi eiusdem sacrificii constituit... Cum haec ita sint, *de iure* statuendum videretur nullo modo labefactari ius parochiale, quod sacra *solemnia* tantum complectitur, si quandoque absque Diacono et Subdiacono Missarum sacrificia in Ecclesiis aut Oratoriis Sodalium cum cantu indicantur. At quoniam concordiam Parochos inter ac Sodales magnopere expetimus, atque ut Sodales ipsi magna observantia Rectores Ecclesiarum prosequantur: et quoniam dubitandum est, ne paulatim Parochi a Missis canendis in Ecclesiis aut Oratoriis Sodalium amoveantur, si Missis solemnibus alia Sacra cum cantu subrogentur, ideo praecipimus, ne in posterum absque Diacono et Subdiacono Sacra fiant in Oratoriis Sodalium, nisi facultas nostra aut Vicarii nostri generalis intercesserit ». Quae Benedictus XIV pro archidiocesi Bononiensi sapienter declaraverat ac praeceperat, confirmantur per praesens responsum S. C. Concilii. Cfr. etiam Decretum eiusdem S. C. C., d. 16 Iunii 1894, apud Ephem. *Il Monitore Eccles.*, vol. VIII, part. II, pag. 147.

Ceterum ad dubium « an liceat in aliena Ecclesia et apud Regulares cantare Missam de requie, quam fideles celebrare petunt pro propinquis vel amicis defunctis, postquam funeralia in Ecclesia parochiali persoluta fuerunt, etiamsi Missa exequialis in Ecclesia parochiali non celebretur? », S. Rituum C. die 13 Maii 1879, n. 3494[1], rescripsit: « *Affirmative; servatis tamen Rubricarum regulis* ». Cfr. etiam Decr. S. R. C., 9 Mart. 1711, n. 2210.

Ad II. Per citatum Decretum generale diei 12 Ianuarii 1704, n. 2123, ad dubium XX, S. Rituum Congregatio declaravit: « *Spectare ad Parochum facere Officium funebre super cadaveribus sepeliendis in dictis Ecclesiis et Oratoriis publicis Confraternitatum, quando tumulandus est subiectus Parocho, intra cuius fines est Ecclesia vel Oratorium* ». Huic generali Decreto consonant alia eius-

Digitized by Google

dem S. R. C. responsa, scilicet d. 7 Iulii 1877, n. 3423, et 20 Nov. 1885, n. 3645 ad IV.

Idem confirmavit S. Concilii Congregatio die 28 Ianuarii 1893 in *Aprutina* (cfr. *Il Monitore Eccles.*, vol. VIII, part. 1, pag. 4), declarans, Confraternitates, etiamsi Ordinibus Religiosis successerint, exemptas non esse a parochiali iurisdictione, neque ius habere funerandi super cadaveribus illorum, qui ad eorum ecclesias pro funere exponi elegerunt.

Ratio horum Decretorum est, quia Parochus *cum intentione fundata in iure*, ut aiunt Canonistae, habet ius peragendi Officium funebre super cadaveribus omnium suorum parochianorum non solum in sua parochiali Ecclesia, sed etiam in quibuscumque Ecclesiis sitis intra fines suae paroeciae a suaque iurisdictione non exemptis, sive iidem defuncti alicui Confraternitati adscripti sint, sive ad nullum Sodalitium pertineant; nomine autem Officii funebris ad Parochum spectantis comprehenditur etiam Missa solemnis de requie (S. R. C., 28 Iulii 1832, n. 2695, et 27 Aug. 1836, n. 2751).

Ecclesiae vero sitae intra fines alicuius paroeciae, quoad ius funerandi non censentur exemptae a parochiali iurisdictione, nisi speciale privilegium obtinuerint, prouti Regularibus proprie dictis a iure concessum est (S. R. C., 31 Aug. 1615, n. 334, 18 Aug. 1629, n. 515, 26 Ian. 1641, n. 731, 21 Mart. 1739, n. 2342, 3 Sept. 1746, n. 2393, et 12 Sept. 1884, n. 3619); neque ad ius parochiale excludendum in casu sufficit, ut aliqua Ecclesia sit aggregata Archibasilicae Lateranensi de Urbe, sicuti v. gr. est Ecclesia S. Mariae in Oppido Belviderio Senogalliensis dioecesis (S. R. C., 14 Ian. 1612, n. 294, et 20 Sept. 1806, n. 2563).

Quod si in Ecclesiis Confraternitatum peragendum sit funus super cadaveribus filianorum *alienae paroeciae*, in hoc casu non Parochus loci, nisi ei faveat immemorabilis consuetudo (cfr. Decr. S. C. Conc., 27 Maii 1893 in una *S. Severi*, apud Ephem. *Il Monitore Eccles.*, vol. VIII, part. 1, pag. 123), sed Rector Ecclesiae ad quam cadaver delatum sit, ius habet Officium funebre

Digitized by Google

faciendi et cadaver associandi ad coemeterium, ut patet ex Decretis S. R. C. n. 2123 ad XX, n. 2393, n. 3619 ad II, et. n. 3854 ad IV (cfr. *Il Monitore Eccles.*, vol. VII, part. II, pag. 19, ac vol. VIII, part. I, pag. 41; *Ephem. Liturg.*, vol. XV, pag. 316).

Ad III. Anno 1844 haec dubia proposita sunt S. Congr. Concilii, nimirum: « I. An liceat Capellano novenas, triduos et alias functiones cum expositione et benedictione SS.mi Sacramenti explere in oratorio S. Dominici independenter a Parocho in casu? » II. An liceat eidem Capellano Missas solemniter canere independenter a Parocho in casu? » Et S. Conc. Congregatio die 13 Ianuarii 1844 in *Reatina* rescripsit: « Ad I et II. *Affirmative in omnibus* ad formam Decretorum *Urbis et Orbis* S. C. Rituum diei 10 Dec. 1703, salvo tamen iure Episcopi super licentia benedicendi populum solemniter cum SS.mo Sacramento prout de iure ».

Iamvero in citato Decreto generali S. R. C. d. 10 Dec. 1703, n. 2123, ad III et IV, declaratur, Confraternitates erectas in Ecclesiis vel Oratoriis ab Ecclesia parochiali seiunctis nullam habere dependentiam a Parocho, intra cuius parochiae limites sitae sunt Ecclesiae, quoad explendas functiones ecclesiasticas non parochiales. Preces igitur triduanas seu novendiales, utpote quae non sunt de iuribus mere parochialibus, Capellani Confraternitatum peragere possunt in suis Ecclesiis independenter a Parocho.

Nihilominus S. Rituum Congregationi, dum Parochos inter ac Sodalitates dissidia componeret per Decretum n. 2123, ea non fuit mens, ut Episcoporum iurisdictionem infringeret, aut ipsos impediret, ne unquam a decretis ipsis recederent, etiamsi legitima causa interveniat, et dioecesis utilitas aliud exposcere videatur (Benedict. XIV, *Inst. eccl. 105, n. 94*); id aperte constat ex responsis ipsius S. R. C. ad dubia XIV et XIX eiusdem Decreti, in quibus responsionibus adiiciuntur clausulae « *nisi aliter Ordinarius statuat ex rationabili causa* » et « *nisi aliter Episcopus disponat* ». Hinc intelligitur quare S. Concilii Congregatio ad dubium III rescripserit: « *Affirmative, sub dependentia Episcopi* ».

Digitized by Google

In pluribus autem dioecesibus synodales constitutiones vetant, quominus Capellani Confraternitatum aut etiam Regulares peragant functiones, dum Parochus Missam diebus festis celebrat vel sermonem ad populum habet.

## S. CONGREGATIO INDULGENTIARUM

### I.

**Indulgentia plenaria conceditur fidelibus renovantibus promissiones in suscipiendo Baptismate emissas.**

### URBIS ET ORBIS

DECRETUM.

SS.mus D.nus noster Pius Pp. X., humillimas preces R. P. Francisci Xaverii ab Immaculata Conceptione, Provincialis Provinciae S. Ioseph Ordinis SS.mae Trinitatis, clementer excipiens, quo magis christifideles ad servandas promissiones in susceptione Baptismatis ab ipsis emissas excitentur, Plenariam Indulgentiam, defunctis quoque applicabilem, benigne concessit, ab omnibus lucrandam, qui, die festo Augustissimae Trinitatis, alicui piae caeremoniae in parochialibus aliisque ecclesiis, de Ordinariorum licentia et iuxta eorumdem normas, peragendae, in qua solemniter praefatae promissiones denuo nuncupentur, devote adstiterint, simulque sacramentali confessione expiati et S. Synaxi refecti ad mentem Sanctitatis Suae pie oraverint. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria S. Cong.nis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, Kalendis Iunii an. 1906.

L. ✠ S.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*
† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

Digitized by Google

## II.

## Indulgentiae conceduntur fidelibus quasdam invocationes seu preces recitantibus.

*Beatissimo Padre,* (1)

Nicola Giuseppe Camilli, arcivescovo vescovo di Iassi, prostrato al bacio del S. Piede, supplica la S. V. a degnarsi di accordare qualche indulgenza, applicabile ai defunti, a tutti i fedeli ogniqualvolta reciteranno divotamente la seguente invocazione:

Nos, Iesu, Maria et Ioseph bone,
Benedicite nunc et in mortis agone.

Che ecc.

*Ex Audientia Sanctissimi, diei 9 Iunii 1906.*

SS.mus D. N. Pius Pp. X universis christifidelibus, quoties praefatam invocationem corde saltem contrito ac devote recitaverint, Indulgentiam quinquaginta dierum, defunctis quoque applicabilem benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romae, e Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 9 Iunii 1906.

L. ✣ S.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*
† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

(1) Versio:

*Beatissime Pater,*

Nicolaus Ioseph Camilli, Archiepiscopus Episcopus Iassien., ad S. Pedis osculum provolutus, Sanctitatem Vestram supplex exorat, ut quandam Indulgentiam concedere dignetur, defunctis quoque applicabilem, omnibus fidelibus, quoties devote sequentem invocationem recitaverint:

Quod Deus etc.

Digitized by Google

*Beatissimo Padre,* (1)

Il P. Giuseppe Angelucci, de' Servi di Maria, parroco di S. Marcello in Roma, prostrato ai piedi della S. V., umilmente supplica perchè si degni concedere qualche indulgenza a tutti coloro che recitano la giaculatoria:

**Maria Addolorata, Madre di tutti i cristiani, pregate per noi.**

Soprattutto affinchè si ottenga la conversione delle Chiese dissidenti.

Che, ecc.

*Ex audientia SS.mi, die 4 Iunii 1906.*

SS.mus, auditis expositis, omnibus christifidelibus, qui corde saltem contrito, praefatam precem devote recitaverint, quoties id egerint, Indulgentiam tercentum dierum, animabus etiam in Purgatorio detentis profuturam, benigne concessit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

In quorum fidem etc.

L. ✣ S. CASIMIRUS Card. GENNARI.

Praesentis Rescripti exemplar delatum fuit ad hanc Secretariam S. C. Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae, ex eadem Secretaria, die 27 Iunii 1906.

L. ✣ S. † D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

(1) Versio:

*Beatissime Pater,*

P. Iosephus Angelucci, Ord. Servorum B. M. V., parochus S. Marcelli in Urbe, ad pedes S. V. provolutus, humiliter supplicat, ut quandam Indulgentiam concedere dignetur omnibus qui recitant iaculatoriam precem:

**Maria Perdolens, Mater omnium christianorum, ora pro nobis.**

Potissimum ut conversio Ecclesiarum dissidentium obtineatur.

Et Deus etc.

Digitized by Google

### Preghiera al S. Cuore di Gesù. (1)

O Cuore SS.mo di Gesù, spandete a larga copia le vostre benedizioni sopra la S. Chiesa, sopra il Sommo Pontefice, e sopra tutto il clero; date ai giusti la perseveranza, convertite i peccatori, illuminate gl' infedeli, benedite i nostri parenti, amici e benefattori, assistete i moribondi, liberate le anime del Purgatorio, e stendete su tutti i cuori il dolce impero del vostro amore. Così sia.

*Ex Audientia SS.mi, diei 15 Iunii 1906.*

SS.mus Dominus noster Pius PP. X, omnibus christifidelibus corde saltem contrito ac devote supracitatam precem recitantibus trecentorum dierum Indulgentiam, semel in die lucrandam, benigne concessit; iis vero, qui per integrum mensem, quotidie eamdem recitaverint, quo die confessi ad S. Synaxim accesserint, atque ad mentem Summi Pontificis oraverint, plenariam elargitus est. Quas Indulgentias Sanctitas Sua ad animas quoque in Purgatorio detentas applicabiles declaravit. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis non obstantibus quibuscunque.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 16 Iunii 1906.

L. ✠ S.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

(1) Versio:

Oratio ad S. Cor Iesu.

Cor Iesu sanctissimum, large, quaesumus, effunde tuas beneditiones super sanctam Ecclesiam, super Summum Pontificem, et super omnem clerum; da iustis perseverantiam, converte peccatores, illumina infideles, benedic nostros propinquos, amicos et benefactores, assiste morti proximos, libera animas in Purgatorio degentes, et super omnium corda dulce imperium tui amoris extende. Amen.

Digitized by Google

*Beatissime Pater,*

Cardinalis Episcopus Barcinonensis S. V. humiliter quae sequuntur exponit:

1) Apud Monialium Monasteria haud lucrantur Indulgentiae invocationi « Cor Iesu sacratissimum, miserere nobis » concessae, eo quod post Missam conventualem dictae preces minime recitantur. Optaret igitur Cardinalis orator, ut Sanctimoniales Ingentias praedictae invocationi adnexas lucrarentur, eam recitantes post Antiphonam « Angelus Domini », quae ter in die exorari solet.

2) Non ita pridem S. V. benigne concessit nonnullas Indulgentias pie recitantibus: « Domina nostra Sanctissimi Sacramenti, ora pro nobis », coram SS.mo Sacramento solemniter esposito; sed plura extant Monalium Monasteria in quibus non nisi raro Augustissimum Sacramentum solemniter exponitur. Optandum ergo esset ut Illud in Tabernaculo asservatum, pro iis Indulgentiis sufficiens conditio habeatur.

3) Ad devotionem in Iesum, Mariam et Ioseph magis, magisque fovèndam, implorat orator, ut fidelibus Eorum Nomina coniunctim invocantibus, prouti frequentissimum in Hispania, concedatur toties quoties Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum; necnon Plenaria semel in mense lucranda, pro rite confessis ac Communione refectis, qui dictam invocationem quotidie recitare consueverint.

Et Deus...

**Iuxta preces, in Domino, quoad omnia.**
**Die 8 Iunii 1906.**
**PIUS PP. X.**

Praesentis Rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem, etc.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 16 Iunii 1906.

L. ✣ S. † D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

Digitized by Google

## Ad *Motu-proprio* de Protonotariis Apostolicis Commentarium.

(*Continuatio.* V. num. 7, anni curr., pagg. 395-402).

### De Protonotariis Apostolicis Supranumerariis.

37. Protonotarius Supranumerarius defunctus efferri aut tumulari cum Mitra non poterit, neque haec eius feretro imponi (131).

38. Ne autem Protonotariorum numerus plus aequo augeatur, prohibemus, nè in posterum in ecclesiis, de quibus supra, Canonici Honorarii, sive infra, sive extra Dioecesim degant, binas partes excedant eorum, qui Capitulum iure constituunt (132).

39. Qui secus facere, aliisve, praeter memorata, privilegiis et iuribus uti praesumpserint, si ab Ordinario semel et bis admoniti non paruerint, eo ipso, Protonotariatus titulo, honore, iuribus et privilegiis, tamquam singuli, privatos se noverint (133).

40. Sciant praeterea, se, licet forte plures una simul, non tamquam unius ecclesiae Canonici, sed tamquam Protonotarii conveniant, non idcirco Collegium praelatitium constituere (134); verum quando una cum Protonotariis de numero Participantium concurrunt, v. gr. in Pontificia Cappella, tunc quasi unum corpus cum ipsis effecti censentur (135), sine ullo tamen amplissimi Collegii praeiudicio (136), ac servatis eiusdem Cappellae et Familiae Pontificiae consuetudinibus (137).

Digitized by Google

41. Si quis (exceptis Canonicis trium Patriarchalium Urbis) (138) quavis ex causa Dignitatem aut Canonicatum dimittat cui titulus, honor et praerogativae Protonotarii Apostolici Supranumerarii adnexa sint, ab eiusmodi titulo, honore et praerogativis statim decide (139). Qui vero Pontificium Breve inter Praelatos aggregationis obtinuerit, horum tantum privilegiis deinceps perfruetur (140).

(131) Huiusmodi similis praescriptio invenitur in eadem Pii VII, constitutione n. 25 et 26. Quod procul dubio valet non tantum in funere depositionis, sed multo magis in Anniversario, cuiuscumque Praelati qui episcopali charactere non refulgeat.

Ratio est, quia Mitra, ex disciplina Ecclesiae, est propria Episcopis qui revera sunt pontifices. Si vero illa inferioribus prelatis aliquando ab apostolica Sede conceditur, privilegium valet solummodo pro *functionibus Missis* etc. a praelato celebrandis, non autem extra. Ergo defunctus cum sit, privilegium cessat.

(132) Apud veteres nulla mentio habetur de Canonicis honorariis, prout hodie intelliguntur. Fagnanus (*in I p. 3 Decret. n. 9*) primus inter canonistas de eis loquitur. Editor Actorum S. Sedis (*Vol. III, p. 139*) de canonicis honorariis ad rem notat: « Quando nova institutio oritur, novae leges sunt determinandae, quibus eadem institutio dirigatur. Eiusmodi leges, circa canonicos honorarios, adhuc haberi non videntur ».

Vide quae supra diximus in nota 35. Ratio necessitatis, ut scilicet, in hodierna Cleri diminutione, servitium Chori et decor sacrarum functionum digne servaretur, pro creandis honorariis canonicis, militat tantum pro iis qui in civitate episcopali morantur. Numerus honorariorum aliquando a S. Sede definitus fuit in erectione novarum cathedralium, vel viginti, vel decem, vel numerus aequalis Canonicorum titularium (*Cf.* de Herdt, *Praxis Capit. c. 11, § 2, n. 3*).

Digitized by Google

Hodie tamen opportunissime Ss. D. N. in Ecclesiis ubi Canonici sunt Protonotarii, determinavit ne numerus honorariorum binas partes excedat Canonicorum de numero. Scilicet, si Capitulum duodecim constat Canonicis, honorarii esse non possunt plusquam octo. Quae restrictio posita fuit, ut dicitur hoc loco, *ne Protonotariorum numerus plus aequo augeatur.*

(133) Constitutiones Pii VII et Pii IX pluries citatae eamdem poenam privationis minitantur; et bene. Nemo enim praesumere debet, in usu privilegiorum, aliis amplioribus uti, cum detrimento dignitatis Episcopalis, et cum manifesta inobedientia Summo Pontifici. Ideoque si aliquis ex Protonotariis, puta Mitram auream, vel pretiosam adhibeat, thronum conscendat, vel trinam benedictionem impertiatur, statim ac *semel et bis* ab Ordinario suo sit admonitus, *titulo, honore, iuribus et privilegiis* tamquam privatus destituetur.

Dicitur *tamquam singuli*, eo quod in Choro, bene poterit adhuc cum aliis Canonicis veste praelatitia indui et etiam mitra, si hac capitulariter utantur; ipse vero non amplius vocabitur Protonotarius, quia ipso *titulo* privandus erit, neque extra capitulum et chorum, aliquibus insigniis praelatitis uti poterit.

(134) Collegia Praelatorum in Urbe tantum habentur, ideoque si in aliqua ecclesia plures Protonotarii supranumerarii vel *ad instar* simul conveniunt, non ideo collegium constituunt, eo quod Collegium Protonotariorum tantum ex septem de numero constat. Ideo si tamquam Canonici alicuius Ecclesiae, nomine Capituli, conveniant, Capitulum ipsum repraesentare possunt; numquam tamquam Protonotarii.

(135) Solummodo quando forte Romae degit aliquis Protonotarius supernumerarius vel *ad instar*, potest ad Capellam convenire, et dummodo cappa et roccheto, super habitum praelatitium, sit indutus, simul cum Protonotariis de numero sedere potest.

(136) *Sine tamen amplissimi Collegii praeiudicio* hic dicitur; hinc post Protonotarios de numero disponi poterunt, imo et post Protonotarios emeritos, de quibus supra locuti sumus in nota 9, sub n. XXVII; neque poterunt supplere Protonotariis de numero,

Digitized by Google

in officiis obeundis tam in cappella quam extra, cum rigorose illud tantummodo concessum intelligendum sit, quod in diplomate exprimitur.

(137) In casu absentiae alicuius de Protonotariis participantibus, quorum est anteriorem fimbriam faldae Summi Pontificis sustinere, dum ab aula paramentorum procedit, non supplent Protonotarii supranumerarii, sed Auditores Rotae, uti vidimus in nota 9, n. XVIII.

(138) Hic excipiuntur, honoris causa Canonici trium Patriarchalium Urbis, quia, uti innuimus in nota 32, Sixtus IV concessit Canonicis Basilicae Vaticanae ut gaudeant privilegiis Protonotariorium, *etiam postquam dictae basilicae Canonici esse desierint.* Quo privilegio fruuntur, ex communicatione, Canonici quoque Lateranenses et Liberiani, illoque opportune privare noluit SS. D. N. ita ut dum vivant trium Patriarchalium Canonici semper erunt Protonotarii, eorumque iuribus gaudebunt.

(139) Dicitur *quavis ex causa* quis canonicatum amittat; quae causa canonica et legitima esse debet. Causae a doctoribus enumerantur, et plures sunt. Videsis Ferraris (*voc.* Beneficium *art.* 7, *n.* 1–40). Amisso igitur canonicatu, amittuntur et *titulus* Protonotarii, ideoque et vocamen vulgo *Monsignore*, neque amplius ius habebit dimissionarius ad habitum praelatitium, nec ad alias praerogativas.

(140) Optima exceptio: Canonicus enim qui per Breve ius et titulum obtinuit Praelati domestici, ut dicitur supra §§ 14 et 34, illud habuit ratione quidem Canonicatus in sua Ecclesia, sed non tamquam Canonicus. Id autem adeo verum est, ut Canonicus vere sit talis, et gaudeat iuribus Capitulo tributis, licet Breve Praelaturae non accipiat. Quapropter, qui Canonicatum amittit, amittit et iura Canonicatui adnexa, non vero quae sunt personalia. Dimissionarius porro habitu praelatitio et titulo vulgo *Monsignore* adhuc gaudebit, eaque omnia illi spectabunt quae §§ 78 et 79 huiusce *Motu proprio* declarantur, si Praelatus fuerit renunciatus.



Digitized by Google

### III. – Protonotarii Apostolici ad instar.

42. Inter Protonotarios Apostolicos *ad instar* Participantium illi viri ecclesiastici adnumerantur, quibus Apostolica Sedes hunc honorem conferre voluerit (141), ac praeterea Dignitates et Canonici alicuius Capituli praestantioris, quibus collegialiter titulus et privilegia Protonotariorum, cum addito *ad instar*, ubique utenda, fuerint ab eadem Apostolica Sede collata (142). Canonici enim, qui aut in propria tantum ecclesia vel dioecesi titulo Protonotarii aucti sunt, aut nonnullis tantum Protonotariorum, privilegiis fuerunt honestati, neque Protonotariis aliisve Praelatis Urbanis accensebuntur, neque secus habebuntur ac illi de quibus hoc in Nostro documento nn. 80 et 81 erit sermo (143).

43. Qui Protonotarii Apostolici *ad instar* tamquam singuli iuribus honorantur, eo ipso sunt Praelati Domus Pontificiae (144); qui vero ideo sunt Protonotarii quia alicuius ecclesiae Canonici, Praelatis Domesticis non adnumerantur, nisi per Breve Pontificium, ut num. 14 dictum est (145). Omnes Protonotarii *ad instar* subiecti remanent, ad iuris tramitem, Ordinario loci (146).

44. Beneficia illorum, qui Protonotarii *ad instar* titulo et honore gaudent, tamquam Canonici alicuius Capituli, si vacent extra Romanam Curiam, Apostolicae Sedi minime reservantur (147). Beneficia vero eorum, qui tali titulo et honore fruuntur, tamquam privata persona, non poterunt nisi ab Apostolica Sede conferri (148).

45. Quod pertinet ad habitum praelatitium, *pianum* et communem, stemmata et choralia insignia, habitum

Digitized by Google

et locum in Pontificia Cappella, omnia observabunt, uti supra dictum est de Protonotariis Supranumerariis, nn. 16, 17, 18, 19, 20 (149).

46. Iisdem iuribus gaudebunt, praecedentiae, privati oratorii, conficiendi acta Beatificationis et Canonizationis, passivae electionis in Conservatores, ceterisque; item recipiendae Fidei professionis, reverentiae ad Crucem, thurificationis, quibus omnibus fruuntur Protonotarii Supranumerarii, ut supra nn. 21, 22, 23, 24, ac iisdem sub conditionibus (150).

(141). In nota 8 iam innuimus quomodo et quare consueverint Summi Pontifices ex diversis catholici orbis plagis nonnullos viros ecclesiasticos assumere de re christiana benemeritos, in Protonotarios Apostolicos, qui tamen de *numero participantium* minime essent. Hi autem, quia a Summo Pontifice creati, veri, reales proprii et non ficti Protonotarii sunt, ut ait Barbosa (*de iur. eccl. univ., l. 1, c. 23, n. 47*). Ipsi sunt Protonotarii quoad personam, ideoque titulum et iura Protonotariorum non amittunt, nisi ob promotionem ad Episcopatum, vel per poenam privationis. Quia vero non sunt *Participantes*, sed ad *instar eorum* sunt creati, dicuntur Protonotarii Apostolici *ad instar*, de qua locutione, vide quae diximus in nota 32.

(142). Huiusmodi sunt Canonici Cathedralis Melitensis ex benignitate Leonis XIII (*cf. S. R. C., decr. 3988*), nec non Cathedralis Tarvisinae ex concessione SS. D. N. Pii X, qui in eadem cathedrali Canonicus Primicerius extitit (*Breve 5 Dec. 1903*) et forsan Canonici alterius Ecclesiae. De his vide quae diximus in nota 33.

(143). In nota 34 rationem dedimus huiusmodi clausulae.

(144). Protonotarii *ad instar*, qui personaliter huius honore decorantur, eo ipso Praelati domestici creantur, uti iam declaraverat Pius Pp. IX in sua Constitutione 28 Septembris 1872 (§ 1).

Digitized by Google

Ratio est quia Protonotariatus primus gradus est Romanae Praelaturae, porro qui ad hunc honorem assumitur, toto iure Praelatus dicitur et est, absque speciali alia declaratione, aut Brevis emissione.

(145). Qui vero ideo Protonotarii efficiuntur, quia alicui privilegiato Capitulo adscripti, Praelati Domestici non sunt, nisi postquam obtinuerint Pontificium Breve electionis, uti fusius explicavimus in notis 36 et 37.

(146). De subiectione Ordinario loci, vide quae diximus in nota 39.

(147). Ex Regulis Cancellariae Apostolicae I et IV, Beneficia eorum qui de familia sunt Romani Pontificis, uti Protonotarii, Praelati Domestici, et Cubicularii, reservata manent Summo Pontifici. Ideo, beneficia illius, qui honore Protonotariatus gaudet personaliter, non vero quia alicui Capitulo adscriptus, eo ipso affecta dicuntur, et dum vacant nonnisi ab apostolica Sede conferri possunt.

(148). Aliud vero est de beneficiis eorum, qui ideo Protonotarii sunt, quia in aliqua Ecclesia Canonici, ob rationes quae in nota 40 exposuimus.

Quid autem dicendum erit de beneficiis obtentis ab eo qui personaliter fit a S. Sede Protonotarius *ad instar*, et postea canonicatu potitur in aliqua ecclesia, quorum Canonici Protonotariorum gaudent titulo, honoribus et insigniis? Procul dubio, ex locutione Regularum Cancellariae eruitur, quod reservata manent beneficia quae obtinet, vel obtinebit Protonotarius, ergo et canonicatus ab eo susceptus, licet per se affectus non sit, reservatus per accidens S. Sedi remanet, eo quod obtentus fuit ab eo qui et *personaliter* Protonotarius fuerat.

(149). Quoad habitum, insignia etc. de quibus hoc § 45 loquitur, vide notas a n. 41 ad n. 64, nihil enim in his differunt Protonotarii Supranumerarii et *ad instar*.

(150). Item pro iuribus et praecedentiis vide notas a n. 65 usque ad 76.

(*Continuabitur*). Doct. PETRUS PIACENZA.

Digitized by Google

# Acta Academiae Liturgicae Romanae.

*Die 2 Maii 1906*, in S. Aede Congregationis Missionis prope Curiam Innocentianam habitus est Conventus academicus, in quo Rev. D. ALBERTUS DI IORIO, Pontificii Seminarii Romani alumnus, quaestionem enodavit:

## De Hora Tertia vel Nona ante Missam in Beatificationibus.

Post Censorum animadversiones et placita, alter ex illis, Rev.mus D. ALOISIUS AGNOLETTI epitomen resolutionum fecit, quam excepit pia collatio de ecclesiasticis officiis.

### Quaestionis propositio.

Occasione solemnitatis triduanae in honorem Beatorum, noviter a Summo Pontifice creatorum, tres Missae pontificales celebratae sunt multis in locis. Alicubi autem Missam praecessit cantus Tertiae, alicubi cantus Nonae, alicubi Missa tantum est decantata. Ut res uniformiter et non ad arbitrium relinquatur, nostrae Academiae sequentia dubia proposita fuere:

1. *Quando, ubi, et quo ritu celebrari possint Missae novorum Beatorum in solemnitatibus triduanis in eorum honorem institutis?*

2. *An post Tertiam, vel post Nonam Missa solemnis huiusmodi celebranda sit?*

3. *Hora Tertia, vel Nona praecinenda respondere ne debet officio diei, vel Missae Beatorum?*

4. *Quid consulendum in casu?*

Digitized by Google

**Solutio.**

Saeculi saecundi initio, primaeva simpliciori forma derelicta, coeptum est Missam celebrari super Martyrum sepulcra, et tunc ad pauca quae eousque adhibita sunt verba super panem et vinum adiecta sunt alia, quae producerent atque augustius redderent solemne momentum, ac melius ad idem disponerent fideles. Obvium proinde fuit, preces nonnullas ad Martyres et ad Confessores (qua sub appellatione eos dicimus, qui, ex primitiva vocis significatione, quamdam martyrii poenam subiere, ut constantes in fide permanerent) referre, aliasque introduci pro Ecclesiae proceribus, pro benefactoribus, pro defunctis. Sanctorum communio sic publica manifestatione sancita est. En itaque pars Canonis constituta, quae respondet, uti tunc appellabatur, Dypticorum recitationi, in Liturgia orientali potissimum adhibita.

Dyptica, iam in usu apud nobiles Romanos, erant eburneae tabulae, elegantibus cardinibus coniunctae, et cera interius linitae, tenui diligentique opere, quo serico apparerent obductae. Eiusmodi tabulae in primaeva Ecclesia ex ambone legebantur, tempore Missae. Descripta ibi erant offerentium nomina, necnon Magistratuum, Clericorum superioris ordinis, ac praeterea Sanctorum Martyrum, et serius Confessorum, ea significatione qua superius eos distinximus, et tandem illorum qui pro orthodoxa fide obierant. Haec est pars Missae, quae nunc sub nomine venit *Communicantes*, quaequae, iuxta aliquos ad primum Ecclesiae saeculum referri debet, iuxta alios ad quartum, Siricio Pontifice. Post Praefationem nonnisi post quintum saeculum asportata est. Quae porro nunc immutabilis est, quoad Sanctorum nominationem, ab initio, iuxta temporum et locorum adiuncta immutabatur. His consideratis, una cum simplicitate celebrationis Missarum, datur concludere, ab initio Sanctis, in Missae Sacrificio, nihil aliud tributum fuisse, quam simplicem commemorationem in *Communicantes*.

Plane aliunde intelligitur, cur in primaeva Ecclesia Sanctorum cultus arctissimos inter limites contineretur; nimis enimvero

Digitized by Google

timebatur ethnicae apotheosis similitudo; creaturae adoratio viva adhuc in imperio habebatur, et Romae praesertim in foris et sub fornices basilicarum, inter deorum statuas erigebantur simulacra imperatorum, ante quae thura incendebantur. Saeculo IV, pericula istiusmodi fere evanuerant, et mirabilis Deus in Sanctis suis horum cultu coepit honorificari.

Huius rei moderandae cura Episcopis ac praesertim Metropolitis incubuit, proindeque privatus, seu potius circumscriptus, cultus Sanctorum ab initio habitus fuit. Gravina, Rolandus et Mabillonius hanc putant fuisse originem Beatificationum, cultus scilicet non universalis, et a Romano Pontifice non approbatus.

Attamen, labente tempore, factum est, ut sive nimia Episcoporum indulgentia, sive populi audaci superstitione, nonnullis immerito ecclesiasticus cultus tributus fuerit. Hinc supremae Pontificum auctoritatis interventus. Alexander III (1170), certior factus, apud quosdam monachos, unum ex illis, cum ebrius esset, occisum, quemdam cultum adeptum fuisse, ad eos illico misit epistolam, ita illos carpens:

« Audivimus quod quidam inter vos, diabolica fraude decepti, hominem quemdam in potatione et ebrietate occisum, quasi sanctum, more infidelium, venerantur... Hominem ergo illum de cetero colere non praesumatis, cum etiamsi per eum miracula plurima fierent, non liceret vobis pro sancto absque auctoritate romanae Ecclesiae eum publice venerari ».

Innocentius III (1198-1216) eumdem damnavit abusum; haec tamen particularia monita parum vel nihil profuerunt, sed tandem post saecula ferme quinque, instituta S. Rituum Congregatione, sub forma magis expedita, prodiit Decretum, quo, die 13 Ianuarii 1631, sedente Urbano VIII, edictum est:

« Non potuisse nec posse locorum Ordinarios tam saeculares quam regulares addere Calendariis, etiam propriis, sanctorum officia, nisi ea dumtaxat, quae Breviarii romani rubricis vel S.ae R. C.nis seu Sedis apostolicae licentia conceduntur, neque propria auctoritate, quovis praetextu mutare ritum, qui habetur in Calen-

Digitized by Google

dario romano, seu rubricis Breviarii, in altiorem ritum, neque extendere concessa Officia de loco ad locum ».

Suppressis interea cultibus vel non approbatis, vel recognitis falsis, vel unius saltem saeculi antiquitate non fruentibus, sub Alexandro VII, die 27 Septembris 1659, editum auctoritate S. R. C. fuit generale decretum de cultu Beatorum.

Praecesserat quaedam instructio eiusdem S. Cong.nis, in qua dicebatur: « Missae currentes in honorem alicuius beati non canonizati non possunt celebrari sine speciali indulto Sedis apostolicae (28 Septembris 1658) ».

Hoc ex decreto, quae propius nostrum respiciunt casum excerpimus: « ... III. Si concessa fuerit per Sedem Apostolicam altarium erectio, non tamen ob id Missam et Officium de praedictis beatis celebrandi vel recitandi facultas tradita praesumatur: etenim specifica et expressa concessio super his praecedere debet. IV. Ubi in uno loco cultus fuerit concessus, non extendatur, inconsulto Pontifice, ad alium locum, quavis alia concurrente auctoritate. V. In locis ubi beatos praedictos ab omnibus coli permissum fuerit, non inde publica Officii recitatio permissa censeatur, sed tantummodo privata, nec satisfactoria praecepto recitationis nisi quoad illos, quibus Sedes Apostolica de hoc indulserit... VII. Dies festi in beatorum eorumdem memoriam non celebrentur nisi speciali indulto apostolico provisum fuerit ».

Relate ad hoc Decretum nonnulla proposita sunt dubia, ex quibus unum tantum, quod maxime nos tangit, referimus: « An § 7 (Decreti d. 27 Sept. 1659 sup. cit.) - dies festi in beatorum honorem non celebrentur - extendatur ad festa devotionis? » Huic S. Rituum Congregatio « negative » respondit die 17 Apr. 1660.

Hinc mos triduana solemnia instituendi occasione novarum beatificationum quae a Summo Pontifice proclamatae fuerint.

Sed moderandae huic formae cultus apposita recentissime prodiit Instructio a S. R. C., sub die 16 Decembris 1902 (1), in

(1) Haec Instructio, cuius mentio fit in Brevibus de Beatificationibus Venerabilium Dei Servorum (cfr. *Ephem. Liturg.*, vol. XIX, pag. 455), integre

Digitized by Google

qua completa hac de re doctrina liturgica exponitur. Sit satis hic nonnulla, quae ad casum de quo agimus, magis conducunt, referre: « I. In solemniis... triduanis pro recenter Beatificatis..., quae celebrari permittuntur, Missae omnes, sive solemnes sive privatae, inter Votivas recensendae sunt... II. Missam solemnem impediunt tantum Duplicia primae classis, eiusdemque classis Dominicae, nec non feriae, vigiliae et octavae privilegiatae, quae praefata duplicia excludunt. Missas vero privatas impediunt etiam Duplicia secundae classis, et eiusdem classis Dominicae. In his antem casibus impedimenti, Missae dicendae sunt de occurrente festo, vel Dominica, aliisve diebus ut supra privilegiatis, prouti ritus diei postulat. In Duplicibus tamen primae classis addatur Orationi diei unica commemoratio de Beato vel Sancto sub unica conclusione: in Duplicibus autem secundae classis Orationi de die, sub sua distincta conclusione, addantur in privatis Missis, praeter Orationem de Beato vel Sancto, omnes quas ritus exigit commemorationes occurrentes, Collectis, ut supra, exclusis. Similiter in reliquis privilegiatis diebus Missae sint iuxta ritum diei, commemoratione de Beato vel Sancto semper suo loco addita. Quod Praefationem spectat, serventur Rubricae. III. In Ecclesiis, ubi adest onus celebrandi Missam Conventualem vel Parochialem cum applicatione pro populo, eiusmodi Missa de occurrente Officio nunquam omittenda erit. IV. Si Pontificalia Missarum ad thronum fiant, haud Tertia canenda erit, Episcopo paramenta sumente, sed Hora Nona: quae tamen Hora minor de Beato vel Sancto semper erit, substitui nihilominus eidem Horae de die pro satisfactione non poterit ».

His praemissis, ad quaestionum solutionem deveniamus:

1. Quando celebrari possunt Missae novorum Beatorum, in Solemnitatibus triduanis in eorum honorem institutis?

Quando non occurrit Duplex I classis aut Dominica, vel feria, vigilia aut octava ex privilegiatis, quae praefata Duplicia

edita est in nostris *Ephem. Liturg.*, vol. XV, a. 1901, pag. 272; publici tamen iuris facta est ab ipsa S. R. C. sub die 16 Decembris 1902.

Digitized by Google

excludunt, solemnis Missa de novo Beato cantari potest. Quando vero non occurrit Duplex aut Dominica II classis, etiam Missae privatae de eodem Beato celebrari valent.

2. Ubinam hae Missae celebrari possunt?

Iis in ecclesiis, in quibus per Breve Beatificationis permittitur celebrari solemne Triduum novi Beati, quae, ut plurimum, sunt eaedem in quibus permittitur annuus cultus liturgicus Beati ipsius.

3. Quo ritu celebrari valent?

Ritu Missarum votivarum; nihilominus dicitur in Instructione S. R. Congregationis: « Ob peculiarem vero celebritatem S. S. indulget ut omnes ac singulae dicantur cum *Gloria* et *Credo*; semper autem habebunt Evangelium S. Ioannis in fine, iuxta Rubricas. Missa tamen solemnis dicatur cum unica Oratione: reliquae vero privatae cum omnibus commemorationibus occurrentibus, sed Collectis exclusis ».

4. An post Tertiam vel post Nonam Missa solemnis huiusmodi celebranda sit?

Post Nonam, uti ex generali norma pro Missis Votivis solemnibus, et ex paragrapho IV praefatae Instructionis.

5. Hora Tertia vel Nona praecinenda respondere ne debet Officio diei, vel Missae Beatorum?

De Beato semper erit, item iuxta paragraphum IV, excepto casu, uti patet, quo Missa celebranda sit de die privilegiato, cum sola Beati commemoratione.

6. Quid consulendum in casu?

Ubi Missam praecessit cantus Tertiae, error admissus fuit, et idcirco, alia si detur occasio, servanda erit apposita Instructio. Quod autem Missa tantum et non Hora Canonica decantata fuerit, nisi agatur de Missa Pontificali ad Thronum, seu de Missa Pontificali *ab Episcopo dioecesano* celebrata (S. R. C., n. 3228 ad I), nihil contra ius admissum est. Uno verbo, concludendum, in omnibus standum esse Instructioni, de qua superius locuti sumus.

Digitized by Google

# Expositio Rubricarum.

## EXPOSITIO NOVISSIMA
## RUBRICARUM BREVIARII ROMANI

(*Continuatio.* V. num. 7, anni curr., pagg. 403-409).

### N. 4.

In festis novem Lectionum (718) ad Vesperas dicuntur Antiphonae de Laudibus nisi propriae in Vesperis assignentur (719). Ad Horas similiter tam in officio de Tempore quam de Sanctis, quando habentur propriae in Laudibus, et aliae propriae non fuerint ad Horas, sumuntur ex Laudibus (720) quarta praetermissa hoc ordine: ad Primam prima; ad Tertiam secunda; ad Sextam tertia; ad Nonam quinta (721).

(718) *In festis novem Lectionum...* Hic loquitur Rubrica de festis novem lectionum, scilicet de duplicibus et semiduplicibus, non vero de simplicibus. Ratio est quia Festum Simplex, ut vidimus in nota 57 habet quidem primas Vesperus, sed incipiunt a capitulo, psalmi vero et antiphonae sumuntur de feria, dicente Rubrica (*Tit. III, n. 3*): Simplex *habet tantum primas Vesperas in quibus dicuntur Psalmi feriales*; nil ergo de officio simplici hoc loco dicendum erat.

(719)... *dicuntur Antiphonae de Laudibus nisi propriae in Vesperis assignentur.* « Plures antiphonae, ait Gavantus (Sect. 5, c. 7, n. 5.) nobilioribus Horis, Matutino et Vesperis, non aliis

Digitized by Google

Horis, quae humilius celebrari debent », minores porro dicuntur horae. In Matutino ergo, quo ut vidimus intelliguntur et Laudes datur Antiphona pro unoquoque Psalmo, paucis exceptis ut iam notavimus; in minoribus Horis una Antiphona imponitur pro omnibus horae psalmis.

In festis antiquioribus et solemnioribus Antiphonae in Vesperis sumuntur semper ex Laudibus, cum aliquibus tantum exceptionibus. Ergo regula est, in officiis Antiphonas pro Vesperis ex Laudibus sumere, exceptio vero habere proprias.

En conspectus Festorum, quorum Antiphonae ad Laudes etiam pro Vesperis inserviunt, iuxta Ordinem Breviarii.

1. Circumcisio Domini.
2.–4. Dies octavae S. Stephani, S. Ioannis Ev. et Ss. Innocentium.
5. Epiphania Domini.
6. Dominica Resurrectionis.
7. Ascensio Domini.
8. Pentecostes.
9. Dominica SS. Trinitatis.
10. S. Andreae Apostoli.
11. Imm. Conceptio B. M. V.
12. S. Luciae V. et M.
13. S. Agnetis V. et M.
14.–15. Conversio et Commemoratio S. Pauli Ap.
16. S. Agathae V. et M.
17. Annunciatio B. V. M.
18.–19. Utrumque festum VII Dolorum B. M. V.
20. Patrocinium S. Ioseph.
21. Ss. Philippi et Iacobi App.
22.–23. Inventio et Exaltatio S. Crucis.
24.–25. Apparitio et Dedicatio S. Michaelis Arch
26. Sacr. Cordis D. N. I. C.
27. Ss. Ioannis et Pauli Mm.
28. Ss. App. Petri et Pauli.

Digitized by Google

29. Visitatio B. M. V.
30. S. Elisabeth Reg. Port.
31. S. Petri ad Vincula.
32. Transfiguratio Domini.
33. S. Laurentii M.
34. Assumptio B. M. V.
35. Decollatio S. Ioan. Bapt.
36. Nativitas B. M. V.
37. Ss. Angelorum Custodum.
38. Omnium Sanctorum.
39. S. Martini Ep. C.
40. Caeciliae V. et M.
41. S. Clementis P. M.
42. Commune App. et Martyrum Tempore Pasch.
43.-44. Commune unius Mart. extra Temp. Pasch.
45.-47. Commune Confessoris Pontificis et non Pontificis, Virginum et non Virginum.
48. Dedicatio Ecclesiae.
49. Officium in festis B. M. V.

Festa vero quae habent Antiphonas proprias in Vesperis, vel tantum in secundis, sunt quae sequuntur.

1. Nativitas Domini.
2. Festum SS. Corporis Christi.
3. SS. Nominis Iesu.
4. Purificatio B. M. V.
5. S. Ioseph B. M. Sponsi.
6. S. Ioannis Baptistae.
7. Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C.
8. Rosarii B. M. V.
9. Commune Apostolorum in II Vesp.
10. Commune plurimorum Martyrum in II Vesp.

Ex quibus decem festis, si quatuor officia demas quae post S. Pium V in Breviario inducta sunt, nempe SS. Nominis Iesu, S. Ioseph, Pretiosissimi Sanguinis et Rosarii B. M.V., sex tantum

Digitized by Google

ex antiquis officiis restant quae in Vesperis habent Antiphonas proprias.

Quamquam habere parum de communi et multum de proprio sit nota maioris solemnitatis, ut omnes sentiunt cum Gavanto, nihilominus cum hoc magistro nostro convenire nequimus, quando scribit (*sect. 5, c. 7, n. 8*): « Ob Festi solemnitatem in primis Vesperis ponuntur aliae Antiphonae diversae a Laudibus... in Nativitate Domini, Purificatione B. V., in festo Corporis Christi, et in Nativitate S. Ioannis Baptistae ». Eo quod maiores omnium Solemnitatum sunt Pascha, Pentecostes et Epiphania, et haec tria festa, Antiphonas de Laudibus pro Vesperis utrisque assumunt; ergo non undequaque vera est propositio Gavanti. Exceptio reputanda est ut diximus. Videant ergo recentiores illi officiorum redactores, qui Antiphonas proprias et distinctas proponunt etiam pro II Vesperis, spreta regula maiorum!!

(720) *Ad Horas similiter tam in officio de Tempore quam de Sanctis, quando habentur propriae in Laudibus, et aliae propriae non fuerint ad Horas, sumantur ex Laudibus.* In officio de Sanctis, tam in proprio quam in communibus ad Horas semper sumuntur Antiphonae ex Laudibus. In officio vero de Tempore, ad Horas sumuntur Antiphonae propriae, quando habentur, ut in Dominicis a Septuagesima usque ad Pascha; vel ex Laudibus si propriae ibi sunt, ut in Dominicis Adventus, et per octo dies ante Nativitatem Domini, si agatur officium de Feria, nec non in maiori Hebdomada; vel ex Psalterio, ut in Dominicis per annum aliisque feriis.

(721) *Quarta praetermissa, hoc ordine: ad Primam prima; ad Tertiam secunda; ad Sextam tertia; ad Nonam quinta.* Una ex quinque Antiphonis Laudum necessario praetermittenda est, quia Horae minores, quae mutant Antiphonas, quatuor sunt, Completorium enim numquam Antiphonam mutat. Iuxta Gavantum vero quarta praetermittitur, quia, ipse ait: « est Antiphona pro Cantico, non pro Psalmo ». Speciosa forsan alicui videbitur

Digitized by Google

haec ratio; licet enim pro Cantico sit, non pro Psalmo, hoc parum interest in casu. Antiphonae Laudum vel sunt psalteriales vel mixtae; si psalteriales, bene conveniunt psalmis Laudum, a quibus sumuntur, non vero psalmo XVIII qui dicitur per Horas; si mixtae, tunc conveniunt tam psalmis quam cantico, ideoque et psalmo XVIII. Omissio ergo Antiphonae IV, alia ratione fulcienda est.

## N. 5.

In feriis Adventus, quae non habent in Laudibus Antiphonas proprias, sumuntur ad Horas ex Laudibus Dominicae praecedentis. Ubi vero in Laudibus Feriarum fuerint propriae sumuntur ex ipsis Laudibus (722).

(722) Haec Rubrica non indiget expositione; in Feriis Adventus, a secunda post Dominicam I, usque ad Feriam quae incidit in die 17 Decembris, si dicendum sit officium feriale, Antiphonae ad Horas minores accipiuntur ex Laudibus Dominicae antecedentis, ut suo loco notatur in Breviario; in Feriis autem quae habent Antiphonam O..... sumuntur ex Laudibus earumdem Feriarum quae propriae habentur.

## N. 6.

Tempore Paschali in officio tam novem quam trium Lectionum, Psalmi cuiuslibet Nocturni dicuntur sub unica Antiphona quae officio convenit, ut suis locis ponitur (723); et in fine omnium Antiphonarum additur *Alleluia*, quando in illis non habetur (724). A Septuage-

Digitized by Google

sima usque ad Pascha, ubi habetur *Alleluia*, tacetur; neque aliud eius loco dicitur (725).

(723) *Tempore Paschali in Officio tam novem quam trium Lectionum, Psalmi cuiuslibet Nocturni dicuntur sub unica Antiphona, quae Officio convenit, ut suis locis ponitur.* Iuxta antiquos, Antiphona significat caritatem, ideoque in solemnioribus diebus duplicantur, ut ostendamus perfectiorem caritatem, docet Durandus (*l. 5, c. 2*): « Quaerit ergo Gavantus (*loco cit.*) an igitur tempore paschali minuendo antiphonarum numerum, minorem charitatem ostendere debemus? absit, imo vero haec diminutio denotat ita fervere Clericos ex paschalibus sacramentis et gaudiis, ut non egeant pluribus Antiphonis ad caritatem accendi ». Utrum revera eiusmodi fuerit causa dicendi unam tantum Antiphonam in Nocturnis Tempore Paschali, videant alii. Certo certius in diebus laetitiae et solemnitatis oratio brevior est quam in ferialibus et poenitentialibus; cum vero tempore Paschali augeatur iubilatio, ideo officium divinum in Matutino aliquantisper contrahitur per diminutionem Antiphonarum.

In festo tamen Ascensionis in Nocturnis dicuntur more solito novem Antiphonae, licet adhuc currat tempus Paschale. Causam huius reddit Gavantus (*Sect. 6, c. 17*) scribens: « Ascensio Domini indicitur festiva, cum Antiphonis ad unumquemque Psalmum, puto ad fervorem Caritatis excitandum, quae in Antiphonis significatur ». Quo in loco lectores nostri quandam huiusce eximii Doctoris contradictionem noverint, ipse enim antea, ut vidimus, docuerat tempore paschali minui numerum Antiphonarum, quia Clerici ex gaudiis paschalibus non egent novo fervore; nunc vero ad excitandum fervorem Antiphonae novem in Ascensione ponuntur. Unde succrescit in mente nostra ratio dubitandi, utrum causa mystica ab antiquis excogitata sit valida necne.

Qui diceret in Ascensione Domini, gaudium Apostolorum aliquantulum minuisse, ob separationem a Iesu Salvatore, ideoque

Digitized by Google

et iubilum in ea festivitate demonstrandum, forsan veram causam diceret huius specialis Rubricae de festo Ascensionis.

(724)... *et in fine omnium Antiphonarum additur* Alleluia, *quando in illis non habetur.* Vox hebraea *Alleluia* iubilum significat, ideoque tempore paschali adhibetur in divino officio in fine Antiphonarum, Versuum et Responsoriorum. Quoad vero Antiphonas, quibus, etiam extra tempus paschale, adiecta sit vox *Alleluia*, ut IV Antiphona ad Laudes in Communi Confessoris Pontificis, Virginum et non Virginum, atque IX Antiphona ad Matutinum et ad *Benedictus* in Communi Dedicationis Ecclesiae, eo quod iam hanc vocem habent, non oportet ut alia adiiciatur, licet non paucae habeantur in Breviario Antiphonae cum duobus vel tribus *Alleluia.*

(725) *A Septuagesima usque ad Pascha, ubi habetur* Alleluia, *tacetur; neque aliud eius loco dicitur.* Ratio patet ex dictis; adveniente enim Septuagesima, ut notat Durandus (*l. 6, c. 34, n. 18*), incipit luctus ecclesiasticus, et usus vestium poenitentiae, cum quibus non congruit vox iubilationis *Alleluia.*

## N. 7.

In Duplicibus ad Vesperas, Matutinum et Laudes tantum Antiphonae dicuntur ante Psalmos vel Cantica integrae, et post Psalmos vel Cantica integrae repetuntur; in aliis Horis et in officio non duplici, in principio Psalmi vel Cantici, inchoatur Antiphona, deinde in fine integra dicitur (726). Et quando Antiphona sumitur ex principio Psalmi vel Cantici, et incipit sicut Psalmus vel Canticum, post Antiphonam non repetitur principium Psalmi vel Cantici (727); sed continuatur quod sequitur in Psalmo, vel



Digitized by Google

Cantico ab eo loco ubi secundum ritum diei desinit Antiphona (728); nisi discontinuetur per *Alleluia* (729).

(726) *In duplicibus ad Vesperas Matutinum et Laudes tantum Antiphonae dicuntur ante Psalmos vel Cantica integrae.* Antiquitus semper integrae dicebantur Antiphonae, ut docet B. Thomaslus (*Praef. ad Respons. et Antiph. Rom. Eccl. pag. 27*) ante et post Psalmos; imo uti iam diximus, intermiscebatur Antiphona ad omnes Psalmorum versus. Antequam discrimen Officii Duplicis et Semiduplicis fuisset inventum, inter officia solemnia et ferialia nulla erat diversitas in concinendis Antiphonis; indiscriminatim enim integrae praemittebantur Antiphonae Psalmis; nec uspiam invenitur in priscis Ritualibus, ut sola Antiphonarum exordia Psalmos praecedant, ut fit nunc in Festis Semiduplicibus, et diebus ferialibus. Nihilominus iuxta ritum Romanum, in Festis Duplicibus integrae dicuntur Antiphonae ante Psalmos.

Hoc loco notat Gavantus, « duplicari Antiphonas in duplicibus non in aliis, et inde dicitur esse officium *duplex* ». Nos in nota 5 demonstravimus erroneam hanc opinionem, suffragante ipso Merato, qui iugiter Gavantum sequitur.

Nihilominus una ex notis distinctivis Officii duplicis est revera *duplicatio* Antiphonarum, licet melius haec vocaretur *repetitio.*

(727) *Et quando Antiphona sumitur ex principio Psalmi vel Cantici, et incipit sicut Psalmus vel Canticum, post Antiphonam non repetitur principium Psalmi vel Cantici.*

Hac de re nil melius quam ea quae dicuntur a Gavanto (*Sect. 5, c. 7, n. 12*); ipse enim in correctione Rubricarum addere aliquid voluit ut clarior Rubrica fieret. « Quid si Antiphona sumitur ex principio Psalmi vel Cantici, et incipit sicut Psalmus vel Canticum? eo casu non dicitur principium Psalmi seu Cantici, sed continuatur quod sequitur in Psalmo vel Cantico ab eo loco ubi desinit Antiphona, quod nota praesertim (errant multi)

Digitized by Google

in officio dedicationis Ecclesiae in III Nocturno, in Psalmo *Qui habitat*, nam die primo et octavo, dicta integra Antiphona a Choro, incipi debet Psalmus a secundo versu: *Dicet Domino* etc., si vero tempore Paschali addas in fine *Alleluia*, tunc incipitur Psalmus a primo versu *Qui habitat*, quia illud *Alleluia*; tóllit continuationem Antiphona cum Psalmo. Simile habes exemplum in Ascensione Domini, in secundo Nocturno: *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, Alleluia*, et Psalmus incipit a primis verbis eiusdem: *Exaltabo te, Domine*, etc. et ita in praxi communiori servatur, quod est rationabilius; et in recognitione postrema Breviarii (intellige quam fecit ipse Gavantus cum aliis sub Urbano VIII) addi hoc loco curavimus. In Feriae II Vesperis ferialibus, dicto initio Antiphonae ab hebdomadario, *Magnificat*, cantor et chorus simul prosequuntur: *Anima mea Dominum*, quia dividi commode non potest ultima pars versus. Illud certe est observandum in enunciandis Antiphonis, ut initium numquam sit unius syllabae: atque eiusmodi ut absurde orationem praecidat, quod monetur in Caeremoniale Clericorum Regularium S. Pauli (*l. 1, c. 10*) » Hucusque clar. Gavantus.

Et revera, in Breviario S. Pii V, in Communi dedicationis Ecclesiae nihil adnotatur ad Antiphonam *Qui habitat*, in Breviario vero Urbani VIII, invenitur Rubrica specialis, a Gavanto adiecta, hisce verbis: *Quando haec Antiphona dicitur integra, et illi non additur in fine* Alleluia, *tunc principium Psalmi est a secundo versu*: Dicet Domino.

Frequenter occurrunt in Psalterio, tam ad Matutinum quam ad Laudes et Vesperas, Antiphonae a primo versu Psalmi vel Cantici sumptae; huiusque frequentiae ratio est, quia in Psalterio Antiphonae semper sumuntur ex Psalmo vel Cantico sequenti; exceptis iis de Adventu et de Tempore Paschali.

Bene notat Gavantus quod in enunciandis Antiphonis, scilicet in iis incipiendis ab Hebdomadario vel ab aliis per ordinem, attendendum est ut initium numquam sit unius syllabae, puta, si tertiam Antiphonam in I Nocturno Dominicae, aliquis inchoaret

Digitized by Google

per solum verbum *Tu*; in Breviario opportune inscribitur: *Tu, Domine,* vel diceret *Te,* non vero *Te decet* in Laudibus feriae IV. Item attendendum est ut indecore oratio non praecidatur; exempli gr. si ad Laudes Epiphaniae quis inciperet II Antiphonam *Venit lumen,* et non *Venit lumen tuum,* et III *Apertis thesauris,* non autem *Apertis thesauris suis,* eo quod indecore cantores sic prosequi deberent secundam: *tuum, Ierusalem, et gloria Domini* etc. et tertiam: *suis obtulerunt Magi Domino* etc. Idem dicendum si I Antiphona in Laudibus Apostolorum incipere tur: *Hoc est praeceptum* relicto *meum*; et II Antiphona I Nocturni Confessorum *Tu es gloria,* omisso *mea,* et sic de aliis plurimis. Ceterum in Breviario typico, aut in editionibus iuxta typicum, opportune ponitur ad Antiphonas asteriscus, ut quisque recte sciat, ubi sint frangendae Antiphonae in earum enunciatione.

(728) *Sed continuatur quod sequitur in Psalmo vel Cantico ab eo loco, ubi secundum ritum diei desinit Antiphona.* Facile intelligitur haec Rubrica. Si enim *ritus diei* est semiduplex, enunciata Antiphona, chorus continuat cantando ex primo versu, verba quae sequuntur; ex. gr. in Vesperis Dominicae Hebdomadarius intonat Antiphonam *Dixit Dominus,* et chorus statim prosequitur: *Domino meo* etc. Si vero *ritus diei* est duplex, tunc integra antiphona est dicenda, et Psalmus incipit ex secundo versu.

Notare placet, haberi in Breviario Antiphonas, quae incipiunt cum verbis primi versus Psalmi, sed rigorose antiphona non constat ex toto primo versu ipso. Ex. gr. Ad matutinum Confessorum I Antiphona est: *Beatus vir qui in lege Domini meditatur etc.* et Psalmus incipit *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum* etc. VII Antiphona est: *Domine, iste sanctus habitabit* etc., et Psalmus incipit: *Domine, quis habitabit* etc. Item, Antiphona IV in Matutino Omnium Sanctorum est: *Domine, qui operati sunt iustitiam* etc. cum eodem Psalmo *Domine, quis habitabit.* Iuxta hanc Rubricam, in officio semiduplici, Anti-

Digitized by Google

phonae praedictae enunciantur per verba *Beatus vir*, et *Domine*, ut notatur in Breviario per asteriscum, et tunc psalmus prosequitur, quin repetantur praedicta verba; in officio vero duplici, necessario Psalmus a primis verbis est incipiendus ut omnibus patet.

(729) ... *nisi discontinuetur per Alleluia.* Iam in nota 727 a Gavanto edocti sumus hac de re in exemplo sumpto ab Antiphona Ascensionis: et a Rubrica speciali supra citata ex Communi Dedicationis Ecclesiae.

## N. 8.

Antiphonis propriis, tam in Officio de Tempore, quam de Sanctis, semper cedunt quae habentur in Psalterio et in Communi Sanctorum (730).

(730) Vide quae diximus in notis 565 et 568; non recurritur enim ad Commune nisi quando desint propria; ceteroquin in suis locis semper dicitur in Breviario unde sint accipiendae Antiphonae, quando propriae dicendae sunt.

S. R. C. suo decreto *diei 29 Iulii 1904*, hoc idem principium prae oculis habuit, quando declaravit, partes Officiorum proprias debere, in casu impedimenti, loco illarum poni quae vel de Communi accipiuntur, vel sunt iam in iisdem Officiis recitatae.

## N. 9.

Quando fit aliqua Commemoratio, semper dicetur Antiphona ante orationem cum versu, quae sumitur ex officio quod convenit ei, de quo

Digitized by Google

fit Commemoratio; ita ut in Vesperis sumatur Antiphona quae assignatur ad *Magnificat*, in Laudibus, quae ad *Benedictus*; cum versibus qui habentur post Hymnum (731).

(731) Perspicua est huiusmodi Rubrica, qui vero de ea declarationes aliquas desiderat, recurrat ad notas 310 usque ad 330, huius nostrae expositionis.

## N. 10.

Antiphonae S. Mariae positae in fine Completorii, dicuntur ut inferius in propria Rubrica disponitur (732).

(732) Scilicet in Titulo XXXVI, in quo distincte traditur quando et quomodo dicendae et variandae sunt Antiphonae, B. Mariae quae finales vocantur, pro temporum diversitate, uti suo loco videbimus.

(*Continuabitur*).

Doct. PETRUS PIACENZA.

Digitized by Google

# Consultationes.

## Dubiorum liturgicorum solutio.

PRO ROCHESTER.

1. Post novae ecclesiae benedictionem, diebus infra annum solemnioribus Missam votivam pro re gravi excludentibus, dicitur Missa de tempore seu festo occurrenti; ceteris autem diebus dicenda est Missa votiva solemnis de Sancto, in cuius honorem ecclesia est benedicta, uti votiva solemnis pro re gravi, exclusa omni commemoratione etiam Dominicae occurrentis (S. R. C., 23 Febr. 1884, n. 3605 ad II, et *Ephem. Liturg.*, vol. XVI, pag. 543). Dominica autem, in quam solemnitas Corporis Christi alicubi transfertur (cfr. Decr. S. R. C., n. 3754), non impedit Missam votivam solemnem pro re gravi, aut de Sancto cui ecclesia dicata est, nisi Officium *diei currentis* sit ex solemnioribus.

2. Canonici in habitu canonicali Episcopum cappa indutum associantes ex illius residentia ad cathedralem ecclesiam, vel e cathedrali ecclesia ad illius residentiam, debent non anteire sed sequi Episcopum, iuxta Caeremoniale Episcoporum (lib. I, cap. XV, n. 2 et 11), non obstante contraria consuetudine (S. R. C., n. 2627 et n. 2684 ad 23). Cfr. Vol. IV, Decr. S. R. C., pag. 234.

3. In ordinationis Missa, lecto Offertorio, ordinati offerunt Episcopo candelas accensas, et osculantur manum, seu anulum, Episcopi; Pontificale Romanum nihil dicit de osculanda candela, forsan ad evitandum periculum ne cera liquefacta cadat super capita aut vestes ordinatorum; in hoc igitur casu servanda non videtur norma generalis, quam tradit Caeremoniale Episcoporum (lib. I, cap. XVIII, n. 16).

4. In fine Missae pontificalis Episcopus dicta oratione *Placeat tibi etc.*, osculabitur altare, ac deinde mitram accipiet (Martinucci, lib. V, cap IX, n. 144).

Digitized by Google

5. Iuxta Caeremoniale Episcoporum (lib. II, cap. I, n. 4) Episcopus non sedens, sed *stans*, accipit paramenta pro Vesperis pontificalibus; *sedet* autem, cum ei imponitur mitra. Item in Missa pontificali (Caerem. Episc., lib. II, cap. VIII, n. 18, 19 et 21), Episcopus *stans* induitur tunicella ac dalmatica; tum Episcopus *sedet*, et imponuntur ei chirothecae; mox *surgit* Episcopus et induitur planeta; tum *sedenti* Episcopo imponitur mitra.

### Pro Vienna.

Anno proximo 1907, occurrente Dominica Septuagesimae die 24 Ianuarii, scilicet ante festum Purificationis, in Missa eiusdem Dominicae dicitur tertia oratio *Ecclesiae tuae* vel pro Papa, iuxta specialem Rubricam, non autem tertia oratio *ad libitum*, uti legitur in opere « Ordo perpetuus et generalis divini Officii recitandi, Romae, 1891 », tab. X, pag. 230. Quod si alterutra ex praecepto Ordinarii praescribatur, tam oratio *Ecclesiae tuae* quam oratio pro Papa dicenda est (S. R. C., 24 Mai 1901, *Dubiorum* ad I, apud *Ephem. Liturg.*, vol. XV, pag. 399).

### Pro Augusta Taurinorum.

1. Graves certo sunt rationes, quibus innixus cl. noster collaborator in praecedenti fasciculo (pag. 389) probavit, Regulares teneri ad celebranda Patronorum principalium festa, quamvis *absque feriatione* recolantur. Hoc omnino certum est, si agatur de Patronorum festis, quae olim feriationem habuerint, quamvis postea *ex indulto* eam amiserint (*Ephem. Liturg.*, vol. XIX, pag. 32). Nihilominus dici etiam potest, Regulares non teneri ad celebrandum praecipui Patroni festum, quod **nunquam** feriationem habuerit. Sacra enim Rituum Congregatio, ad dubium, an Regulares, habitantes in civitate Bruxellensi in Belgio, debeant ibidem sub ritu duplici 1 cl. absque octava celebrare una cum Clero saeculari festa S. Gudilae Virg. (die 8 Ian.) et S. Michaelis Archang. (die 29 Sept.), quia duo illi Sancti habentur ut Patroni quasi *aeque principales* civitatis Bruxellensis, atque a toto Clero saeculari Bru-

Digitized by Google

xellensi sub ritu duplici 1 cl. cum octava recoluntur, rescribendum duxit: « Regulares tenentur ad celebranda Patronorum festa, quae *cum feriatione* recoluntur » (S. R. C., 10 Iulii 1896, n. 3925, ad dub. III, quoad 4). Huic declarationi consonat recens eiusdem S. R. C. Decretum diei 16 Febr. 1906 ad IV et V (apud *Ephem. Liturg.*, anni curr., pag. 321) cuius vi « Religiosi *in celebrando Patrono principali* Regni, Provinciae civilis, Loci seu dioecesis, attendere etiam debent, si Patronus *feriationem* habeat, vel saltem habuerit, qnae tamen de Apostolico indulto modo sit sublata; vel si festum Patroni *principalis* quotannis tanquam mobile in die Dominica recolatur, ita ut censeri debeat ornatum *feriatione* ».

2. Missa de Vigilia cuiuscumque festi B. M. V. vel Sanctorum, etiamsi diebus ritus semiduplicis more votivo dicatur, celebranda tamen est sub ritu feriali et colore *violaceo* (S. R. C., 11 Aug. 1905 ad II, apud *Ephem. Liturg.*, vol. XIX, pag. 644).

3. Collectae pro defunctis non admittuntur, nisi in Missis festorum simplicium et in ferialibus (S. R. C., 31 Iul. 1665, n. 1322 ad 8); ideo in Missa de festo *semiduplici*, oratio pro defunctis dici nequit, etiamsi occurrat tertia oratio ad libitum.

4. Inclinatio capitis facienda est in *festis* Sanctorum *tantum*, quoties nomen eorum, de quibus celebratur Missa vel fit commemoratio, exprimitur (S. R. C., 13 Febr. 1892, n. 3767 ad 25); ideo omittitur in *Vigilia*, quae non est festum, sed praeparatio ad festum, ut alias dictum est (*Ephem. Liturg.*, vol. XI, pag. 312).

### Pro pluribus locis.

In Missa votiva pro Sponsis, si diebus ritus *duplicis* celebretur, dicitur secunda oratio Officii currentis (Rubr. Miss. tit. VII, n. 3, et S. R. C., n. 2582 et n. 3922, § VI); tertia autem oratio, nisi occurrat commemoratio festi simplicis vel feriae vel diei infra octavam etc. (Rubr. Miss., tit. IV, n. 3, et S. R. C. n. 2693 ad 4), omittitur iuxta Decreta S. R. C., n. 2542, et diei 12 Maii 1905, quae, cum sint Rubricarum declarationes, dici nequeunt Decreta mere particularia; rationes autem in praeterito fasciculo (pag. 410)

Digitized by Google

allatae a cl. nostro Collaboratore, graves nobis non videntur. Ceterum cl.mus IOANNES DICLICH, vir liturgicus, cum in opere « *Decretorum S. R. C. hierolexicon* » (pag. 275) retulisset Decretum diei 26 Ianuarii 1793 quoad Missam votivam Immac. Conceptionis in singulis Sabbatis concessam Franciscanis, in altero eximio suo opere « *Dizionario sacro liturgico* » (editio 3ª, a. 1831, vol. II, pag. 87) eandem normam applicat, quoad duarum orationum numerum, Missae votivae pro Sponsis in festis duplicibus celebrandae, sic interpretans Decretum generale diei 3 Martii 1818, paulo ante (ibid., pag. 85) citati. In alio autem fasciculo fusius de hac quaestione agetur.

# Palaestra liturgica.

## SOLUTIO QUAESTIONIS pro mense Martio 1906 propositae.

### De commemoratione diei infra Octavam.

**Quaestio.** – Anselmus caeremoniarius quaerit: 1° An commemoratio diei infra Octavam facienda sit in laudibus ac Missis privatis de festo duplici II cl., iuxta Decretum S. R. C. 2 Dec. 1891, n. 3757, ad II? 2° Undenam sumi debeant antiphona ac versus pro commemoratione diei infra Octavam, cum occurrit festum eiusdem qualitatis? 3° Quisnam ordo servandus sit in plurium Octavarum commemorationibus?

**Solutio.** – I. Iam certe Anselmus iste versatur in errore vehementi, cum revera suum primum dubium decreto n. 3757, ad II, consonare credat, eo ipso quod expetit: an commemoratio diei infra Octavam *facienda sit* in Laudibus ac Missis etiam privatis de festo dupl. II cl.? Unde inquiro, si placet, ut illud convertere

Digitized by Google

dignetur in alterum multo verius: an commemoratio diei infra Octavam *omittenda sit* in laudibus ac etiam Missis privatis de II classis?

Et de facto, quid autumat hoc generale decretum? « Sive Missa illa (conventualis, Officio videlicet diei respondens) legatur, sive fiat cum cantu, non solum in duplicibus I, *sed etiam II classis, omittendam esse commemorationem* simplicis occurrentis, aut *die infra Octavam* ».

Haec autem regula, valet ne tantum in solis Regularium ecclesiis, quas nominatim respicit, vel est ne indifferenter ubique applicanda in Laudibus et Missis etiam privatis aut cantatis de duplicibus II classis? Talis est quaestio, cui respondemus:

Prima pars decreti, seu obligatio omittendi simplex occurrens, etiam in Missa conventuali lecta, est strictae interpretationis et restringitur ad ecclesias officium Chori habentes, quia Missa ista, non obstante eius mera lectione, semper habetur tanquam solemnis; sed secunda pars, quae respicit commemorationem diei infra Octavam, et verum est obiectum praesentis inquisitionis, universim servanda est in Laudibus et Missis tam cantatis quam lectis.

Ad cuius ultimi probationem, interroga Tabellam occurrentiae. Quid in quadrangulo invenis, in quo sibi invicem occurrunt duplex II cl. et dies infra Octavam? Stat numerus 6, et iuxta dictum numerum appositam habes regulam, quae sic legitur: « Officium de primo, nihil de secundo ». Sed si nihil, quomodo commemorari posset tam in Laudibus quam in Missis quibuscumque? Ergo vera est nostra assertio.

Neque obiicias plures existere Octavas, de quibus semper fit commemoratio, quocumque festo in illis occurrente, nimirum: Octavas Nativitatis, Epiphaniae, et Corporis Christi (Rubr. post dictam Tabellam n. 5) et aliquas esse pariter commemorandas in duplicibus II classis, illas nempe S. Stephani, S. Ioannis, et Ss. Innocentium (Rubr. spec. in his festis), imo ex speciali decreto 5 Iulii 1883, n. 3581, ad III et 18 Maii 1889, n. 3708, utentes

Digitized by Google

Calendario Romano tam intra quam extra Urbem, teneri ad commemorationem de Ss. Petri et Pauli Octava agendam singulis diebus infra Octavam, quocumque festo occurrente. Hae quippe Octavae per huiuscemodi singulare privilegium exorbitant a iure communi, et quum ideo, ut sic, nequaquam sint ad consequentiam trahendae, necessario dies infra Octavas communes seu ordinarias relinquuntur in iure suo.

Huius doctrinae confirmatio passim reperitur in generalibus Rubricis. « Infra Octavas », ait Titulus VII, n. 3, « fit de festis duplicibus... cum commemoratione Octavae: nisi illa festa sint de solemnioribus... in quibus nulla fit commemoratio de Octava, exceptis Octavis Nativitatis, Epiphaniae, et Corporis Christi, de quibus fit semper commemoratio, quocumque festo in illis occurrente ». In festis autem secundi ordinis (alias II classis), habet Titulus IX, n. 6,... de die infra Octavam... non fit commemoratio eodem modo, quo nec in festo solemni alicuius loci.

Et ne mireris quod Rubrica dicta, in duplicibus II cl., diem infra Octavam communem commemorari prohibeat, quando e contra admittit illam simplicis occurrentis in laudibus et Missis privatis. Ratio est, inquit Gavantus (Sect. III, cap. XI, n. 15), quia de Octava saepius, de simplici semel fit, quo die occurrit. Et Cavalerius magis explicite, tom. I, cap. VI, dec. V, n. 27: « Omittitur omnimode commemoratio diei infra Octavam in occursu cum duplici II classis, quia cum Octava non sit nisi continuatio festi, iam satis adhuc de Sancto, de quo est Octava, agitur in festo et reliquis diebus Octavae; non omittitur autem commemoratio simplicis occurrentis in Laudibus duplicis II cl., quia alias, cum eiusdem commemoratio ob festi nobilitatem et solemnitatem in I Vesperis (et in Missis cantatis) supprimatur si etiam in praefatis Laudibus omitteretur (et in Missis privatis), penitus cessaret memoria de illo Sancto ». Ceterum, si commemoratio sui generis admittatur, quae in nota refertur apud *Ephemerides*, anno 1903, pag. 458, nullam tamen pati valet comparationem cum simplici commemoratione.

Digitized by Google

Hinc, cum cl. Van Der Stappen concludemus (*Tract. de divino Officio*, n. 164, ad III): « Dies infra Octavam communem non habent commemorationem in quocumque festo duplici I vel II classis », quoniam dies commemorari nequit, quae tunc inexistere censetur. Et res eo certior fit, quod in Rubrica generali Missalis Romani legatur, tit. VII; n. 1: « Commemorationes in Missis fiunt sicut in Officio », et adhuc : « De Octava fit commemoratio, quando infra Octavam celebratur aliquod festum, nisi illud festum fuerit de exceptis in Rubrica Breviarii de Commemorationibus. Quomodo enim commemoratio fieret, de quo nihil faciendum est in duplicibus II classis?

II. Undenam autem sumi debeant antiphona et versus pro commemoratione diei infra Octavam, si occurrat festum eiusdem qualitatis?

« In primis Vesperis, ait Cavalerius (tom. I, cap. 32, dec. IX, n. 6), nihil variandum venit, quia iam de festo dicitur Antiphona cum versu primarum Vesperarum, et Octavae debetur Antiphona cum versu secundarum. Sic tamen non evenit in Laudibus et II Vesperis, in quibus eaedem Antiphonae cum versibus, quos exposcit festum, etiam Octavae deberent tribui ». Quid iuris?

Relate ad Laudes, supplicante Capucinorum Ordine: « utrum in hoc casu servanda sit Rubrica Breviarii Romani, tit. IX de Commemorationibus, num. 8, ut scilicet sumatur (commemoratio diei infra Octavam) ex primis Vesperis, an vero sumi debeat ex secundis Vesperis, quia dies infra Octavam non habet primas Vesperas? » S. R. C. censuit respondendum et declaravit: « Affirmative quoad primam partem; negative quoad secundam » (21 Iunii 1710, n. 2205, ad II). Postea, interrogante pariter eodem Ordine: « An occurrente festo confessoris non pontificis infra Octavam alterius festi pariter confessoris non pontificis, pro commemoratione Octavae in Laudibus, desumenda sit Antiphona ex secundis, vel potius ex primis Vesperis? » Et S. R. C. de novo rescribendum censuit: » Negative quoad primam partem; affir-

Digitized by Google

mative quoad secundam » (28 Martii 1775, n. 2503, ad II). Unde causa sub hoc respectu finita est.

Quod ad Vesperas attinet, regula generalis est iuxta titulum IX, n. 8, quod si Antiphona et versus eadem sint pro die infra Octavam quam in officio diei, tunc ad variationem inducendam fit recursus ad Laudes; agitur quippe de Officio ad instar simplicis recolendo, seu non sibi vindicante utrasque Vesperas. Quia vero in Communi Sanctorum idem versus habetur tam in Laudibus quam in secundis Vesperis, quid agendum pro die infra Octavam? Desumetur versus ex primis Vesperis, sicut iam desumptus est ad commemorationem illius faciendam in Laudibus. Ita docent auctores inter quos De Herdt (tom. II, n. 262). Van Der Stappen (*De Officio divino*, n. 204), Piacenza (tom. I, p. 305), et Cavalerius (tom. I, cap. 32, dec. IX, n. 8 in fine).

III. Si nunc deveniamus ad ordinem servandum in plurium Octavarum commemorationibus, regula generalis est, quod cuius festum praefertur, eius quoque praeferatur Octava, quae est tantum eiusdem festi continuatio (De Herdt, tom. II, n. 244), et proinde successiva prioritas adiudicatur Octavae festi quod alias antecelleret, si cuncta Octavam habentia eodem die occurrerent.

Hinc 1°, super ceteras gressum habebunt, Octavae festorum solemniorum ecclesiae universalis, sub § 1 consignatorum in catalogo diei 22 Augusti 1893, n. 3810. Et merito, quia praefata festa ab ecclesia instituta tanta religione et solemnitate decorantur, ut nullum ex eis, abstractione facta omnis dignitatis, alteri etiam maioris dignitatis, suum locum cedere debeat. Ita Octava Corporis Christi praefertur Octavae SS. Trinitatis, si haec sit Titularis ecclesiae (S. R. C. 8 Iunii 1709, n. 2194, ad 2). Similiter facienda est Octava Ss. Apostolorum Petri et Pauli prae illa Visitationis, licet foret Patrona loci (S. R. C., 2 Sept. 1679, n. 1635); octava omnium Sanctorum prae illa Dedicationis ecclesiae propriae (S. R. C., 5 Martii 1695, n. 1922, ad 1); nec non Octava festorum solemniorum ecclesiae universalis personali etiam dignitate posthabita, praevalet omni Octavae Titularis vel Patroni princi-

Digitized by Google

palis (S. R. C., 4 Febr. 1896, n. 3881, ad IV), ita ut illa SS. Cordis Iesu aut purissimi Cordis B. M. V., si unum aut alterum sit Titulus ecclesiae, semper postponenda sit Octavis Nativitatis S. Ioannis Baptistae et Ss. Apostolorum Petri et Pauli (S. R. C. 27 Iunii 1896, n. 3919, ad IX).

Hinc 2°, prioritas reservatur Octavae maioris classis seu ritus quin adhuc attendatur ad dignitatem personalem unius aut alterius. Verbi gratia, proposito dubio: de quonam infra Octavam sit faciendum, quando duae octavae simul occurrunt, scilicet Patroni principalis I cl., et B. M. V. II cl.? S. R. C. respondit: « Recitandum officium de Patrono principali cum commemoratione Octavae B. M. V. » (19 Iunii 1700, n. 2059, ad I). Quam doctrinam confirmant et decretum 5 Augusti 1662, n. 1241, et illud 29 Nov. 1755, n. 2439, ad 3.

Hinc 3°, in aequalitate ritus, fit de octava primaria prae secundaria (*Rubr. Brev.*, tit. X, n. 6; tit. XI, n. 7). Sit in exemplum Octava SS.mi Cordis Iesu, quae ex indulto alicubi concessa occurreret cum Octava S. Aloisii Gonzagae, Titularis primarii ecclesiae. Posterior, licet minus digna, commemorabitur quatenus primaria, ante alteram, quia est tantum secundaria (S. R. C., 12 Febr. 1896, n. 3886, ad II).

Hinc 4°, ceteris paribus, iam attenditur ad dignitatem personalem (*Rubr. Brev.*, tit. X, n. 6; tit. XI, n. 7; Guyetus, lib. IV, cap. VI, q. 5), et ita praelatio conceditur 1° Octavis Domini, sub quibus comprehenduntur illae S. Crucis et similia (S. R. C., 20 Iulii 1686, n. 1769), 2° Octavis B. M. V., 3° Octavis Angelorum, 4° Octavis S. Ioannis Baptistae, 5° Octavis S. Ioseph, 6° Octavis SS. Apostolorum et Evangelistarum (*Rubr. Brev.*, tit. XI, n. 2), non excepto S. Barnaba (S. R. C., 11 Augusti 1901, *in Romana*). Inter alios sanctos non amplius censetur existere aliquis ordo dignitatis (S. R. C., 20 Iulii 1686, n. 1774, ad I).

Hinc 5°, in paritate dignitatis, superest ut fiat de Octava fixa prae mobili, et si ambo sint aequales, praevalet denique magis propria, idest 1° Octava quae convenit uni tantum ecclesiae, ve-

Digitized by Google

luti est Titularis, 2° Octava quae convenit uni Ordini, uti est Fundator Congregationis, 3° Octava quae convenit dioecesi, uti est Patronus ecclesiae cathedralis, et 4° Octava quae convenit toti Nationi, ut Patronus regni (*Rubr. Brev.*, tit. X, n. 6; S. R. C., 5 Maii 1736, n. 2319, reliq. dub. ad 1). Ratio est quia festa, quo magis sunt propria et particularia, eo magis sunt celebria ob maiorem relationem ad locum et personas, ubi et a quibus celebrantur.

Omnes tamen sedulo animadvertant non sufficere, ut aliquod festum (et proinde illius Octava) sit vere proprium, illud concedi sive Paroeciae, vel Ordini, aut dioecesi; necesse est insuper ut particularem ad respectiva loca habeat attinentiam, v. g. ratione ortus vel occubitus Sancti, vel miraculis aut reliquiis seu praedicatione eiusdem etc., ut videre est apud Cavalerium (tom. II, cap. 26, dec. VIII, n. 3) et Guyetum (lib. I, cap. 14, q. 4).

En variae regulae in praxi sequendae, ni fallor; et qui illas sequetur, ut arbitror, a recto tramite non declinabit.

A. FOURNERET
ex Acad. Liturg. Rom. Censoribus.

## QUAESTIO A CONSOCIATIS SOLVENDA pro mense Octobri 1906.

### De reverentiis faciendis in expositione SS. Sacramenti.

Cyrillus Diaconus, quotiescumque SS.mum Sacramentum exponit, genuflectere solet simul ac in suppedaneum ascenderit, et iterum aperta capsula, in qua augustissimum Sacramentum reconditur; collocato autem ostensorio in throno, profundam capitis inclinationem peragit, antequam in suppedaneo genuflectat. Simili modo se gerit in deponenda SS. Eucharistia; aliis autem contradicentibus, quaerit quasnam genuflexiones seu reverentias ipse facere debeat tam in expositione quam in repositione SS.mi Sacramenti.

Digitized by Google

# Ius Liturgicum.

(*Continuatio*. V. num. 7, anni curr., pagg. 430–440).

*C*) — PRO EDITIONE MISSALIS ROMANI.

255. S. PIUS V, Bulla quae incipit: «*Quo primum tempore*», data Romae, pridie Idus Iulii, anno 1570, significat se, statim ac assumptus est ad Pontificatum, cogitationes omnes direxisse ad parandum ea omnia, quae ad ecclesiasticum purum retinendum cultum pertinerent.

Iuxta decreta Concilii Tridentini, spectantia sacros Libros, Catechismum, Missale et Breviarium; edito iam Catechismo et Breviario, quamprimum cogitavit de nova editione Missalis, quod Breviario responderet; cum unum in Ecclesia Dei psallendi modum, unum Missae celebrandae ritum esse maxime deceat.

Quare demandandum hoc onus duxit eruditis et electis viris, qui ad pristinam sanctorum Patrum normam Missale ipsum ac ritum, omnibus prorsus adhibitis diligentissimae inquisitionis modis, restituerunt.

Quod recognitum et castigatum, Romae imprimi, impressumque edi mandavit; ut ita Sacerdotes noscant quae sit norma uniformis ad Missas celebrandas.

Mandat, ut in posterum, in omnibus Ecclesiis etiam exemptis, ab omnibus omnino orbis catholici Sacerdotibus, cuiuscumque gradus, officii etc., ut tradita a sacrosanta Romana Ecclesia, ceterarum Ecclesiarum matre et magistra, observentur, non alio modo, quam iuxta formulam novi huius editionis Missalis Missa decantetur aut recitetur.

Eximit ab hac lege solummodo eas Ecclesias, in quibus, ab ipsa prima institutione, a Sede Apostolica approbata, vel consuetudine, quae superent 200 annos, aliter assidue observatum est.

Permittit tamen eisdem istis Ecclesiis ut, sicut eis non aufert praefatam celebrandi consuetudinem, sic, si Missale hoc eisdem



Digitized by Google

magis placeret, de consensu legitimorum Praesulum, iuxta illud Missas celebrare possint.

Ex aliis vero Ecclesiis eorumdem Missalium usum tollit ac reiicit; ac decernit huic novae editionis Missali nihil unquam quomodolibet addendum, detrahendum aut immutandum.

Tollit omnibus quodcumque conscientiae scrupulum ut hoc Missali utantur.

Decernit ut post huius Constitutionis ac Missalis editionem, Romae degentes, post mensem; qui vero intra montes, post tres menses; et qui extra montes incolunt, post sex menses; aut cum primum illis Missale hoc venale propositum fuerit, iuxta illud Missas decantare vel legere teneantur.

Ut autem hoc Missale incorruptum et erroribus purgatum praeservetur, omnibus, ad quos attinet, varias et gravissimas poenas comminatur, inhibens, ne sine Summi Pontificis vel Apostolici Commissarii licentia, collatione ac concordantiae testimonio imprimant, proponant, recipiant.

256. Clemens VIII, Apostolicis Litteris in forma Brevis, quae incipiunt: « *Cum Sanctissimum* », datis Romae,die 7 Iulii 1604, exorditur ex magnitudine et excellentia SS.mi Sacramenti Eucharistiae; et quia omnes unum sumus in uno corpore, quod est Ecclesia, et de uno corpore Christi participamus, deducit, una eademque celebrandi ratione, uniusque officii et ritus observatione in hoc ineffabili Sacrificio nos uti debere.

Innuit quid Romani Pontifices, sui praedecessores, quid praesertim Pius V, egerint ad Missale Romanum in pristinam normam restituendum.

Sed non obstantibus poenis ab ipsis comminatis, ne novae editionis Missali vel aliquid adderetur vel demeretur; tamen, progressu temporis, vel negligentia vel temeritas vel audacia effecit, ut multi, in Missalibus postea editis, errores irrepserint, tum in *Introitis*, tum in *Gradualibus*, tum in *Offertoriis*; Epistolarum et Evangeliorum textus perturbatus, Evangeliis diversa praefixa initia, etc.

Digitized by Google

Huius rei praetextus videtur fuisse, ut omnia ad praescriptum Sacrorum Bibliorum Vulgatae editionis revocarentur, quasi id, inconsulta Sede Apostolica, cuiusvis arbitrio licitum sit.

Proinde, ad tollenda haec mala, praedicta Missalia impressa, sic depravata, prohibet et abrogat, eorumque usum interdicit; nisi iuxta exemplar Missalis, a Pio V editi, emendentur.

Mandavisse enarrat nonnullis E.mis Cardinalibus, in Sacris Litteris versatis, et aliis ecclesiasticae antiquitatis peritis, ut ad pristinam integritatem et formam, Missale Romanum restituerent. Quod ipsi revera praestiterunt.

Verum in eo munere peragendo factum est, ut nonnulla, ex diligenti librorum antiquorum collatione, in meliorem formam redacta sint.

Missale itaque, quod idem Pius V ediderat, sic recognitum, iussit in Typographia Vaticana imprimi et publicari.

Iubet ut postea Missalia omnia imprimantur tam in Urbe quam extra Urbem iuxta typum editum; requisita tamen prius et obtenta in scriptis a legitimis Praelatis imprimendi licentia, in qua de collatione facta, et quod omnino concordent, manu propria attestentur.

Contra transgressores gravissimas poenas comminatur.

Indulget pauperibus Ecclesiis et Clericis etc., ut ea Missalia (dummodo, ut supra, abrogata non sint), quae apud se habent, retinere, iisque uti, eaque vendere possint.

Revocat praecedentes licentias, typographis datas, imprimendi, quae per praesentes expresse revocatae sunt.

257. URBANUS VIII, similibus Litteris, quae incipiunt: « *Si quid est* », datis Romae, die 2ª Sept. 1634, exorditur ab excellentia Sacrificii Eucharistici, quod nobis superni cives (si in eos invidia caderet) invidere possent, cum homines, eius beneficio, quadam anticipatione, in terris coelum possideant, manibus contrectantes ipsum coeli Conditorem.

Hinc eo magis mortalibus laborandum est, ut hoc privilegium debito cultu atque honore tueantur.

Digitized by Google

Ex hoc factum est ut Summi Pontifices praedecessores, praesertim Pius V et Clemens VIII, huius Sacrificii celebrandi rationem diligentissime recognosci ac instaurari curaverint.

Ipse proinde, vestigiis quoque eorum inhaerens, iterum examinari, et, si quid temporis decursus in iis corruperit, restitui iussit.

Eadem igitur cura, qua Breviarium, Missale quoque corrigendum mandavit; commissa viris eruditis ac piis cura, quorum diligentia ita opus perfectum est, ut nihil desiderari amplius possit.

Nam Rubricae in pristinum restitutae, et difficiliora intellectu clarius explicata sunt, et ad normam et exemplum Vulgatae editionis S. Scripturae omnia correcta sunt.

Sed correctorum et typographorum par solertia sit necesse est.

Proinde Andreae Brugiotto, Typographiae Apostolicae Prefecto, mandat, ut Missale, ita expurgatum, in lucem emittat; ceteris extra Urbem typographis non aliter quam ad exemplar, in dicta typographia nunc editum, imprimi posse permittit; obtenta prius ab ipsis, in scriptis, legitimorum Praelatorum Ecclesiae, iuxta constituta a Clemente VIII, licentia.

Contrafacientibus huic decreto poenas gravissimas comminatur.

Reliqua eadem sunt ac in praecedenti Clementis VIII Constitutione.

*D*) Pro editione Ritualis Romani Caeremonialis Episcoporum et Romani Pontificalis.

258. Benedictus XIV, Apostolicis Litteris in forma Brevis, quae incipiunt: « *Quam ardenti studio* », datis Romae, die 25 Martii 1752, indicat quid quantaque cura, etc... egerint sui Praedecessores, ut *Rituale Romanum*, *Caeremoniale Episcoporum* et *Pontificale Romanum*, maximo cum omnium virorum ecclesiasticorum commodo et utilitate, redigerentur; eorum Apostolicas, in simili forma Brevis, Litteras referre operae pretium ducit.

Digitized by Google

Tenores autem memoratarum Litterarum sunt, qui sequuntur.

Ac primum quidem pro *Rituali Romano.*

259. PAULUS V, Apostolicis Litteris, quae incipiunt: « *Apostolicae Sedi* », datis Romae, die 17 Iunii 1614, esse suae sollicitudinis declarat, ut omnia in Domo Dei, sicut admonet Apostolus, honeste et secundum ordinem fiant, praecipue vero quae pertinent ad Ecclesiae Dei Sacramentorum administrationem, in qua iubet observari constitutos Ritus et Caeremonias.

Memorat quid fel. rec. Pius V decreverit ad restituendam sacrorum Rituum observationem in *Missae Sacrificio* et *Divino Officio*, in edendis primum *Breviario*, deinde *Missali Romano.*

Pii V vestigia secutus Clemens VIII, non solum Episcopis et inferioribus Praelatis Pontificale dedit, sed etiam complures alias caeremonias, promulgato Caeremoniali, ordinavit.

His ita constitutis, restabat ut uno volumine comprehensi sacri Ecclesiae Ritus, Apostolicae Sedis auctoritate, prodirent, ad cuius voluminis praescriptum, in tanta Ritualium multitudine, ad ministeria sacra peragenda, inoffenso pede, uno ac fideli ductu cum consensu ambularetur.

Quod quidem praestitit, postquam Generalium Conciliorum, graece latineque editorum, opus curaverat.

Ut ordinate procederetur, viris competentibus rem demandavit, qui, consultis variis, praesertim antiquis, Ritualibus quae circumferebantur, eoque in primis quod Iulius Antonius Cardinalis S. Severinae composuerat, rebusque omnibus mature consideratis, quanta oportuit brevitate, *Rituale* confecerunt.

Quod cum perspexerit iuxta receptos et approbatos Catholicae Ecclesiae ritus confectum, sub nomine *Ritualis Romani* edendum iudicavit.

Hortatur denique omnes, ad quos pertinet, ut iuxta hoc, de novo edito, Rituali Romano, in sacris functionibus omnia peragerent, et inviolate observarent.

Deinde pro *Caeremoniali Episcoporum*:

Digitized by Google

260. CLEMENS VIII, Apostolicis Litteris quae incipiunt: « *Cum novissime* », datis Romae, die 14 Iulii 1600, postquam Pontificale, antea mendosum, ab eruditis viris emendatum divulgari ac observari mandaverit; operae pretium esse duxit *Caeremoniale* quoque *Episcoporum*, quod pridem multis mendis respersum fuerat, similiter reformare ac restituere.

Quapropter munus Caeremonialis examinandi et corrigendi nec non ad formam Pontificalis reformati congruentem redigendi, viris hac in re eruditis demandavit. Quod quidem opus iam absolutum fuisse patefacit.

Reliquum erat igitur ut huius operis labor finem optatum consequeretur, ac proinde motu proprio et ex certa scientia, illud, sic reformatum, perpetuo approbat, et omnibus, ad quos spectat, perpetuo observandum praecipit.

Statuit quoque perpetuo et ordinat, ut Caeremoniale huiusmodi, sic emendatum ac reformatum, nemo, nullo unquam tempore, in toto vel in parte mutare, vel ei aliquid addere aut detrahere audeat; sed omnes omnino, qui sacra munia obeunt, illa non aliter quam observatis formulis, praescriptis etc., quae hoc Caeremoniali continentur, satisfacere valeant.

Per praesentes Litteras minime abolet aut abrogat Caeremonialia antiqua, quae sint conformia huic Caeremoniali reformato; sed illorum usum (salva reformatione praedicta) permittit; non obstantibus quibuscumque etc. etc.

Vult autem, pari motu et auctoritate, ut qui in Romana sunt, Curia praesentes, lapsis 2 mensibus; qui intra montes degunt, 8 mensibus; qui ultra, ubique locorum, 12 integre excursis, vel alias ubi venalium huius Caeremonialis voluminum notitiam habuerint; iuxta huius Caeremonialis modum ac normam sacros ritus et caeremonias exercere teneantur.

261. INNOCENTIUS X, Litteris Apostolicis quae incipiunt: « *Etsi alias* », datis Romae, die 30 Iulii 1650, exponit, non obstantibus iis quae f. r. Clemens VIII Praedecessor, quoad Caeremoniale Episcoporum ab ipso correctum ac restitutum, decreverat, attamen,

Digitized by Google

successu temporis, compertum esse, plurimos errores ac menda in idem Caeremoniale irrepsisse, illudque proinde iterata emendatione indigere.

Eapropter munus Caeremonialis emendandi nonnullis hac in parte peritis Praelatis ac doctis viris contulit. Quod quidem opus iam absolutum fuisse declarat etc.

262. Benedictus XIII, Apostol. Litteris quae incipiunt: « *Licet alias* », datis Romae, die 7 Martii 1727, memorat quid Clemens VIII, quid Innocentius X, Praedecessores, ad accuratam Caeremonialis Epp.rum emendationem egerint, ac eadem omnino, quasi ad verbum, lamentatur, quae Praedecessor Innocentius X deplorat, quoad novos errores, qui in Caeremoniale, denuo emendatum, irrepserunt.

Ac proinde cum nihil antiquius habuerit, antequam Pontifex Summus fieret, quam ut sacros ritus et caeremonias secundum antiquam ac laudabilem Romanae Ecclesiae disciplinam perageret, diuturno eorum usu ac studio animadvertit, utile ac necessarium maxime futurum, si rursus idem Caeremoniale novis curis recognitum ederetur, obscura quaedam in eo et ambigua illustrarentur, corrupta alia et depravata emendarentur, nonnulla praeterea inter se pugnantia et contraria conciliarentur, aliaque demum hactenus praetermissa suis locis opportune adducerentur.

Ubi autem ad summi Apostolatus fastigium exactus est, in hanc sollicitudinem cogitationes direxit, ac ipsemet hoc opus aggressus, illud, nonnullis etiam adhibitis piis et eruditis viris, sacrorumque Rituum peritis, qui ad hoc opus Sibi operam suam contulerunt, benedicente Domino, perfecit.

Denique pro *Pontificali Romano*:

263. Clemens VIII, Apostolicis Litteris, quae incipiunt: « *Ex quo in Ecclesia Dei* », datis Romae die 10 Februarii 1596, affirmat Praedecessores suos Rom.os Pont.es nihil magis curavisse, quam ut communis ecclesiastici muneris rationes ad propriam normam, servata antiquitatis auctoritate, revocarent.

Hac solicitudine impulsus fel. rec. Pius V, ad unam formam

Digitized by Google

modum psallendi Horas Canonicas et celebrandi Missam (Romano Breviario ac Missali propterea editis) redigendum curavit.

Et hoc consilio alii Romani Pontifices, Praedecessores Pii V, pontificales caeremonias et ritus, certis similiter forma et modo praefinitis, in Romanum Pontificale retulerunt.

Ceterum, quia eaedem Caeremoniarum et Rituum formulae, ibi expressae, postea, variis ex causis, in ipso Pontificali immutatae vel corruptae sunt; idcirco necessarium esse duxit, ut eaedem restituerentur, et ab omnibus, praescripta forma aliqua, observarentur.

Ipse igitur ut errores non paucos nec leves, qui in Pontificale irrepserant, accuratissime tolli mandaret, animum vertit.

Idem enim Pontificale adeo corrupti et mendosi voluminis speciem praeseferebat, ut dubium esset quibusnam precibus iidem Ecclesiae Praesules divinum Nomen prosequerentur; praeterquam quod in Rubricis maxima esset confusio etc.

Hinc eruditis ut par erat viris negotium dedit, dictum Pontificale undequaque corrigendi ac restituendi, nec non quaecumque ad exactam illius editionem spectarent perquirendi et praestandi. Quod reapse, Dei benignitate, perfectum atque ita ex omni parte dispositum est, ut nihil, ab antiquis Pontificalium codicibus alienum aut discrepans, in hoc irrepserit.

Enarrat singillatim quasnam industrias adhibuerint ii qui in hoc opere perficiendo adlaborarunt, quoad omnes et singulas Pontificalis partes.

Proinde opus iam absolutum probavit, et Romae edi, editumque divulgari mandavit.

264. URBANUS VIII, Apostolicis Litteris, quae incipiunt: « *Quamvis alias* », datis Romae, die 17 Iunii 1644, memorat quid Clemens VIII egerit ad accuratam Pontificalis emendationem, ac eadem, quasi ad verbum, lamentatur, quae et ab Innocentio X et a Benedicto XIII, quoad Caeremoniale Episc. corrigendum, deplorata iam superius notavimus (Cfr. nn. 261, 262).

Hinc sui pastoralis muneris esse ratus est, ad novam eiusdem Pontificalis correctionem animum appellare.

Digitized by Google

Idcirco, ut idem Pontificale quam emendatissime ederetur, emendationem errorum viris hac in re peritissimis, commisit. Quod quidem ipsi accuratissime perfecerunt.

Ne igitur tanta industria et diligentia optato frustretur effectu, mandat Andreae Brugiotto, Typographiae Apostolicae Praefecto, procurationem emendati Pontificalis huiusmodi, elegantibus typis et insigni forma, in lucem edendi; quod exemplar ceteri tipographi omnes in Urbe sequi teneantur.

Extra vero Urbem, nemini licere vult idem Pontificale in posterum typis excudere, aut vulgare, nisi facultate in scriptis, vel ab Inquisitoribus vel ab Ordinariis locorum, obtenta.

Contrafacientibus gravissimas poenas comminatur.

Normam, qua in hoc se gerant, Praelatis, ad quos spectat, suggerit, renovata poenarum contra transgressores comminatione etc.

Revocat praecedentes licentias, typographis concessas, imprimendi etc.

265. Quoniam autem ipse BENEDICTUS XIV, nonnullis iampridem pro paterna sua caritate consuluerat, de quibus vult in his Litteris memoriam haberi, peculiariter meminit, quod vehementer cupiens, ut Benedictio Papalis in articulo mortis et Indulgentia Plenaria omnibus, quoad fieri posset, impertiretur christifidelibus, per alias suas Litteras, sub plumbo datas Nonis Aprilis 1747, huiusmodi facultatem, sub certis modo et forma expressam tribuit, atque formulas respectivas praescripsit; quemadmodum scripserat ad Generales Ordinum Regularium Encyclicas Litteras, datas die 19 Martii anni 1744, super modo et ritu, quibus Benedictio Pontificia super populum, statis diebus, Regularibus ipsis indulta a S. Sede, impertiri oporteret.

266. Praeterea, ad nonnullas controversias exortas e medio tollendas, itidem per alias Litteras in forma Brevis, quae incipiunt: « *Quod Apostolus* », datis Romae, die 15 Maii, anno 1741, confirmaverat leges et instituta Caeremonialia, eius iussu edita pro Provinciarum Praesidibus, Gubernatoribus, Praelatis, et Apostolicis Vicelegatis. Hae autem Litterae sunt tenoris sequentis:

Digitized by Google

Citat Apostoli dictum, quoad honorem, quo omnes sese invicem praevenire debent, praesertim Antistites et Praesules, tam in civilium quam in sacrorum mutua officiorum exhibitione.

Omnium controversiarum occasio tollitur per Caeremonialis Episcoporum leges et statuta, quae sui Praedecessores sapientissime praescripserunt, ut unicuique ratio, secundum ordinis, gradus et dignitatis conditionem, haberetur.

Quoniam autem quidam abusus, quoad honores sibi invicem deferendos, inter varios Praelatos intra et extra Statum Pontificium, irrepserunt, ut illos penitus adimeret, viris in hac re peritissimis dedit, ut Leges et Instituta Caeremonialia opportuna et salutaria conderent; qua de re, per S. Rituum Congregationem, prodiit Decretum, quo noviter constituta maius robur acciperent.

Ibi dicitur, quod, cum Summus Pontifex Benedictus XIV selegisset quatuor ex S. Congr. Rit. Cardinales, ut ab iisdem uniforme statueretur Caeremoniale, Sanctitate Sua prius approbante, posthac perpetuo observandum; ipsi E.mi Patres, pluribus idcirco praehabitis sessionibus, Secretario Congregationis demandarunt ut Sanctitati Suae ei ab ipsis commissa referret.

Factaque per ipsum Secretarium de omnibus Sanctitati Suae relatione, Sanctissimus non tantum ea approbavit, verum etiam pro omnimoda illorum observantia publicari mandavit. Die 18 Aprilis 1741.

Quibus ab ipso inspectis ac probatis, quo firmius subsisterent, illa, tenore praesentium, Apostolica auctoritate, approbat et confirmat, et ab omnibus perpetuo observanda statuit ac praecipit etc.

267. Insuper formulam benedictionis et traditionis *Pallii* ac Iurisiurandi, a Procuratoribus absentium Archiepiscoporum praestandi, statuerat per suam Constitutionem, sub plumbo datam die 12 Augusti, anno 1748.

268. Accedit ad haec methodus quoque Scholae Sacrorum Rituum, in Gregoriano Collegio Romano, ipso approbante, institutae, cuius Scholae uberem profectum laudat, et methodum imitationi indicandam proponit.

Digitized by Google

Eapropter cum ipsi a quamplurimis supplicatum fuerit, ut typis iterum reimprimendi *Rituale Romanum, Caeremoniale Episcoporum* et *Pontificale Romanum*, nec non addendi in iisdem antedicta ab ipso statuta, licentiam Apostolica auctoritate concedere dignaretur; ipse, probe sciens et experientia edoctus quantum prosit, ut in uno volumine simul collecta ad manus sint ea omnia, quae sparsim impressa inveniuntur, et considerans quantam huiusmodi collectio utilitatem memoratae Scholae Liturgicae in Collegio Societatis Iesu, aliisque ubique locorum erectis afferre possit; Apostolica auctoritate, tenore praesentium facultatem exoptatam benigne tribuit et impertitur, non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus.

Sic igitur *Rituale Romanum, Caeremoniale Episcoporum* et *Pontificale Romanum*, typis noviter ac emendatius, impressa, in lucem emissa sunt.

(*Continuabitur*). Ios. M.

# Appendix.

## S. CONGREGATIO CONCILII

### I.

### Da alienatione publicarum versurarum.

ROMANA ET ALIARUM.

A S. C. C. quaesitum fuit:

I. An pro alienationibus publicarum versurarum (vulgo *titoli pubblici di credito al portatore*), ad entia ecclesiastica vel ad pias causas tutelae ecclesiasticae subiectas pertinentium, necessarium sit Apostolicum beneplacitum sicuti pro alienationibus bonorum immobilium ac rerum pretiosarum?

Digitized by Google

II. An eadem facultas requiratur pro earumdem permutatione in alias publicas versuras vel valores etiam immobiles?

III. An venditores et acquirentes subiaceant poenis ecclesiasticis, statutis a Conc. Tridentino, cap. XI, sess. XXII *de reform.*, ab Extrav. *Ambitiosae* et Constitutione *Apostolicae Sedis?*

E.mi Patres S. C. Concilii praepositi, tribus praefatis dubiis, die 17 Februarii 1906 respondendum censuerunt:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Affirmative, excepto casu urgentis necessitatis, in quo periculum sit in mora et tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem, habito tamen in his adiunctis Ordinarii beneplacito, et sub lege ut permutatio fiat in titulis quam maxime lutis.*

Ad III. *Affirmative, quoad poenas in Extravaganti* Ambitiosae *et Constitutione* Apostolicae Sedis *statutas.*

## II.

## Super eleemosynis Missarum.

ANNECIEN.

Rescripto H. S. C. diei 9 Iunii 1903 Episcopus Anniciensis prorogatam obtinuit facultatem, ut cum parochis suae dioecesis super obligatione applicandi Missam pro populo diebus festis suppressis, pro suo arbitrio et conscientia, gratis dispensare possit et valeat; ad effectum, accedente eorumdem parochorum consensu, deponendi et erogandi in sustentationem minorum Seminariorum dioecesis, eleemosynas ex enunciatis Missis obventuras. Nunc idem Episcopus supplici oblato libello duplex petit resolvi dubium, videlicet:

I. Quando parochi diebus festis suppressis celebrant Missam cantatam, sive manualem sive fundatam, quae in Dominica praecedenti praenuntiata fuerit cum indictione diei et horae, licetne ipsis ad Episcopum transmittere tantummodo stipendium Missae lectae iuxta taxam dioecesanam, an debent tradere integrum stipendium per constitutiones dioecesanas pro huiusmodi Missis praestitutum?

Digitized by Google

II. Si Missam exequialem cum cantu praedictis diebus celebrant, satisfaciuntne suae obligationi, mittendo stipendium Missae lectae communis iuxta taxam dioecesanam, an debent mittere stipendium Missae cantatae iuxta praedictam taxam, salvis iuribus stolae?

S. Congr. Concilii, duobus propositis dubiis rite perpensis, die 24 Martii 1906 rescribendum censuit:

*Ad utrumque, affirmative ad primam partem, negative ad secundam, quoties morali certitudine constet augmentum communis eleemosynae datum fuisse ob maiorem laborem vel incommodum, ad quae aliunde parochus obligatus non sit.*

## COMMISSIO BIBLICA

### De Mosaica authentia Pentateuchi.

Propositis sequentibus dubiis Consilium Pontificium pro studiis de re biblica provehendis respondendum censuit prout sequitur:

I. Utrum argumenta a criticis congesta ad impugnandam authentiam Mosaicam sacrorum Librorum, qui Pentateuchi nomine designantur, tanti sint ponderis, ut posthabitis quampluribus testimoniis utriusque Testamenti collective sumptis, perpetua consensione populi Iudaici, Ecclesiae quoque constanti traditione nec non indiciis internis quae ex ipso textu eruuntur, ius tribuant affirmandi hos libros non Moysen habere auctorem, sed ex fontibus maxima ex parte aetate Mosaica posterioribus esse confectos?

Resp. Negative.

II. Utrum Mosaica authentia Pentateuchi talem necessario postulet redactionem totius operis, ut prorsus tenendum sit Moysen omnia et singula manu sua scripsisse vel amanuensibus dictasse; an etiam eorum hypothesis permitti possit qui existimant eum opus ipsum a se sub divinae inspirationis afflatu conceptum alteri vel pluribus scribendum commisisse, ita tamen ut sensa sua fideliter redderent, nihil contra suam voluntatem scriberent, nihil omitterent; ac tandem

Digitized by Google

opus hac ratione confectum, ab eodem Moyse principe inspiratoque auctore probatum, ipsiusmet nomine vulgaretur?

Resp. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

III. Utrum absque praeiudicio Mosaicae authentiae Pentateuchi concedi possit Moysen ad suum conficiendum opus fontes adhibuisse, scripta videlicet documenta vel orales traditiones, ex quibus, secundum peculiarem scopum sibi propositum et sub divinae inspirationis afflatu, nonnulla hauserit eaque ad verbum vel quoad sententiam, contracta vel amplificata, ipsi operi inseruerit?

Resp. Affirmative.

IV. Utrum, salva substantialiter Mosaica authentia et integritate Pentateuchi, admitti possit tam longo saeculorum decursu nonnullas ei modificationes obvenisse, uti: additamenta post Moysi mortem vel ab auctore inspirato apposita, vel glossas et explicationes textui interiectas; vocabula quaedam et formas e sermone antiquato in sermonem recentiorem translatas; mendosas demum lectiones vitio amanuensium adscribendas, de quibus fas sit ad normas artis criticae disquirere et iudicare?

Resp. Affirmative, salvo Ecclesiae iudicio.

Die autem 27 Iunii an. 1906, in Audientia Reverendissimis Consultoribus ab Actis benigne concessa Sanctissimus praedicta Responsa adprobavit ac publici iuris fieri mandavit.

FULCRANUS G. VIGOUROUX, P. S. S.
LAURENTIUS JANSSENS, O. S. B.
Consultores ab Actis.

Digitized by Google

# Bibliographia.

FELIX S. R. E. CARD. CAVAGNIS, **Institutiones Iuris publici ecclesiastici.** — Editio quarta accuratior. Voll. 3. in-8°. L. 10.

Quarto iam prodeunte hoc eximio opere E.mi Praesulis, notatu dignum nostris ven. lectoribus indicamus caput II libri IV, partis specialis secundi, quod res liturgicas ex professo et competentissime pertractet, agens - de Sacramentis et Sacramentalibus, et specialiter de cultu divino quoad *locum*, *tempus* et *modum*, loquens in particulari de processionibus, imaginibus, diebus et horis, obiecto, criminibus, ritibus, lingua, campanis, precibus, communione cum defunctis - in relatione cum publico Iure catholicae Ecclesiae.

## Opera ad nostram Directionem transmissa.

DE HERDT P. I. B., **Praxis liturgica Ritualis Romani,** Editio 4ª. — Lovanii, typis Iosephi Van Linthout Universitatis catholicae typographi, 1906.

Praesens opus, quod fere totum continetur sexta parte maioris operis *Sacrae Liturgiae Praxis* (1) eiusdem Auctoris meritissimi, iam quarta vice seorsim imprimitur. Ut titulus indicat, potius partem liturgicam, quam theologicam aut canonicam exponit, breviique methodo ac simplici sermone proponit, quomodo Sacramenta sint administranda, ac Sacramentalia exercenda. Rubricae ex Rituali Romano typicae editionis (Ratisbonae, Pustet, 1884) litteraliter traduntur, et mutationes, quas recentiora Decreta postulabant, peractae fuerunt.

FERRERES I. B., S. I., Lo que debe hacerse y lo que hay que evitar en la celebracion de las Misas manuales. Comentario canónico-moral sobre el decreto *Ut debita*. 3ª edición corregida y aumentada. — Madrid, imp. del Asilo de huérfanos del S. C. de Jésús, 1906.

DE MINTEGUIAGA V. M., S. I., **La propaganda anarquista ante el derecho.** — Madrid, Imprenta de Gabriel López del Homo, 1906.

(1) Editio decima (1902-1904).

Digitized by Google

# Chronica.

*Die 10 Iulii 1906*, in Palatio Apostolico Vaticano habita est Congregatio SS. Rituum Praeparatoria, in qua E.mi DD. Cardinales, post R.mos Patres Consultores Theologos et Praelatos Officiales, suffragium tulerunt in *Tridentina*, Beatif. et Canoniz. ven. S. D. Ioannis Nepomuceni De Tschiderer, Principis et Episcopi Tridentini, super dubio: An constet de virtutibus theologalibus nec non de cardinalibus earumque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

*Die 12 Iulii 1906* in Aula maxima Cancellariae Apostolicae, coram Ill.mo ac Rev.mo D. Diomede Panici, Archiep. Laodicen., Secretario, habita est Congregatio praeparatoria *S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae*. Adfuerunt et suffragium tulerunt Rev.mi DD. Consultores, super sequentibus causis: 1. *Ordinis FF. Minorum S. Francisci*: De Indulgentiis adnexis Numismati Iubilari S. Benedicti Abbatis; 2. *Ordinis FF. Minorum Capuccinorum*: De extensione Indulgentiarum concessarum ecclesiis vel publicis oratoriis aut semipublicis, Congregationum Tertiariorum ad ecclesias et oratoria publica vel semipublica, quae non sunt in eorumdem proprietate, sed eorum tantum curae concredita etc.; 3. *Ordinis FF. Minorum S. Francisci*: De quibusdam casibus specialibus, quoad receptionem in aliquem Tertium Ordinem saecularem, nec non in eodem professionem illorum, qui ad regularem Ordinem iam pertinuerunt.

*Die 31 Iulii 1906*, in Aedibus E.mi ac R.mi D. Card. V. Vannutelli Relatoris, habita fuit Congregatio S. Rituum Antepraeparatoria, in Causa *Tifernaten.*, Beatific. et Canoniz. ven. Servae Dei Sor. Floridae Cevoli, Sanctimonialis Professae Ordinis Capucc. in Asceterio Tifernaten., super dubio: *An constet* etc., ut supra. Interfuerunt et suffragium tulerunt R.mi Patres Consultores Theologi, et R.mi Consultores Praelati.

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR.
Fr. Albertus Lepidi, O. P. S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR.
† Iosephus Ceppetelli, Patr. Constant., Vicesgerens.

Augustus Zucconi, Director Domus editricis Desclée, Lefebvre et Soc. Romae, *Sponsor*.

Ex Off. typ. Soc. S. Ioannis Ev. - Tornaci in Belgio.

Digitized by Google

# Acta Sanctae Sedis
## sacram Liturgiam spectantia.

## SS. RITUUM CONGREGATIO

**De privilegio celebrandi Missam votivam Immaculatae Conceptionis B. M. V.**

ORDINIS MINORUM CAPUCCINORUM

Rev. Fr. Franciscus Tischler, Lector Ordinis Minorum Capuccinorum in Provincia Tirolis Septemtrionalis, Sacrorum Rituum Congregationi exposuit, quod Rescripto Apostolico diei 14 Martii vertentis anni eadem Sacra Congregatio privilegium, quo gaudet Ordo Fratrum Minorum Capuccinorum, celebrandi Missam votivam de Immaculata Conceptione B. M. V., extendi concessit etiam ad ecclesias et oratoria Religiosarum Congregationum, quae in horis canonicis persolvendis Kalendario Ordinis Minorum Capuccinorum legitime utuntur. Quaeritur an terminis *in horis canonicis persolvendis* comprehendantur omnes etiam Religiosae Congregationes quae quidem legitime Kalendario Minorum Capuccinorum utuntur quoad Missam etc., loco autem horarum canonicarum Officium parvum B. M. Virginis tantum recitant?

Et Sacra Eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito R.mo P. Procuratore Generali Ordinis Minorum Capuccinorum,



Digitized by Google

exquisitaque sententia Commissionis Liturgicae, respondendum censuit: « Affirmative, iuxta Decretum *Ordinis Fratrum Minorum*, 15 Aprilis 1904 ad I. » (1).

Atque ita rescripsit, die 25 Maii 1906.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*
† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

## S. CONGREGATIO INDULGENTIARUM

### Indulgentiae conceduntur fidelibus quasdam preces recitantibus vel aliud pium opus agentibus.

PREGHIERA A GESÙ IN SACRAMENTO. (2)

Le nostre colpe, o Signore, ci offuscano l'intelletto, e ci fanno trascurare il bene di amarvi come meritate. Rischiarate la nostra mente con un raggio della vostra vivida luce. Voi siete l'amico, il Redentore, il Padre di chi pentito torna al vostro Cuore; e noi pentiti ritorniamo a Voi. Salvateci, o Gesù, supplite con la vostra infinita bontà le nostre miserie! Gesù, speriamo in Voi, perchè sappiamo che la nostra salvezza Vi costò la morte sulla Croce, e Vi indusse a dimorare di continuo nel SS.mo Sacramento, per

(1) Cfr. *Ephem. Liturg.*, vol. XVIII, pag. 270.

(2) Versio:

ORATIO AD IESUM IN SACRAMENTO.

Peccata nostra, Domine, intellectum nostrum obnubilant, et ad bonum negligendum, Te, quemadmodum dignusdilig es, endi, nos adducunt. Vividae tuae lucis radio, mentes nostras illumina. Tu amicus, Redemptor, Pater es poenitentium ad Cor tuum redeuntium; et nos poenitentes ad Te revertimur. Salva nos, Iesu, infinita tua bonitate, nostris dignare supplere miseriis! In Te, Iesu, speramus; novimus enim, nostram salutem Te crucis morti subiecisse, Teque, ad perenniter in SS.mo Sacramento manendum, iuduxisse, ut nobiscum

Digitized by Google

unirvi con noi tutte le volte che vogliamo. Noi, o Signore, per ringraziarvi di tanto amore che ci portate, Vi promettiamo, con la vostra grazia, di ricevervi sacramentato quanto più spesso è possibile; di recitare le vostre lodi in chiesa e da per tutto, senza rispetto umano. Signore, Vi supplichiamo, confidando nel vostro sacratissimo Cuore, che conserviate nel vostro amore chi Vi ama, e che chiamate tutti a ricevervi quotidianamente sull'altare, secondo il vostro acceso desiderio.

*Ex Audientia SS.mi, die 26 Iunii 1906.*

SS.mus omnibus christifidelibus praefatam precem, corde saltem contrito, devote recitantibus, quoties id egerint, tercentum dierum indulgentiam, animabus in Purgatorio detentis etiam profuturam, benigne concessit. Contrariis quibuscumque non obstantibus, et absque Brevis expeditione.

L. ✠ S. CASIMIRUS Card. GENNARI.

Praesentis Rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem, etc.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. C., die 6 Iulii 1906.

L. ✠ S. † D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

*Très Saint-Père,* (1)

L'Archevêque de Sida, Coadjuteur de Paris, Administrateur Apostolique du diocèse de Bayeux, humblement prosterné aux pieds de Votre Sainteté, à l'honneur de Lui exposer, que dans

coniungereris, quotiescumque voluerimus. Ut Tibi, Domine, de tanto, quo nos afficis, amore gratias referamus, Te, Sacramenti velamine absconditum, recipere, tua gratia, tam saepe, quoties licebit, pollicemur; tuas laudes in templo et ubique, absque vano hominum metu, recitare. Te supplices, Domine, in tuo sacratissimo Corde confidentes, quaesumus, diligentes Te in tuo amore conserva, et voca omnes ad Te quotidie, secundum tuum vehemens desiderium, in altari suscipiendum.

(1) Versio:

*Beatissime Pater,*

Archipiscopus Sidensis, Parisiensis Coadiutor, Baiocensis Dioecesis Apostolicus Administrator, ad pedes S. V. humiliter provolutus, honori sibi ducit

Digitized by Google

son Audience privée du 22 novembre dernier Votre Sainteté avait daigné, à sa demande, accorder aux Religieuses du Monastère de la Visitation de Caen, une Indulgence de trois cents jours pour la récitation de cette invocation: « Cœur Sacré de Jésus, que votre règne arrive! »

Désireux de promouvoir de plus en plus l'avènement de ce règne béni, l'Archevêque soussigné ose solliciter humblement de Votre Sainteté, que la dite Indulgence soit étendue à tous les fidèles qui réciteront cette invocation.

De Votre Sainteté

Le fils très-respectueux et très-obéissant

Paris, le 4 Mai 1906.

LÉON ADOLPHE, *Arch. de Sida, Coadj. de Paris.*

*Ex Audientia SS.mi, die XXIX Iunii MCMCI.*

SS.mus Dominus noster Pius, divina Providentia Papa X, precibus annuens Rev.mi Archiepiscopi oratoris, petitam Indulgengentiae extensionem ad omnes christifideles supra relatam precationem pie recitantes benigne concedere dignatus est.

Datum Romae, e Secretaria Status, die, mense et anno praedictis.

IACOBUS DELLA CHIESA, *Substitut.*

Praesentis Rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic Sacrae Congregat. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem, etc.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. C., die 6 Iulii 1906.

L. ✣ S. † D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

Eidem exponere, in sua privata Audientia, die 22 Novembris p. p. Sanctitatem Vestram fuisse dignatam, oratoris precibus annuendo, concedere Monialibus Monasterii a Visitatione, Cadomi, Indulgentiam trecentorum dierum, recitantibus hanc invocationem: « Sacrum Cor Iesu, adveniat regnum tuum! ».

Cupiens subscriptus Archiepiscopus, magis magisque huius regni benedicti adventum promoveri, audet humiliter apud S. V. instare, ut praedicta Indulgentia ad omnes fideles extendatur, qui eamdem invocationem recitaverint.

S. V. filius devotissimus et obedientissimus.

Parisiis, die 4 Maii 1906.

LEO ADOLPHUS, *Archiep. Siden., Coadiut. Parisien.*

Digitized by Google

*Beatissime Pater,*

Fr. Hyacinthus M[a] Cormier, Magister Generalis Ordinis Fratrum Praedicatorum, ad pedes S. V. provolutus, exponit quod Innocentius VIII, in Bulla « Splendor aeternae gloriae », diei 26 Februarii 1491, ita edixerat:

« Nos cupientes ut ipsi confratres et consorores sedulius Rosarium praedictum ob Virginis Mariae reverentiam deferant... quo ex hoc dono caelestis gratiae uberius conspexerint se fore refectos, de Omnipotentis Dei misericordia ac Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, volumus, et auctoritate Ap.lica ordinamus et concedimus, ac omnibus et singulis confratribus et consororibus conscriptis, vere poenitentibus, nunc et pro tempore existentibus, Rosarium deferentibus *centum annos et totidem quadragenas* Indulgentiarum de iniunctis sibi poenitentiis misericorditer in D.no indulgemus... Praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis ».

Cum autem huius Indulgentiae mentio non reperiatur in Catalogo Indulgentiarum, die 29 Augusti 1899 a fel. rec. Leone PP. XIII approbato, quo edicitur « quascumque alias Indulgentias Confraternitatibus Sanctissimi Rosarii tributas, abrogatas, seu revocatas esse censendas », praedictus Magister Generalis, suo et omnium SS. Rosarii confratrum et consororum nomine humiliter et enixe Sanctitatem Vestram rogat, ut praedictam centum annorum et totidem quadragenarum Indulgentiam, semel in die lucrandam, ab iis qui Rosarium apud se, ob Beatae Virginis reverentiam, devote gestaverint, renovare, renovatamque declarare dignetur. »

Et Deus...

Digitized by Google

**Iuxta preces in Domino.**
**Die 31 Iulii An. 1906.**
**PIUS PP. X.**

*Très-Saint Père,* (1)

Xavier Hertzog, procureur général de St-Sulpice, humblement prosterné aux pieds de Votre Sainteté, La supplie de daigner déclarer, que l'Indulgence de *300 jours, toties quoties*, accordée dans l'Audience du 5 Juin courant à ceux qui reciteraient dévotement l'oration jaculatoire: « *Cœur de Jésus, j'ai confiance en Vous* » ne supprimait point l'Indulgence plénière, accordée auparavant par Votre Sainteté, pour ceux qui reciteraint dévotement durant le mois, chaque jours cette même invocation.

Que Dieu etc.

SS. D. N. Pius PP. X in Audientia habita die 27 Iunii 1906 ab infrascripto Cardinali Praefecto S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne declarare dignatus est, per concessionem die 5 huius mensis factam, abrogatam non fuisse plenariam Indulgentiam, quam idem SS.mus elargitus fuerat die 27 Maii 1905: ita ut in posterum christifideles, quoties supra propositam invocationem, intimo cordis affectu, recitaverint, Indulgentiam trecentorum dierum lucrari valeant, plenariam vero semel in unoquoque mense, die eorum arbitrio eligenda, dummodo quotidianam eiusdem invocationis recitationem peregerint, simulque confessi ac

(1) Versio:

*Beatissime Pater,*

Xaverius Hertzog, procurator generalis S. Sulpitii, ad pedes S. V. humiliter provolutus, Eandem supplicat, ut declarare dignetur, Indulgentiam *300 dierum toties quoties*, concessam in audientia diei 5 Iunii curr., iis qui devote orationem iaculatoriam recitaverint: « *Cor Iesu, in Te confido* », non abolere plenariam Indulgentiam, a S. V. iampridem iis concessam qui devote recitaverint quotidie per mensem hanc eandem invocationem.

Et Deus etc.

Digitized by Google

S. Synaxi refecti, ad mentem Summi Pontificis oraverint. Quas Indulgentias Sanctitas Sua defunctis quoque applicabiles voluit.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. C., die 27 Iunii 1906.

L. ✠ S.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

## Orazione a S. Rita da Cascia. (1)

O gloriosa S. Rita, Voi che foste prodigiosamente partecipe della dolorosa passione di N. S. Gesù Cristo, ottenetemi di soffrire con rassegnazione le pene di questa vita, e proteggetemi in tutte le mie necessità.

## *Ex Audientia SS.mi, die 30 Iulii 1906.*

SS.mus, omnibus christifidelibus qui praefatam precem devote recitaverint tercentum dierum indulgentiam, semel in die lucrandam, Animabus etiam in Purgatorio detentis profuturam benigne concessit.

Contrariis quibuscumque minime obstantibus. In quorum fidem etc.

L. ✠ S.

CASIMIRUS Card. GENNARI.

Praesentis Rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. C., die 11 Augusti 1906.

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

(1) Versio:

Oratio ad S. Ritam de Cascia.

O gloriosa S. Rita, Tu, quae mirabiliter dolorosae passionis Domini nostri Iesu Christi particeps fuisti, impetra mihi ut huius vitae poenas aequo animo perferam, et in cunctis necessitatibus protege me.

Digitized by Google

## Esercizio in onore del SS.mo Sacramento nelle processioni col Venerabile. (1)

Si reciti un *Pater, Ave* e *Gloria*, poi si dica per dieci volte: *Lodiamo ogni momento il SS. Sacramento*, e si risponda: *Ora e sempre sia lodato il nostro Dio sacramentato*; quindi si ripeta il *Pater, Ave* e *Gloria*, e così di seguito finchè duri la processione.

*Ex Audientia SS.mi, die 30 Iulii 1906.*

SS.mus, omnibus christifidelibus Venerabile Eucharistiae Sacramentum in processione comitantibus, qui praefatum exercitium devote peregerint, Indulgentiam tercentum dierum animabus etiam in purgatorio detentis profuturam benigne concessit. Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

In quorum etc.

L. ✣ S. CASIMIRUS Card. GENNARI.

Praesentis Rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. C., die 11 Augusti 1906.

L. ✣ S. † D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretar.*

(1) Versio:

Exercitium in honorem SS. Sacramenti in processionibus cum Venerabili.

Recitetur semel *Pater, Ave* et *Gloria*, deinde decies dicatur: *Laudemus quolibet momento SS.mum Sacramentum*, et respondeatur: *Nunc et semper laudetur noster Deus in Sacramento*; deinceps repetatur *Pater, Ave* et *Gloria*, et sic de cetero, usque dum Processio perduraverit.

Digitized by Google

# CONSTITUTIO GREGORII PP. XIII.
## QUA RUBRICAE BREVIARII ROMANI MAGNOPERE ILLUSTRANTUR

### GREGORIUS PAPA XIII
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Pastoralis Officii cura nos admonet, ut ea quae magis conducere censemus, pro locorum et personarum qualitate concedamus. Sane licet alias post Missalis et Breviarii ex Decreto sacri Concilii Tridentini editionem fel. rec. Pius V praedecessor Noster, dilecti Nobis filii Ludovici de Torres Malacitani et Camerae Apostolicae clerici, qui tunc ex Hispaniarum regnis, ad quae ab eodem Praedecessore pro certis gravibus negotiis ad rempublicam christianam spectantibus missus fuerat, Romam redierat, relatione audita, multas scilicet, ut ipse Ludovicus a viris gravissimis ad hunc effectum a carissimo filio Nostro Philippo Hispaniarum rege catholico deputatis acceperat, ex huiusmodi editione subortas fuisse in illis partibus difficultates (1), ad eas tollendas nonnulla quoad Hispaniarum regna praedicta duxerit reformanda, et concedenda; nihilominus, quia, ut idem Ludovicus Nobis retulit, re ipsa compertum est adhuc aliqua ad Missalis et Breviarii impressionem, quae in illa provincia magnis impensis curantur, desiderari: Nos eius dictis certam adhibentes fidem; ad omnem scrupulum dimovendum, motu proprio et ex certa scientia Nostra ac de apostolicae potestatis plenitudine, haec quae sequuntur declaranda duximus et concedenda.

Digitized by Google

In primis illud Nobis declarandum se offert, ex quo magna oriri poterat confusio. Cum enim praedecessor Noster praedictus indistincte concesserit, ut ecclesiae Hispaniae possint celebrare Officia propria Sanctorum illius provinciae (2) illique plures sint numero, ex hoc sequebatur, ut Officium maioris partis feriarum anni omitteretur (3) et ordo Breviarii fere subverteretur (4). Nos huic incommodo occurrere volentes, et praedecessoris praedicti mentem sano modo interpretantes (5), declaramus, unamquamque Hispaniae ecclesiam eorum tantum Sanctorum, qui in Breviario non sunt descripti, Officia propria celebrare posse, qui vel illius dioecesis sunt naturales (6), vel eius ecclesiae seu dioecesis sunt patroni (7), vel quorum corpora seu notabiles reliquiae in ea ecclesia seu dioecesi requiescunt (8). De aliis vero Sanctis, etiamsi sint naturales, vel patroni alterius dioecesis, etiamsi illorum corpora vel notabiles reliquiae in aliqua ecclesia alterius dioecesis requiescant, non celebretur Officium proprium, sed servetur ordo Breviarii Romani (9). Et quo die celebrabitur festivitas patroni unius dioecesis, religiones omnes teneantur eodem die in suis ecclesiis intra limites illius dioecesis exsistentibus, eamdem festivitatem celebrare, et in hoc cum ecclesia matrice se conforment (10).

Item volumus, quod festivitates sequentes sint in tota Hispania generales; ita quod omnes ecclesiae et religiones exsistentes in illa provincia recitent de illis et celebrent propria illorum Officia (11), quae sunt: Festivitas Exspectationis Dominae nostrae, quae cele-

Digitized by Google

bratur die XVIII mensis Decembris (12). Et quoniam dicta die iuxta Breviarium Romanum feria habet antiphonas proprias ad Laudes, ne antiphonae praedictae omittantur, et ut festivae singulis annis in illa provincia decantentur: mandamus ut dictae antiphonae feriales, quae in die in qua Officium Exspectationis celebratur, dicendae essent, reponantur die XVI Decembris (13), omissa ea, quae ad Canticum dicitur, cuius loco dicatur ea, quae ad Canticum ponitur in Psalterio et idem fiat de antiphona in die sancti Thomae occurrentibus, reponendis in Sabbato, quando Festum Exspectationis huiusmodi in Sabbato venerit; ut scilicet antiphonae in die sancti Thomae occurrentes, tunc reponantur XVI Decembris, dempta ea, quae dicitur ad Canticum, ut supra (14).

Item festivitas Triumphi Sanctae Crucis, quae celebratur die XVI Iulii. Item festivitas sancti Ildephonsi, Archiepiscopi Toletani Confessoris. Item festivitas sancti Isidori, Archiepiscopi Hispalensis, pro quo celebretur Officium Doctoris, et recitetur *Credo* in celebratione Missae (15). Insuper celebretur festivitas sanctae Annae, Matris Beatae Mariae Virginis, in omnibus locis, ubi fuerat ecclesia, vel cappella dictae Sanctae ad praesens, vel ubi aedificabitur ecclesia in futurum (16). Item concedimus, ut quaelibet ecclesia et monasterium Hispaniae, habens aliquas reliquias insignes, puta caput, brachium, vel crus alicuius Sancti (17), etiam alienigenae non exsistentis in Breviario, vel de quo in dicto Breviario fit tantum commemoratio (18), possit illius fe-

Digitized by Google

stivitatem celebrare et Officium duplex facere (19), et de alio Sancto eodem die occurrenti, si fuerit simplex, fiat commemoratio; si vero fuerit duplex vel semiduplex, transferatur in primam diem simili festo non impeditum (20). Et quoniam in regno Castellae in pluribus ecclesiis celebratur die XXX Decembris Translatio sancti Iacobi Apostoli, Hispaniarum patroni (21), praecipuum duplex (22), et in Breviario ponitur die XXIX festivitas sancti Thomae Archiepiscopi Cantuariensis, et Martyris, semiduplex, et in anno quo festivitas sancti Thomae occurrit in Dominica, iuxta regulam Breviarii transfertur in diem sequentem, quo die in eo regno celebratur supradicta festivitas sancti Iacobi, posteaque per plures dies non venit aliqua dies vacua, in qua possit celebrari festivitas praedicti sancti Thomae: volumus, ut in eo anno festum ipsum sancti Thomae transferatur ad primam diem duplici non impeditam (23) quae erit Vigilia Epiphaniae, et tunc de Vigilia fiat tantum commemoratio (24); ad Vesperas autem Epiphaniae nulla fiat commemoratio de festo sancti Thomae praedicti.

Cum vero in ecclesiis et regionibus Hispaniae vigeat consuetudo, ut diebus Paschalibus et festivitatibus maioribus celebret Missam conventualem Antistes vel alia persona principalis, et regula Missalis ordinet, quod omnibus diebus dominicis infra annum sacerdos, qui celebrabit Missam conventualem, exeat ante celebrationem Missae cum pluviali vel cappa et cum ministris ad incipiendum in altari maiori antiphonam *Asperges*,

Digitized by Google

et aspergendum aqua benedicta populum: concedimus, ut Antistes seu alia persona principalis celebrans Missam conventualem praemissa facere non teneatur, sed illa facere possit quilibet alius simplex sacerdos eius loco, et ut talis sacerdos non deferat pluviale, sed albam et stolam, vel superpelliceum et stolam, nec procedat associatus cum ministris, sed solum cum acolythis (25).

Haec autem omnia et singula, Breviarium et Missale concernentia, per felicis recordationis Pium V, et Nos concessa pro Hispaniarum provinciis, volumus ut intelligantur etiam concessa ecclesiis insularum et terrae firmae Indiarum dicto regi Catholico subiectarum. Et insuper statuimus, ut Missae Sanctorum, quae iuxta Motum proprium dicti Pii V, in Missali Romano in Hispaniis imprimendo possunt imprimi, non in corpore, sed in fine dicti Missalis imprimantur. Et ita per praesentes Apostolica auctoritate declaramus, statuimus, concedimus et indulgemus: non obstantibus praemissis Litteris praedecessoris praedicti in Breviario et Missali, ac regulis sub Rubricis generalibus cum ipsismet Breviariis et Missalibus impressis nec non omnibus, et singulis in eis contentis prohibitionibus, clausulis, derogationibus et decretis: quae omnia Nos ad effectum praesentium in dictis provinciis locum sibi non vindicare decernimus: ac aliis, quae dictus praedecessor in suis Litteris obstare non voluit, ceterisque contrariis quibuscumque. Ut autem praesentes Litterae omnibus innotescant, volumus, et districte praecipiendo omnibus

Digitized by Google

et singulis librorum impressoribus in partibus illis consistentibus mandamus, ut illas in cuiuslibet Missalis et Breviarii principio imprimant, et imprimi curent; alias illis non appositis, et impressis praesentes nemini suffragentur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX Decembris, MDLXXIII, Pontificatus Nostri anno primo.

CAES. GLORIERIUS.

## Commentarium.

Fortuito sub oculis advenit nostris haec pontificia Constitutio, quae maximi esse ponderis nobis visa est. Licet enim pro Ecclesia Hispanica data sit, nihilominus principia liturgica in ea inveniuntur magni momenti, sive quia a Romano Pontifice solemniter enunciantur, sive quia inter vivos adhuc tunc erant qui Rubricas S. Pii V emendaverant, ideoque genuinum earum sensum noverant.

Eo autem magis credimus, gratum facere lectoribus nostris huiusmodi Constitutionem in Ephemeridibus nostris edendo, quia nullus alius ex liturgicis auctoribus unquam edidit, nec ipse recens liturgista hispanus cl. Solans. Gavantus quidem hanc Constitutionem citat (*sect. 6, c. 7, n. 1*) nec non A Carpo (*p. 3, n. 60, et p. 4, n. 254*) et Solans (*Prontuario liturg.*, p. 275), sed de omnibus in ea contentis non agunt, neque illustrationem ullam de ea habent.

Hinc est quod nos utile iudicavimus aliquibus adnotationibus hoc praestantissimum documentum exponere, ex quibus nova luce clarescere queant nonnullae Rubricae Breviarii, nonnullaque S. R. Congr. Decreta.

Digitized by Google

(1) *Ex huiusmodi* (Breviarii Piani) *editione subortas fuisse in illis partibus difficultates, etc.*

Correctio Breviarii et Missalis, iubente Concilio Tridentino, a S. Pio V peracta, atque Universali Ecclesiae latinae, paucis singularibus exceptis, imperata, multis laudibus ubique accepta fuit, uti notat Grancolas (*Comm. hist. Brev.*, p. 6): « Iure affirmare possumus ab eo tempore (Pii V) omnes singulares Ecclesias id adeo adoptasse, ut quae sub Romani Breviarii nomine illud non receperint, totum fere tamen Breviariis suis inseruerint, id suis ritibus accomodando ».

Fatendum tamen est, multos thesauros liturgicos peritus quasi periisse, apud particulares ecclesias plurimas, qui forsan servari bene poterant in propriis dioecesanis.

Hinc revera factum est, quod aliquibus in locis, Apostolica Sedes, etiam post Pianam correctionem, nonnulla hac illac concedere debuit, ut res in pace componerentur. In regnis quoque Hispaniae hoc evenisse dicendum est, in praesenti enim Constitutione dicitur: ex novi Breviarii *editione subortas fuisse in illis partibus difficultates*; ideoque Gregorius XIII aliqua *declaranda* et *concedenda* duxit Hispanicis Ecclesiis, per hanc notabilem bullam suam.

(2) *Ut Ecclesiae Hispaniae possint celebrare Officia propria Sanctorum illius provinciae.* Relictis particularibus Breviariis, Romanoque Piano adoptato, contigit, ut antiqua et debita erga Sanctos proprios locorum, pietas non mediocriter imminuta videretur. Itaque statim ad S. Sedem recursus porrecti sunt, ut festa cum officiis Sanctorum, in propriis locis restituerentur.

Quamvis enim in Rubricis novi Breviarii (*Tit. I, n. 1, et Tit. II, n. 1*) non excludantur officia Sanctorum, *qui apud quasdam Ecclesias, Religiones vel Congregationes consueverunt solemniter celebrari*, paucis tamen Sanctorum localium in praxi debitus honor tribuebatur. Quapropter, ut hic notatur, iam S. Pius V Ecclesiis Hispaniae concedere debuerat ut possent continuare celebrationem officiorum pro Sanctis propriis illius provinciae.

Digitized by Google

(3) ... *illique (cum) plures sint numero, ex hoc sequebatur ut Officium maioris partis feriarum anni omitteretur.* Verba haec, in ore Pontificis Summi, nemo est qui non videat quanti sint ponderis. Omnes liturgici viri, melioris notae, cum card. Bona, card. Tomasi, Gavanto, Guyeto, Merato ac Cavalieri, iugiter conquesti sunt, de nimia pluralitate festorum cum iactura officii ferialis; Gavantus (*sect. 3, n. 5*) scribit: « Videant Episcopi ne pluralitate festorum fiat iniuria officio feriali ». Guyetus autem (*lib. 1, c. 1, quaest. 19*) loquitur de « notabili detrimento quod infertur officio de Tempore, ex ingenti illa festorum coacervatione, quàm eo usque demum aliqui promovent, ut vix loous ullus, aut certe exiguus admodum feriis supersit ». Quam sententiam suam fecit Meratus (*sect. 7, c. 1, n. 5*). Eodem sensu, sed fortiori stylo Cavalerius (*T. 1, c. 6, n. 1*): « Festorum prurigo multorum e Clero tam Saecularium quam Regularium, animos ita pervasit, ut nihil plus optent, nisi fere vehementius ambiant, quam abactis procul omnium feriarum officiis, continuis ac prope quotidianis festis indulgere, opinantes sibi et religioni magnum augmentum et Ecclesiae suae vel Ordini splendorem accivisse, si corrogatis undique opportune, importune Sanctis, confertum et coagmentatum atque supereffluens Calendarium proprium compegerint. O quam vereor ego, ne specioso pietatis praetextu, in istis se tegat innatum plerisque in divino officio brevitatis sollicitudine studium ». Verum, et apud S. Rit. Congregationem usque ad annum 1883, voluntas fuit, ne officia ferialia negligerentur, nam in Decreto generali d. d. 7 Iulii 1753, quod habetur in antiqua Gordelliniana collectione sub, n. 4234 sic legitur: *Eminentissimi Patres S. R. C. praepositi decreverunt quod in posterum preces recitandi officia votiva semel in hebdomada vel semel in mense, amplius non recipiantur* (1).

(1) Quod hae: esset explicita S. R. C. voluntas a fortiori argumentamur, eo quod anno praedicto 1753 in calendario Ecclesiae universalis multo pauciora erant festa duplicia et semiduplicia, ideoque frequentiora officia ferialia.

Digitized by Google

Nihilominus cum supplicationes pro obtinendis adhuc votivis officiis non cessarent, aliud eadem S. R. C. generale Decretum emanavit die 11 Maii 1816, in antiquâ collectione sub n. 4517, ita se babens:

*Cum non obstante generali Decreto, quo sub die 7 Iulii 1753 a S. R. C. mandatum fuit*; quod in posterum preces recitandi officia votiva semel in hebdomada, vel semel in mense amplius non recipiantur, *frequentes petitiones fiant pro facultate recitandi huiusmodi officia votiva, nec petentes tam facile acquiescant, rati, quod praefata generalis dispositio ob diuturnum temporis lapsum in desuetudine abierit. Ideo E.mi et R.mi DD. Cardinales eidem Sac. Congregationi praepositi, ad mei infrascripti Secretarii relationem sub hodierna die*: MEMORATUM GENERALE DECRETUM AD OMNIMODAM OBSERVANTIAM REVOCARI, EIUSDEMQUE EXEMPLAR, UT CUNCTIS PATEAT, AD SECRETARIAE PARIETES AFFIXUM PERPETUO RETINERI IUSSERUNT, *die 11 Maii 1816.*

Diximus supra, hanc fuisse voluntatem S. R. Congregationis usque ad annum 1883; quia eo anno die 5 Iulii, Decretum celebre sub Card. D. Bartolinio Praefecto prodiit, *Urbis et Orbis*, n. 3581, quo datur *indultum generale tam capitulis et ecclesiasticorum communitatibus quibuscumque, quam singulis de utroque clero* PERSOLVENDI OFFICIA VOTIVA PER ANNUM LOCO OFFICIORUM FERIALIUM, *praeterquam in feriis IV Cinerum, totius temporis Passionis, ac sacri Adventus a die 17 ad 24 Decembris.*

In qua nova concessione, praevisu non facili, tria haec notanda veniunt.

I. Quod officia in eo decreto descripta a nemine quaesita fuerunt, ideoque et non petentibus concessa.

II. Quod non aliquod officium semel in mense, vel in hebdomada conceditur, sed pro diebus totius hebdomadae totidem officia votiva indulta sunt.

III. Quod huiusmodi officia votiva, etiam tempore Quadragesimae et Adventus, cum magno horum temporum venerationis detrimento, recitanda conceduntur.



Digitized by Google

Quid ergo dicendum? Re numquid vera consilium et voluntatem suam mutavit sacrum Tribunal? Nequaquam statim respondemus; etenim, quod ex *necessitate* conceditur, numquam dicitur ex mutato, et undequaque libenti animo concessum. Causam enim indulti votivorum officiorum in eodem decreto n. 3581 habemus his verbis: « *Compertum quippe est, coarctata translatorum serie* ... (nam ex constitutione Leonis XIII d. d. 28 Iulii 1882 suppressa fuit translatio duplicium et semiduplicium) *inde augeri onus officiorum ferialium; quod imminuto hodie cleri numero auctisque aliis eius oneribus, minime convenire existimatur* ». Aliis verbis, mens Ecclesiae immutata manet, quoad desiderium ut officia feralia tam facile non omittantur, quoniam vero ex suppressa duplicium et semiduplicium translatione onus clericis adaugeretur, per relatum indultum provisum fuit.

(4) ... *et ordo Breviarii fere subverteretur.* Aurea sunt verba huiusmodi, ex nimia enim congerie Sanctorum, quorum officia tam facile implorantur, ubique hodie numquam recitantur psalmi et hymni pulcherrimi feriarum; imo ob immodicum numerum duplicium maiorum, et ipsa lectio Scripturarum quasi semper omittitur, unde pars magnifica Breviarii, quae Psalterium dicitur, penitus omittitur, et de 150 psalmis, solummodo repetuntur centies milliesque ii paucissimi qui in Communibus Sanctorum recitantur. Si iam suo tempore Gregorius XIII conquerebatur quia *ordo Breviarii fere subverteretur*, quid diceret hodie, cum idem Summus Pontifex, sequens calendarium lateranensis Basilicae, ad omittendam maiorem Breviarii partem adstringitur? Nonne hodie in editionibus partium Aestivae et Autumnalis Breviarii, ullo sine incommodo omitti poterit totum psalterium?

(5) *Nos huic incommodo occurrere volentes et praedecessoris praedicti mentem sano modo interpretantes*... Gregorius XIII, S. Pio V immediate successit, mentem ergo antecessoris sui bene cognoscere poterat, hac in re, et procul dubio, uti diximus, plurimi adhuc in vivis erant, qui correctioni piani Breviarii manus posuerant. Quam ob rem, hac in gregoriana constitutione, authenticam re-

Digitized by Google

vera habemus Rubricarum illustrationem, idcirco grati quamplurimum Gregorio XIII esse debent sacrae Liturgiae cultores, non tam pro Martyrologii recognita editione, ac pro calendarii reformatione, sed et pro hac sua praestantissima constitutione.

(6) *Declaramus unamquamque Hispaniae ecclesiam eorum tantum Sanctorum, qui in Breviario non sunt descripti officia propria celebrare posse, qui vel illius dioecesis sunt naturales...* Sunt nonnulli, qui sub pretextu maioris coniunctionis cum Romana Ecclesia, optarent ut in universo orbe christiano quotidie celebraretur idem festum idemque officium recitaretur, iuxta calendarium cleri Romani, amotis quibuscumque particularibus officiis, de quibus ad summum sola commemoratio permittenda esset. Inter hos novatores, princeps fuit Corrector Generalis Ordinis Minimorum P. Raphael Ricca, qui in Concilio Vaticano (*Coll. lac. t. 7, p. 892*) propositionem huiusmodi pandere est ausus. *Zelus est, sed non secundum scientiam*; si enim haec propositio acceptata fuisset, sacra antiquitas magnum detrimentum passa esset, et, ut ait D. Bäumer (*Hist. du Brév.* II. p. 407), activitas ecclesiarum particularium aliquomodo torpore corriperetur; et vincula multa quae adhuc coniungit aetatem nostram cum primis ecclesiae saeculis, omnino relaxata manerent; uno verbo, si Patris Ricca votum infelix a Concilio acceptum fuisset, in sacra Liturgia quaedam mortua ac frigida uniformitas, inducta esset, quae numquam fuit et numquam erit, loco huius unitatis in multiplicitate, tam naturalis et iugiter a Romana Ecclesia admissae et summopere collaudatae.

De hac Romana protectione in particularium Ecclesiarum officiis liturgicis, splendidum argumentum habemus in hac Gregorii XIII constitutione, qui *Officia propria* Hispaniae admittit.

Sed et S. R. C. (*Decr. 2319 Reliq. dub. 1*) pluries declaravit, quod in occurrentia festorum eiusdem ritus, ceterisque paribus, *Primum locum habebit officium Ecclesiae particularis; Secundum ordinis seu Religionis; Tertium dioecesis; Quartum Nationis; Quintum Ecclesiae universalis.*

Ut autem aliquis Sanctus proprius dicatur alicuius Ecclesiae,

Digitized by Google

vel loci, vel dioecesis etc. oportet ut quaedam vincula cum dicto loco vel dioecesi habeat; ita docent unanimes doctores omnes cum Gavanto, Guyeto et Cavalerio. Hic (*T. 2, p. 1, c. 26, n. 3*) ad rem habet: « Sancti qui ut proprii ac particulares in Dominiis, Nationibus, Provinciis, Dioecesibus, Locis vel Religionibus excoluntur, sunt vel qui ortu, occubitu, insigni commoratione, praecipuo aliquo munere, advectione suarum reliquiarum, invectione Fidei, eiusdem promotione et dilatatione, signis, virtutum exemplis, doctrina, miraculis aut gratia aliqua inibi fuerunt illustres ». Sanctos, qui *ortu, occubitu, insigni commoratione, et praecipuo aliquo munere* (puta episcopali) alicubi floruerunt, naturales hic vocat Gregorius XIII; scilicet cives ac conterraneos. Quod autem Sancti *naturales*, aut cives, speciali et praestantiori honore a concivibus suis recolantur, non solum ab indole et ingenio humano comprobatur, homines enim intensiori amore suos prosequuntur quam alienos; sed et a ratione Theologica.

Divus Thomas (*Suppl. Q. 72 vel 74, art. 1*) docet: *Licet Sancti essentiam Dei non comprehendentes non omnia cognoscant, in Verbo tamen cognoscunt quae ad eos spectant, scilicet vota et devotiones ad orationes hominum, qui ad eorum auxilium confugiunt.*

S. Maximus Taurinensis († 400), homiliam 81, quam habuit in natali Ss. Martyrum Taurinensium Octavii, Adventii et Salutaris, ita aggreditur: *Cum omnium Ss. Martyrum, fratres, devotissime natalem celebrare debeamus, tum praecipue eorum solemnitas tota nobis veneratione curanda est, qui in nostris domiciliis proprium sanguinem profuderunt. Nam licet universi Sancti ubique sint, et omnibus prosint, illi tamen pro nobis interveniunt, qui et supplicia pertulere pro nobis. Martyr enim cum patitur, non sibi tantum patitur, sed et civibus; sibi enim patitur ad praemium, civibus ad exemplum; sibi patitur ad requiem, civibus ad salutem.* Et paulo inferius hos Sanctos vocat familiares: *cum his autem nobis familiaritas est, semper enim nobiscum sunt* (Migne, *P. L.* 57, 954). Nil ergo mirum si huiusmodi Sancti *naturales*, seu *familiares*, in ecclesiis singularibus speciali cultu honorantur.

Digitized by Google

(7) . . . *vel eius Ecclesiae seu Dioecesis sunt Patroni.* Sub nomine Patroni hic venit tam Titulus Ecclesiae, quam Protector loci vel dioecesis. Festa Sanctorum in quorum honore habentur Ecclesiae dicatae, antiquiora sunt; imo primitiva templa Christianorum, ut plurimum super sepulcra Martyrum erigebantur, unde nomen *titulus*. Iam ab anno 250 huius rei testimonium habemus in passione S. Pionii (Ruinart, *Acta*, p. 188, c. 2) qui iuxta morem cuiusvis communitatis fidelium, celebrabat *Natale genuinum* S. Polycarpi ad cuius sepulcrum aedem sacram construxerat.

Ergo secunda ratio, ex qua aliquis Sanctus *proprius* dicitur, est qualitas eius Titularis Ecclesiae, vel Patroni loci. Titularis, is dicitur in cuius nomine fundata, benedicta vel consecrata est Ecclesia; ideoque Titulus esse potest SS. Trinitas, Spiritus Sanctus, D. N. Iesus Christus vel resurgens, vel ascendens in coelum, vel in Cruce, etc.

Patronus vero, is est, qui ab aliquo pago, vel civitate, vel regno eligitur ut Christianae plebi in periculis succurrat, in necessitatibus opem ferat, et apud Dominum reorum causam gerat. Ex quo manifeste patet, in Patronum eligi non posse nisi B. V. Mariam, Angelos et Sanctos; in notione enim Patroni aliquid medium intelligitur inter Deum et homines, inter Iudicem et reos.

(8) . . . *vel quorum corpora seu notabiles reliquiae in ea ecclesia seu dioecesi requiescunt.* Guyetus (*l. 1, c. 9, n. 1*) scribit: « Patronis, seu Sanctis ecclesiarum Titularibus proximi sunt ii, quorum pignora seu Reliquiae in singulis ecclesiis asservantur ». Ubi enim habentur Sanctorum Reliquiae, quae sint *notabiles*, intellige *insignes*, ibi et ratio habetur ut de Sanctis illis festum peragatur, ob causas in praecedenti nota allatas. De officio tamen ratione reliquiae insignis persolvendo inferius fusius dicemus in nota 17.

(9) *De aliis vero Sanctis, etiamsi sint naturales, vel patroni alterius dioecesis, etiam illorum corpora vel notabiles reliquiae in aliqua ecclesia alterius dioecesis requiescant, non celebretur officium proprium, sed servetur ordo Breviarii Romani.* Sancti *proprii* ecclesiae alicuius, vel loci, vel dioecesis, restrictive accipiendi sunt; ideoque Sancti

Digitized by Google

finitimae dioecesis vel regionis non sunt proprii meae ecclesiae, nec ergo de ipsis festum instituere possum. Dantur aliquando casus in quibus decet quam maxime ut aliquis Sanctus tam bene sit meritus de quadam regione, vel regno, vel natione, ut quodammodo *proprius* dici possit totius regionis, vel regni, vel nationis illius.

Tunc procul dubio Apostolica Sedes facile concedit, ut in toto regno, vel natione de huiusmodi Sanctis festum peragatur. In hac ipsa constitutione nonnulla festa conceduntur, uti *propria* pro tota Hispania, ut infra videbimus.

(10) *Et quo die celebrabitur festivitas patroni unius dioecesis, Religiones omnes teneantur eodem die in suis ecclesiis, intra limites illius dioecesis existentibus, eamdem festivitatem celebrare, et in hoc cum ecclesia matrice se conforment.* Extant revera S. R. C. Decreta quamplurima quae Regulares ad celebrandam Patronorum loci vel dioecesis festivitatem adstringunt (cf. Decreta sub nn. 1708, 3436, 3863, 3925); ratio tamen huius obligationis ibi supponitur, sed non dicitur. Hic vero Gregorius XIII pulcherrimam et undequaque aequam rationem tradit dicens: *et in hoc cum ecclesia matrice se conforment.*

Liturgici auctores aiunt, Regulares ad festa Patronorum loci celebranda teneri, quia ipsi, non minus quam incolae ac cives iuvamen sentiunt et tutelam Patronorum; imo cum ad Patronorum electionem, iuxta Urbani VIII decretum, Regulares quoque suo voto concurrant, ut docet Benedictus XIV (*De Canoniz. l. 4, p. 2, c. 14, n. 5*) sane et eorum festum celebrare debent.

Huiusmodi causa abiicenda quidem non est, sed ista, quam tradit Gregorius papa, rem penitius attingit. Licet enim Regulares iurisdictioni episcopali et parochiali non subiiciantur, nihilominus cum ecclesia episcopali, et parochiali aliquo ligamine obstinguntur; nec inepte *matricem* Pontifex vocat ecclesiam.

Porro Regulares ab Episcopo adprobari debent pro confessionibus audiendis, et pro praedicatione verbi Dei extra suas ecclesias, et loci Ordinarius ea, quae ad Sacrificium Missae et

Digitized by Google

ad externas functiones attinet, etiam in Regularium ecclesiis disponere potest. Item Regulares, absque parochi licentia aliqua sacramenta administrare nequeunt, multisque in locis tempore quo Parochus dominicalem sermonem ad suum populum habet, publicas functiones peragere non possunt, ex dioecesanis constitutionibus a S. Congr. Concilii admissis. Aequissime ergo, ad significandam huiusmodi Regularium subiectionem, Anniversarium Dedicationis, et Titulum Cathedralis concelebrant, nec non Patronum loci ubi degunt.

(11) *Item volumus, quod festivitates sequentes sint in tota Hispania generales; ita quod omnes ecclesiae et Religiones existentes in illa provincia recitent de illis et celebrent propria illorum officia.* Ergo festivitates, quae infra determinantur, *propriae* sunt pro universo regno Hispaniae, ita ut, non tantum Saecularis Clerus sed et Regularis ad eas celebrandas teneatur. Ergo, sicut habentur Festa Universalis Ecclesiae, ita habentur Festa alicuius Regni, seu regionis, Festa Dioecesis, Festa Ordinis Regularis et Festa alicuius loci vel ecclesiae specialis.

Si huiusmodi Gregorii XIII praescriptiones e mente numquam excidissent, non tot et tam facile petitiones ad S. R. C. porrigerentur pro novis officiis obtinendis.

Determinentur opportune criteria, ex quibus nosci queat, qui Sancti ab Universa Ecclesia sint excolendi, qui a tota natione, qui a tota dioecesi, qui a toto Ordine Regulari, qui tandem in aliquo loco vel ecclesia particulari; tunc, si determinata criteria inveniuntur, pro singulis petitionibus, concedantur, alioquin, minime; nulla enim plerumque suffragatur ratio, nisi voluptas brevioris officii.

(12) *Quae sunt: Festivitas Expectationis Dominae nostrae, quae celebratur die XVIII Decembris.* Omnes norunt, quod tempore sacro Quadragesimali non agebantur festa, ideoque Annunciationis festum plurimis in provinciis, ac praesertim in Hispania celebrabatur die 18 Decembris ex Decreto Concilii Toletani X (656), uti tradit Baronius (*Not. Martyr. 25 Mart.*). Postea vero

Digitized by Google

duo festa in honorem B. Mariae celebrari coeperunt in Hispania, die 25 Martii more romano, sub titulo: *Annunciatio B. M. V.* altera die 18 Decembris, *Expectatio B. M. V.* (Cfr. Kellner, *L'Anno Ecclesiastico*, trad. Mercati, p. 207). De hoc loquitur Gregorius hoc loco; et quodammodo *proprium* festum pro tota Hispania esse voluit, forsitan in obsequium traditionis illius regionis. Nunc vero sub nomine *Expectatio partus B. M. V.*, etiam in Hispania et, licet iure non sit festum universalis Ecclesiae, de facto tamen ubique terrarum hodie celebratur.

(13) *Et quoniam dicta die iuxta Breviarium Romanum feria habet antiphonas proprias ad Laudes, ne antiphonae praedictae omittantur, et ut festivae singulis annis in illa provincia decantentur, mandamus ut dictae antiphonae feriales, quae in die qua officium Expectationis celebratur, dicendae essent, reponantur die XVI Decembris.* Ut recte intelligatur haec constitutionis dispositio, Rubricam quae in Breviario legitur post Dominicam III Adventus prae oculis est habenda. Cum enim in sex Feriis ante Vigiliam Nativitatis quaedam antiphonae propriae assignentur ad Laudes et per horas dicendae, incipiendo a die 17 Decembris, in Hispania ob celebrationem praedicti festi Expectationis, perpetuo impeditae remanebant antiphonae feriae die praedicta 18 occurrentis. Ideoque ne penitus perirent, voluit Pontifex ut die praecedenti dicerentur, sicut ex citata Rubrica antiphonae illius feriae quae cadit cum festo S. Thomae, transferuntur in Sabbato sequenti.

Laudanda quidem est huiusmodi dispositio, quae luculenter demonstrat quanta veneratione tunc tenebantur officia ferialia.

(14) ..... *omissa ea quae ad Canticum dicitur, cuius loco etc.* Non nemini forsan levioris momenti dispositiones hae rubricales apparebunt; quibus distincte explicatur quid sit agendum quando festum Expectationis in Sabbatum venerit; tunc enim antiphonae transferendae a die S. Thomae, reponendae erunt dicta die 17. Sed e contra videant, qui Rubricas parvipendunt, quanto sint honorandae, si de minimis etiam agit Summus Pontifex in solemni constitutione.

Digitized by Google

(15) *Item festivitas S. Isidori Archiepiscopi Hispalensis, pro quo celebretur Officium doctoris et recitetur* Credo *in celebratione Missae.* S. Isidorus Ep. Hispalensis, toto iure inter Doctores Ecclesiae adnumerandus erat. Nihilominus in Hispania tantum eius festum celebrabatur, tamquam Doctoris Tandem S. R. C. per Decretum 25 Aprilis 1722, iussu Innocentii XIII, eius festum, cum doctoris qualitate ad universam Ecclesiam extensum est.

(16) *Insuper celebratur festivitas S. Annae, Matris B. Mariae Virginis in omnibus locis ubi fuerit ecclesia vel capella dictae Sanctae ad praesens, vel ubi aedificabitur ecclesia in futurum.* Almi Parentes B. Mariae Virginis, non in tota Ecclesia, remotioribus saeculis sacrum cultum obtinuerunt. In Menologio constantinopolitano (saec. VIII) memoria eorum agitur die 9 Septembris, prout apud Graecos fit et hodie. Procopius (*de aedif.*, I, 3) tradit, Iustinianum I Constantinopoli ecclesiam extruxisse in honorem S. Annae. S. Leo (772-795) imagines Ioachim et Annae in basilica S. Mariae *ad praesepe* pingi iussit. Urbanus VI (1378) indulsit cultum S. Annae ecclesiis Angliae, et Sixtus IV, illum probavit pro tota Ecclesia (cfr. Kellner, p. 240). Nihilominus, in Breviario Romano S. Pii V, non habetur festum S. Annae, quod inscriptum non fuit nisi anno 1584 a Gregorio XIII, scilicet undecim annis postquam pro Hispania huiusmodi festum recognovisset. In ecclesiis enim Hispanicis, ut constat ex Breviario Toletano saeculi XII, iam agebatur S. Annae festivitas, ideoque inter festivitates nationis illius hanc ipsam recognovit et celebrandam adprobavit in cappellis et ecclesiis dictae Sanctae dicatis vel dicandis.

Notandum, quod cultus erga Matrem Deiparae, maius semper accepit incrementum in Ecclesia, iuxta illud quod obtinuit sensim sine sensu mysterium Immaculatae Conceptionis B. Mariae eius Filiae praeclarissimae. Gregorius enim XIII anno 1584 festum indixit eius in universa Ecclesia; Clemens VIII ad ritum *duplicis maioris* evexit; Gregorius XV inter festa cum feriatione ubique celebranda adnumeravit; tandem vero, post definitum dogma Immaculatae Conceptionis, Leo XIII ad ritum extulit duplicis secundae classis.

Digitized by Google

(17) *Item concedimus ut quaelibet ecclesia et monasterium Hispaniae, habens aliquas reliquias insignes, puta caput, brachium, vel crus alicuius Sancti.* Notabilis est haec dispositio; ipsa enim decretum praevenit S. R. C. n. 460 (*d. d. 8 Aprilis 1628*) in quo: *insignes reliquias declaravit esse corpus, caput, brachium, crus, aut illam partem corporis in qua passus est Martyr modo sit integra, etc.*

Semper Ecclesia summo honore et specialibus festis corpora et reliquias Sanctorum venerata est; Concilium autem Turonense VII, anno 858 coactum (Mansi, *Suppl. I, col. 341, c. 61*) statuit: *Sanctorun quorum corpora in ecclesiis possidentur, festivitates agendas esse.*

Quoniam vero reliquiae corporis, si insignes sint, pro toto corpore habentur, Gregorius XIII primo, et postea S. R. C. per citatum decretum, et per alia plurima, n. 1234, 1722, 1825, 1853 et 2180 declaravit, officium ratione reliquiae in aliqua ecclesia institui posse, dummodo reliquia sit *insignis, integra* et *adprobata*; habeatur in ipsa Ecclesia, et sit alicuius Sancti in Martyrologio Romano descripti.

Ex S. R. C. recentiori decreto n. 4041 *insignes* nunc reliquiae, non solum sunt *caput, brachium, crus,* vel ea pars in qua Martyr passus est, sed etiam *anterior* pars *brachii* vel *superior*, ideoque et *cruris.*

Licet autem in S. R. C. decretis nn. 460, 1334 et 1890 prohibeatur, ne officium agatur, ratione reliquiae, nisi in ecclesia ubi asservatur, nihilominus ut innuit Gregorius XIII hoc loco etiam per totam dioecesim conveniens est ut fiat; dicit enim: *in ea ecclesia vel dioecesi requiescunt.* Sufficiens ergo ratio habenda est, ut in calendario perpetuo alicuius dioecesis concedatur officium illius Sancti, cuius reliquia insignis custodiatur in aliqua ecclesia illiusmet dioecesis.

Quoad conditionem ut nomen Sancti, cuius habetur reliquia insignis, inscriptum sit in Romano Martyrologio, notanda duo sunt:

1° Quod oportet ut authentice constet de identitate illius Sancti cuius nomen in Martyrologio inscribitur; nempe ille sit revera, non autem homonymus, ut decrevit S. R. C. n. 1234, 1853.

Digitized by Google

2° Quod non est necesse ut nomen Sancti sit descriptum in Martyrologio Romano, sed sufficit ut sit in Appendice dioecesana vel Ordinis ad ipsum Martyrologium. Ratio est quia si S. R. C. decr. 3876 (*d. d. 13 Dec. 1895 ad 5*) declaravit valide posse Episcopum pro Titulari alicuius novae Ecclesiae designare sanctum cuius nomen vel in Martyrologio, vel in supplemento dioecesis reperitur, eo magis officium recitari poterit.

Ceterum exempla plurima habentur in Appendicibus ad Martyrologium pro diversis Religionibus in quibus multi habentur Sancti quorum nomina in Martyrologio desiderantur. Imo et in festis per hoc decretum a Gregorio XIII Hispaniae concessis, habentur. S. Nicolaus Factor, S. Caecilius Ep. et M.; Ss. Hermentorius et Celedonius; S. Florentina; S. Raymundus de Tetero; S. Telmus; S. Firminus Episc. M.; S. Liberata V. M.; S. Petrus Oxom. Ep.; Sanctusque Bernardus Calvus Ep., qui in Martyrologio Romano, ab ipso Gregorio XIII tunc emendato: non sunt descripti.

Porro, cum grano salis accipienda est locutio illa: *ut sint descripti in Martyrologio Romano*; nam ipse Gregorius XIII, tam in Rubricis Martyrologii, quam in sua constitutione *Emendatos* (*d. d. 14 Ianuarii 1504*), quae in fronte ipsius Martyrologii legitur, aperte declarat: *Si quos alios habuerint Sanctos in suis Ecclesiis aut locis celebrari solitos, eos... separatim descriptos habeant*; quorum nomina in lectione Martyrologii, *legi poterunt etiam primo loco, si de illis ibidem agatur Officium.*

(18) ..... *etiam alienigenae non existentis in Breviario, vel de quo in dicto Breviario fit tantum commemoratio.* Sanctus aliquis, cuius habes reliquias insignes, licet *naturalis* non sit, naturalis in sensu lato evadit, ob reliquias quas tua ecclesia possidet. De eo ergo licet in Breviario non sit, vel licet in Breviario habeat tantum commemorationem, festivitatem ages.

(19) ..... *possit illius festivitatem celebrare et officium duplex facere.* Ritus duplex festivitatem solemnem significat, qua toto iure honorandus est Sanctus cuius habetur reliquia. Citata S. R. C.

Digitized by Google

Decreta eumdem ritum assignant huiusmodi festo Reliquiarum, sicut et *Credo* in Missa. Corpus enim et reliquiae insignes quae in ecclesiis asservantur, testimonium fidei nostrae sunt, iuxta illud: *Sub altare Dei omnes Sancti clamant*; clamant scilicet testificantes fidem in qua vixerunt, et pro qua, Martyres praesertim, pugnarunt in terra; bene ergo, ratione reliquiae insignis *Credo* dicitur in Missa.

(20) *De alio Sancto eodem die occurrenti, si fuerit simplex fiat commemoratio; si vero fuerit duplex vel semiduplex transferatur in primam diem simili festo non impeditam.* Haec dispositio non indiget ulla illustratione, quia iuxta posteriora S. R. C. Decreta idem semper faciendum est in casu. Ratio est quia Sanctus cuius habetur reliquia, uti diximus, *proprius* est illius Ecclesiae; et cum festum proprium praevaleat super generale, illud erit agendum cum commemoratione vel translatione istius.

(21) *Et quoniam in Regno Castellae in pluribus ecclesiis celebratur die XXX Decembris translatio S. Iacobi Apostoli Hispaniarum patroni.* Corpus huius Apostoli Iacobi maioris, saeculo v adhuc servabatur Hierosolymis, ut habetur in Venantio Fortunato (*Carm.* VIII, 6. Cfr. *Kirchenlexicon*, art. *Compostella*); saeculo vero IX in civitate Compostellana summo honore colebantur ut Balbulus affirmat (Migne, 131, 1125). Igitur translatio huius corporis historica est, et ab Apostolica Sede comprobata, licet adventus ipsius S. Iacobi in Hispaniam, hodie a viris doctis non admittatur (cfr. Duchesne, *Annal. de Midi.*, 1900, XII). Ceterum S. Innocentius I (401-417) in Epistola ad Decentium (XXV, c. 2; Migne, 20, 552) iam suo tempore negabat, ullum ex Ss. Apostolis Christi in Hispaniam appulisse, ibique ecclesiam aliquam fundasse.

(23) ... *volumus ut in eo anno festum ipsum S. Thomae transferatur ad primam diem duplici non impeditam*... Ad hanc praescriptionem forsitan appellabat D. Diversini unus ex Caeremoniarum Apostolicarum Magistris anno 1735, in suo voto, de quo scribit Meratus (sect. 3, c. 10, 3). Ipse enim affirmabat, bene posse

Digitized by Google

aliquando festa quae supersunt hoc anno, in sequentem transferri, quod tamen, et opportunissime abstulit S. R. C. per decreta sub nn. 4039 et 4055 antiquae collectionis, indebite omissa in nova, quae citantur a Merato (loc. cit.). Cum enim translatio duplicium maiorum et doctorum adhuc sit licita, nescitur quomodo omissa fuerint haec duo decreta, quae luculentius et fusius rem attingebant quam decretum n. 1969, quod in nova invenitur.

Porro, licet hodie translatio *accidentalis* ad sequentem annum prohibeatur, repositio vero *perpetua* bene fieri potest, et nonnulla habemus exempla in Calendario Cleri Romani, in quo festa S. Dionysii et S. Zosimi Pontificum impedita sua die 26 Decembris celebrantur sequenti mense Februarii, et in ipso Breviario Romano festa S. Ioannis Chrysostomi et S. Francisci Salesii impedita infra Octavam Nativitatis sequenti mense Ianuarii rite recoluntur.

(24) ..... *quae erit Vigilia Epiphaniae, et tunc de Vigilia fiat tantum commemoratio.* Singularissima prorsus haec est dispositio; nam Vigilia Epiphaniae sui generis est et iuribus gaudet quae Dominicis tribuuntur. Guyetus ad rem (*l. 4, c. 12, q. 7*) habet: « Quod Vigilia Epiphaniae, aut Dominica sit, aut instar Dominicae, constat vel ex hoc uno, quod de ea fiat commemoratio pridie in Vesperis, contra rationem Vigiliae, cuius officium nonnisi a Matutino incipit ».

Hinc habet ritum semiduplicem. Iuxta Gavantum (*sect. 6, c. 7, n. 1*) « si occurrat in hac Vigilia (nempe die 5 Ianuarii) festum duplex, de Vigilia fit commemoratio tantum, cum nova lectione de homilia Vigiliae, quia duplici officio occurrenti eodem die cedit semiduplex ».

Et sequitur docens: « De duplici *translato* (intellige de translato *accidentaliter*) non fit in ea, quia est officium novem lectionum, cui etiam Dominica cedit. Si occurrat in ea festum semiduplex, transfertur post Octavam Epiphaniae eadem de causa ».

Hisce tamen non obstantibus, in patriarchalibus Urbis Basilicis, iam a tempore Merati, et hodie in calendario pro Clero

Digitized by Google

Romano S. Telesphorus Papa, cuius natale occurrit in hac vigilia cuiusque officium est duplex, non celebratur sua die natalitia, sed perpetuo in die 12 Februarii reponitur.

Concludit Gavantus: « Quod si fuit concessum Hispanis a Gregorio XIII posse in hac vigilia fieri officium de S. Thoma Cantuariensi, ob festum Translationis S. Iacobi, est singulare privilegium, non lex ».

*Distingue tempora, et concordabis iura* dicunt legisperiti; huiusmodi dispositio *lex* erat tempore Gregorii XIII, non solum privilegium; prius quidem quia tunc vigilia Epiphaniae eadem lege regebatur ac feria VI post octavam Ascensionis, cuius officium semiduplex admittit duplicia translata et semiduplicia occurrentia, nec non admisit quoque translata usque ad annum 1882, quo translatio duplicium et semiduplicium ablata est; secundo, quia, ut vidimus, illis temporibus prohibita non erat translatio accidentalis festorum ad annum proximum sequentem.

De hac vigilia agens cl. Solans, caeremoniarius in cathedrali Urgellensi (*sec. 3, c. 2, n. 665*), concludit: « Notese que con las nuevas Rubricas, y principalmente con el decreto del 24 de febrero 1896 que pondremos en su lugar, ha caducado el privilegio de trasladar el oficio de Santo Tomas Cantuariense a la Vigilia de la Epifania, concedido por el Papa Gregorio XIII ».

Cui sententiae libenter nos subscribimus, non moti a citato decreto quo festum S. Thomae ad ritum duplicem evectum est, quod in casu faveret legi Gregorii XIII, bene vero a constitutione Leonis XIII, qui duplicium et semiduplicium translationem prohibuit. Ideo cum hodie festum S. Thomae translationis iure careat, certo certius in Vigilia Epiphaniae non amplius celebrari poterit.

Reliqua quae sequuntur in hac celebri Constitutione, nil speciale ad rem nostram habent; confirmantur autem leges S. Pii V circa cautelas pro futuris editionibus Breviarii et Missalis in Hispania.

Doct. PETRUS PIACENZA.

Digitized by Google

# Acta Academiae Liturgicae Romanae.

*Die 7 Martii 1906*, in S. Aede Congregationis Missionis prope Curiam Innocentianam, habitus est Conventus academicus, in quo Rev. D. Iulius Pietromarchi, Almi Collegii Capranicensis alumnus, quaestionem enodavit:

## De usu caputii pro bireto in Regularibus.

Post Censorum animadversiones et placita, alter ex illis, Rev.mus D. Chalcedonius Mancini P. C. M. Academiae Moderator, epitomen resolutionum fecit, quam excepit pia collatio de ecclesiasticis officiis.

### Quaestionis propositio.

Inter Regulares viros, qui bireto nunquam utuntur, non satis convenit quo debeant modo uti caputio, seu cum sacris induuntur vestibus pro Missa agenda, seu cum eodem caputio utitur officium faciens in Vesperis. Plerique enim consueverunt caputium non adhibere, sed tantum amictum super nudum caput, quod illo coopertum retinent usque ad altare, in quo demittunt super scapulas, et ab altari recedentes iterum capiti imponunt. Idem in Vesperis agunt, amictu insuper caput ad *Gloria Patri* detegunt, et ad *Sicut erat* tegunt, uti saeculares presbyteri circa biretum agunt: quod et alias perficiunt, quando caput detegendum vel tegendum est. Alii vero capiti prius caputium superimponunt, et super illo imponunt amictum, utrumque vero super

Digitized by Google

scapulas demittunt, cum discooperire debent caput. Cum vero uniformitas in sacris ritibus sit peroptanda huic Academiae quaestio devoluta est, et nonnulla enucleanda ac resolvenda dubia proponunt. Hinc *quaerunt:*

1. *Quid dicendum veniat de origine et antiquitate bireti, utpote capitis tegumentum est, in sacrarum functionum usu, quidque de quorundam Regularium caputio, an locum in sacris habere possit?*

2. *Quid Rubricae Missalis pro Missa praescribant super tegendo capite, et quomodo observare eas debeant ac possint Regulares bireti usum non habentes?*

3. *Quid pro praxi dictis Regularibus suggerendum, ut in sacris functionibus agendis uniformes sint?*

**Solutio.**

I. Clericale biretum pars vel ut melius loquar complementum est habitus clericalis, et ad operiendum caput adhibetur, « nunc tantum in choralibus officiis ac aliis functionibus in Ecclesia, in processionibus et similibus extra ipsam, nec non in privatis domibus » (1) atque in concionibus: antea vero etiam extra functiones sacras inter ambulandum.

Quod expresse praecipiebat Concilium Provinciale Patriarchale Bituricense Provinciae Aquitaniae, mensis septemb. anni 1584, tit. 25, can. V (2): « Pileum quadratum sive biretum semper gerant in Ecclesia et extra Ecclesiam, nisi quoties coeli iniuria urgebit »; Synodus Brixiensis anni 1574, mandans ut clerici « non sine talari veste clericalique bireto per urbem incedant »; et Synodus Cremonen. ann. 1584: « Ferant semper consuetum clericale

(1) *Ephem. Liturg.*, ann. XV, 1901, pag. 202.

(2) Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio edi. Mansi etc. Parisiis, 1902, tom. 34, col. 1463-64.

Digitized by Google

biretum praecipue in Ecclesia et in processionibus et exequiis, nunquam vero pileum, nisi ratione itineris vel pluviae sub poena arbitraria » (1). Harum tamen legum biretum spectantium, quae ut Sacerdotes a laicis distinguerentur instituebantur (2), acerbitas non tanta saltem in praefatis locis ex decretis allatis apparet quanta in quibusdam Dioecesibus et forte etiam Romae aliquibus etiam post annis erat. Etenim sub Clemente VIII Congreg. EE. et RR. Episcopo Tropeae haec rescripsit: « Quae P. T. decrevit ut biretum potius quam pileum Clerici etiam per urbem ferant bona sunt ac vestem clericorum valde decent; at si quis aegrae valetudinis aut virium imbecillitatis causa pati non possit quominus pileum ferat, hoc ei non est denegandum; mittimus ergo P. T. hoc allegatum etc.... ut P. T. dignetur eius precibus indulgere ut pileum gerat cum intra tum extra urbem tantummodo ob incommodam valetudinem qua se laborare testatur » (3). Ex quo decreto patet Tropeae biretum non gerere quacumque de causa etiam ob infirmitatem prohibitum fuisse et solum ratione huius Sacram Congregationem indulsisse singulari exceptione. Eadem Sacra Congregatio sub Paulo V haec decrevit: « Non debet Episcopus edicto sancire ut sacerdotes, sub poena excommunicationis, biretum diu noctuque ferre teneantur; hinc enim multae obtingere possent infirmitates » (4). Ex his optime argui potest formam bireti tunc temporis communiorem eamdem non fuisse ac nunc est videlicet lateribus et cuspidibus charta crassa suffultis; huiusmodi enim bit reto capite tecto quiescere impossibile fuisset.

(1) Moroni, *Dizionario d'erudizione storico-ecclesiastica*, vol. IX, pag. 170, col. 2.

(2) Concil. Prov. Bergomens. ann. 1311, Rubr. V et XXXIII, quarum verba infra afferemus.

(3) Decr. *Tropeae*, 8 april. 1603. Quod decretum italice scriptum legimus in tabulario Congregationis.

(4) Moroni, *Dizionario* etc., vol. IX. pag. 170, col. 2ª refert hoc decretum sub titulo et die adscripta *Valenza*, 13 mag. 1610: sed decretum hoc nec a Rev.mo D. Archiv. S. Congr. inveniri potuit sub hoc titulo et die neque a nobis sub hoc titulo, quamvis totum annum 1610 scrutaverimus.



Digitized by Google

Initio biretum rotundam habebat formam ut videre est ex monumentis saeculi XIV, e. g. ex sculpturis chori in S. Ambrosii Mediolani, et ad finem saeculi XV haec forma permansit (1). Biretum tunc signum erat dignitatis, saeculo enim XV saltem in Italia biretum tantum viri nobiles, in amplissimo dignitatis gradu positi et sacerdotes gestabant (2). Cum vero initio saeculi XVI bireto et vulgares homines uti coeperint et tam communis hic usus evaserit ut qui eo non uteretur satelles vel scelestus videretur (3) tunc viri qui togati dicebantur ac sacerdotes uti coeperunt bireto quadrato. Medio saeculo XVI clericale biretum iam formam obtinuerat quadratam quae usque ad nostram aetatem semper magis invaluit (4). In Metropolitana enim Mediolanensi Ecclesia, uti Magistretti testatur (5), parvus hermes Ioannis Andreae Vimercati, Protonotarii apostolici et Ecclesiae Mediolanensis Ordinarii († 1540) biretum formae fere modernae gerit, qualem in S. Caroli Borromei († 1584) imaginibus, ipso adhuc vivente vel paulo post eius mortem effectis, contuemur.

Ipse Borromeus fortasse Roma Mediolanum illud introduxit (6) vel potius eius usum communem reddidit. Altera vero saeculi XVI parte universe haec forma invaluit, ut perspicuum est ex iam citato Can. V Conc. Bituricensis, et eo magis erit ex mox citandis decretis. Antiqua bireti quadrati forma quatuor partibus constabat in quarum summitate crux exprimebatur, ut decernebat Concil. Aquense ann. 1585, tit. *De vita et honestate clericorum*: « Biretum... semper gerant in crucis modum consuetum ut ecclesiasticos homines

(1) Vide illustrationes operis Magistretti « *Delle vesti ecclesiastiche in Milano* », Cogliati 1897, tab. I, fig. 2am, tab. II, fig. 3am et 5em.

(2) « Liber Primicerii Maioris » editus ann. 1408 a presbytero Antonio Confalonieri, qui servatur in Archivio Capitul. Metrop. Mediol., minio pictum exhibet concilium quoddam totius Cleri: ibique Sacerdotes capite operti repraesentantur bireto rotundo qui rubro, qui nigro, qui violaceo...

(3) B. Varchi, *Storia di Firenze*, cap. *Del modo di vestire dei Fiorentini*.

(4) Magistretti, *Delle vesti ecclesiastiche in Milano*, pag. 35.

(5) *Delle vesti* ecc., pag. 36 e 37 nota.

(6) Magistretti, l. c.

Digitized by Google

decet (1). » Concilium autem Mechliniense ann. 1607 (2) tit. XVIII, can. IV ait: « Clericale biretum quod est ecclesiasticorum hominum proprium (ad crucis formam confectum) semper gerant (3) ». Conc. Provinciale Narbonense anni 1609, can. XIX: « Intra dictum sacrarium et non alibi induent se vestibus sacris; et deinde pileo quadrato in capite gestando... (4) ».

Serius autem, quo facilius digitis apprehenderetur, addita sunt sensim prominentiae quaedam in superiore parte bireti (5). Hae prominentiae progressu temporis immutatae sunt usque ad hodiernam formam.

In Italia bireti prominentiae tres sunt pro clericis, quattuor vero pro doctoribus.

Hoc tamen biretum doctorale, quod a clericali distinguitur, et ad vestem clericalem non pertinet, S. Rit. Congregatio, ne in ecclesiasticis functionibus adhiberetur, prohibuit ad dubium nimirum: « An in choro et processionibus, quae capitulariter aguntur, Canonicus, cui, ob magisterium et Lauream aut Licentiam in Disciplinis Theologicis vel Sacris Canonibus, facultas conceditur deferendi biretum cum quatuor apicibus; possit eodem bireto uti? » Respondit: Uti non posse in ecclesiasticis functionibus tali bireto (6). In Gallia vero in Germania, in Hollandia et in Hispania quattuor bireto prominentiae sunt.

(1) Sacr. Conc. nova et ampliss. collectio, Ed. Mansi etc.. Parisiis 1902, tom. 34, col. 967. Moroni, tom. V, ann. 1840, pag. 169, col. 1, et post eum, Migne, *Origines et raison*, etc., ed. 1863, col, 142 pro « consuetum » habent « consutum ».

(2) Daniel in suo *Manuel des Sciences Sacrées*, Paris 1903 non refert hoc concilium an. 1607, sed aliud Mechliniae ponit anno 1570, quod in *Collectio* Mansi non invenitur.

(3) Sic Migne l. c. et Moroni l. c.; sed Mansi op. cit., vol. 34 col. 1496 verba inter parenthesim posita non habet.

(4) Mansi, op. cit., tom. 34, col. 1496.

(5) A Carpo, *Compendiosa bibliotheca liturgica*, pars 1ª, art. VI, n. 240.

(6) *Venusina*, n. 2877, die 7 decembr. 1844; cfr. etiam *S. Iacobi de Cile*, n. 3873, die 6 sept. 1895 ad V.

Digitized by Google

Quonam autem tempore et a quo originem biretum duxerit in definiendo auctores non conveniunt. « Le figure maschili negli « affreschi contemporanei alla sepoltura nelle catacombe stanno « per lo più a capo scoperto (1) » et quod est magis ad rem: « L'art « antique représente toujours les clercs nu-tête (2) », et primis octo saeculis aperto capite sacrae peragebantur functiones: « Per quasi « ottocento anni si andò all'altare col capo scoperto. Così si usa « tuttora, (1ª mediet. saec. XVIII, ann. circiter 1716) in più Chiese « a Treviri, Toul, Metz, Verdun, Sens, Tournai: il celebrante e « li ministri vanno a capo nudo. A Cambrai solo il sacerdote va « coperto col cappuccio di una mozzetta, e tra li Premostratensi « copresi il sacerdote di un berrettone quadrato, ma il diacono « ed il suddiacono che lo accompagnano, sono scoperti, come « vanno tutti li Ministri di grado inferiore e li cherici del coro (3) ».

Ex his fortasse quidam auctores bireti usus initium saeculo IX ponunt. Cum ipsis Benedictus XIV videtur, saltem quoad aliquas ecclesias, sentire, dicit enim: « Romae et in plerisque aliis « ecclesiis nono saeculo bireti nullus erat usus (4) ». Attamen Benedicti XIV verba ita sumi possunt, ut nihil ipse affirmet vel nihil affirmare voluerit de ceteris ecclesiis neque de tempore quo

(1) Wilpert, *Le pitture delle catacombe*, testo, pag. 83, n. 45: « Virorum effigies murales, sepulcris acquaevae, in hypogeis (catacombe), aperto capite plerumque exhibentur ».

(2) F. X. Kraus, *Histoire de l'Eglise*, trad. franç. neuvième édit. Paris 1904, tom. I, pag. 355: « Ars antiqua clericos nudo capite semper repraesentat ».

(3) Le Brun, *Spiegazione letterale, storica e dogmatica delle preci e delle cerimonie della Messa*, trad. A. M. Doñado, Verona 1752, tom. I, pag. 41, n. 3: « Per octo circiter saecula, ad altare aperto capite incedebatur. Hic mos adhuc viget in pluribus Ecclesiis: *Treviri, Toul, Metz, Verdun, Sens, Tournai;* ubi Celebrans et ministri nudo capite incedunt. Cameraci Sacerdos tantum caputio cuiusdam mozettae opertus pergit, et apud Praemonstratenses operitur Sacerdos magno bireto quadro, sed Diaconus et Subdiaconus qui cum eo incedunt, nudo capite, prout et omnes inferioris gradus ministri, et clerici chorales ».

(4) *De Sacrosancto Missae Sacrificio*, l. 1°, cap. IX Op., vol. IX, ed. II, latina, Romae 1748, pag. 46.

Digitized by Google

biretum originem habuerit. Moroni (1) priori sensu Benedicti XIV verba interpretatus est, ea italice vertens et sibi usurpans.

Quidam autem dum affirmant saeculo IX introductum usum bireti, ingenue fatentur, nullam de bireto esse notitiam, praeter quam in vita S. Ivonis, mortui anno 1303: « Quamvis certum habendum videatur saeculo IX biretum in sacris introductum fuisse, nihilosecius primam explicitam mentionem illius (bireti) in vita S. Ivonis invenimus, qui anno 1303 defunctus est ». Sic in *Ephem. Liturg.* (2) vertebat ex Moroni, C. Piccinelli. Quae cum ita sint, quomodo, ab eis petam, ipsi cognoverunt, usum bireti originem habuisse saeculo IX, deficientibus ad hoc demonstrandum documentis? Nonne melius est, talem deficientiam fateri, quam factum, criticae perquam elementari non resistens, asserere? Nos admittimus argumenta usque ad saeculum IX nulla esse pro usu bireti, immo contraria adesse asserimus. Nam, ut bene *Ephemerides Liturgicae* (3) demonstrant, « tantum circa saeculum nonum fit amictus vestis liturgica communis » – « et (4) sub saeculo circiter decimo aliquod tegumentum capitis amictus evadit ». Quia autem, ut notat Benedictus XIV (5), evidens est, usum bireti non fuisse introductum dum adhuc amictu caput tegebatur; inde concludendum est, nullum fuisse neque introductum esse saeculo IX usum bireti. Paullo post medium saeculum X, ex sententia quorumdam, prima bireti mentio invenitur. Etenim affirmant anno 956, Ioannem XII, de dignitate episcopali Episcopum Cadurcensem depellentem, iussisse, ipsum praeterquam aliis sacris vestibus, bireto spoliari (6). Sed de hoc nihil reperi, quamvis multum inquisierim. Posita tamen facti huius veritate, cum de deiectione a dignitate agatur, inde argumentum pro bireti, uti habitus

(1) Vol. cit., pag. 168, col. I.
(2) Anno 1901, pag. 203.
(3) Anno 1900, pag. 123.
(4) Anno 1900, pag. 306.
(5) Vol. cit., pag. 47,
(6) MORONI, pag. 155, vol. cit.; *Ephem. Liturg.*, 1901, pag. 201.

Digitized by Google

clericalis, existentia sumi non potest, sed tantum pro bireti, uti signi dignitatis: « Saeculo vero undecimo bireti nomen adhibitum invenitur ad tegumen quoddam corporis indicandum, Summi Pontificis proprium. Videtur tamen hic agit de camauro; et sane Benedictus XIV scribit, antiquitus, ecclesiasticos bireto (ipse revera dicit pileo) (1) usos fuisse in formam Camauri (2). Undenam haec notitia hausta sit nescio; in ipsa tamen non agitur de nostro bireto. Landulphus Senior vero (1045-1110) testimonium praebet (3) quod in Ecclesia Mediolanensi « nullus sine *caputio birri* capite velato intrare audebat (4). » Ergo etiam a saeculo XI, non faventia, sed contraria habemus argumenta. Beroldus, saec. XII nullam bireti mentionem facit, uti testatur Magistretti (5), qui quidem de Beroldo iudicium ferre potest, quum illius operum editionem curaverit. Medio saeculo XIII extat decretum Synodi Dioecesanae Mediolanensis, habitae ab Archiepiscopo Fr. Leone a Perego: «. Omnibus Praelatis... infulas albas discoopertas vel etiam sub biretis, necnon bireta cum mazis (vel maxis) in publico prohibemus » (6). Magistretti (7) retinet ex hoc decreto argui posse, medio saeculo XIII licitum fuisse usum bireti sine maxis; existimat tamen hoc biretum habitus choralis partem non esse (8). Opinionem suam probat incisione quadam, repraesentante ex quodam codice anni 1280 (Bibliot. Ambros. cod. sign. P. 165, sup. f. 29), effigiem minio pictam, sed rudi arte, Ulderici Scaccabarozzi († 1293), Archipresbyteri Ecclesiae Mediolanensis, ante Episcopum, a quo librum recipit, genuflexi. Hic albo ca-

(1) Loc. cit.

(2) *Ephem. Liturg.*, 1901, pag. 201.

(3) *Histor. Mediol.*, lib. II, cap. 35.

(4) Cfr. MAGISTRETTI, op. cit., pag. 14, nota 1.

(5) Op. cit., pag. 35.

(6) GIULINI, *Memorie di Milano*, t. VIII, pag. 659.

(7) Op. cit., pagg. 11 et 35.

(8) Accurate loquendo, neque nunc biretum est indumentum chorale iuxta decr. Venusina, n. 2877, 7 Dec. 1844, in quo dicitur: biretum non est chorale indumentum.

Digitized by Google

misio et purpureo pallio (cappa), quod est verus birrus, cum caputio indutus exhibetur, et capite detecto (1). Iamvero undenam argumentatur Magistretti, habitus choralis biretum partem non fuisse? E carentia bireti vel e praesentia caputii? E neutro mihi videtur argui posse. Non e primo, quia cum Uldericus repraesentetur ante Episcopum genuflexus, incongruum fuisset, ipsum operto esse capite; neque manibus biretum tractare potuisset, cuiu ipsas extendat ad librum recipiendum. Non e secundo, quia multae extant imagines pictae, quarum aliquas ipse Magistretti in libro citato refert, sacerdotum pallio capulato indutorum, opertorumque capite bireto, quod et Synodus Prov. Bergomensis, habita a Castono vel Cassono Mediolanen. Archiep. anno 1311, Rubr. 33, praecipit: « Praesenti constitutione, sacri approbatione Concilii sancimus, statuimus et firmamus, quod nullus Cathedralis Ecclesiae Canonicus, seu Praelatus vel Rector regularis vel saecularis Collegiatae vel Parochialis Ecclesiae, cuiuscumque ordinis et conditionis existat, intra civitatem, dioecesim et provinciam Mediolanensem constitutus, caputium ad formam, sicut vulgariter dicitur, supra caput portare praesumat, sed circa collum vel post collum portent capitium omnes et singuli supradicti et biretum supra capita deferant, attonsis capillis et decenti corona, ut sicut a laicorum coetu separati esse noscuntur, etiam ab ipsis vita et moribus dividantur (2) ». Sed Synodi Mediolanensis anni 1250 decretum non spectare usum bireti in Ecclesia, clare apparet e contextu, qui Ecclesiasticorum respicit vestes extra Ecclesiam ferendas (3), ac proinde verba illa, « *in publico prohibemus* » locum spectant extra Ecclesiam.

Primam explicitam mentionem illius (bireti) in vita S. Ivonis invenimus, qui anno 1303 defunctus est. Ibi loquens Surius de

(1) Cfr. MAGISTRETTI, op. cit., pag. 14.

(2) Ex manuscripto Cod. Bibliotecae Ambros. ed. a Mansi, *Sacr. Conc., nova et ampl. collectio.* Venetiis, 1782, tom. 25, Rubr. XXXIII, col. 511-512.

(3) Cfr. GIULINI, op, cit, tom. VIII, pagg. 60 et seqq., 659 et seqq., et MAGISTRETTI, op. cit., pagg. 10 et 11, qui illius verba refert.

Digitized by Google

eximia huius sancti erga pauperes caritate, narrat, quomodo, cum esset ille quondam iter faciens, et obvius ei factus pauper stipem efflagitans, et nihil aliud tunc secum haberet ut illi subveniret, *proprium clericale biretum* eidem est elargitus. Quod et ab aliis agiographis v. g. Ribadeneira, Chevet, in eiusdem Sancti vitae descriptione, itidem enarratur. Ita in *Ephem. Liturg* (1). D. Cletus Piccinelli. Surius vero haec habet: « Visitabat quandoque (S. Ivo) paroeciam suam, occurritque illi homo egentissimus, petens ab eo stipem. Sed cum nihil haberet, quod illi largiretur, *Capitium* sibi detraxit et pauperi dedit. Vix dimidii autem milliaris confecto itinere, capitium suo sensit capiti restitutum (2) ». Curnam, a Surio tam discrepet Piccinelli ut pro « *Capitium* » hic habeat *biretum clericale*, clare intelligitur a conferentibus articulum quemdam Moroni (3) cum dissertatione Piccinelli, qui ad verbum illius, tam incuriosi in hac parte, articulum exscripsit (4). Concilium autem Provinciale, Bergomi a Cassano della Torre, uti dictum est, anno 1311 coactum, praecipit (Rubr. V) ut ecclesiastici Mediolanensis provinciae in Ecclesia Cathedrali sacris functionibus « intersint discooperto capite, aut cum biretis in capite ad modum laicorum capucia non habentes ». Hinc approbasse videtur bireti usum in Ecclesia, qui iam pridem inceperat, ita ut eius originem ad initium saeculi XIV vel ad finem XIII referre debeamus. Certum tamen est, hunc usum

(1) Anno XV, 1901, pag. 203.

(2) *De probatis Sanctorum historiis, etc.*, tom. III, pag. 403. Coloniae Agrippinae, 1579.

(3) Op. cit., vol. V, pag. 168, col. 1.

(4) Ad rem aliqua dicemus: Valde exoptat nostra Academia, et enixe RR. Disserentium attentionem expostulat, ut non tantum liturgicas tractationes sed etiam historicas inquisitiones, originales quo possibilius et methodo scientifica elucubratas curent confici; auctoritates proinde adductas compulsari, et testimonia rite probata, non ad solum allati auctoris nomen limitari, sed et ad titulum, volumen et paginam operis etc. produci, ita ut omnibus potestas sit et loca conferre et rei veritatem inspicere. Tunc ad hodiernae critices tramites exaratae haberentur disceptationes, et in similes errores, qui severiorem instituere revisionem nequimus, non incideremus.

Digitized by Google

serius universaliter receptum fuisse; sub saeculi enim XIII finem, consuetudo caput amictu operiendi communiter recepta describitur: « Illo (amictu) caput operimus, ne circumquaque libere prospiciendo illicita cogitemus ». Ita Durandus († 1296), qui nihil omnino de bireto habet (1).

Nonnulli auctores, Macri (2) forsan sectantes, bireti originem ducunt ex *Camelaucio* (3), quod nihil aliud est, quam galerus quidam sat altus, rotundaeque formae, qui saeculo IV adhibebatur. Alii e contra illud ex caputio birri derivant; quos inter est Magistretti idipsum affirmans (4). Attamen si bireti etymologiam, ex voce *Birrhus* (5) derivantem (ut Armellini quoque opinatur) (6), necnon eius usum in substitutionem caputii vel birri, cuius limbus primitus bireti locum tenebat, perpendimus, eorum opinio, biretum e camelaucio derivantium, omni prorsus certitudine destituitur.

Non omnes Ecclesiastici bireto utuntur.

Religiosi, ad Ordines Medicantium pertinentes, clericale biretum non adhibent. Ex his excipiuntur Minores Conventuales et Praedicatores Divi Dominici, qui dum Poenitentiarii munus in Basilicis Vaticana et Liberiana exercent, si sacerdotalibus vestibus induti Pontificali vel aliis Summi Pontificis functionibus intersint; bireto utuntur: Patres quoque Societatis Iesu biretum absolute ferunt. Ceteri vero Religiosi Mendicantes (illi quidem qui antiquorum moribus perstiterunt) loco bireti, caputium adhuc retinent, quod communiter (7), etiam inter saeculares Presbyteros, *antequam Pileus adoptatus fuerit*, consueverat. Istis praescriptum fuit biretum, ut caputium ferre sinerent; ut constat ex Concilio

(1) *Rationale div. Officior.*, lib. III, cap. II, n. 2. Edit. Dura, Neap., 1859, pag. 104. Cfr. etiam *Ephem. Liturg.*, ann. 1900, pag. 307.

(2) Hierolexicon, ad verbum *Camalaucium*.

(3) ARMELLINI, *Lezioni di arch. crist.*, pag. 421.

(4) Op. cit. pag. 35.

(5) DU-CANGE.

(6) Loc. cit.

(7) B. VARCHI, *Storia di Firenze*; SURIUS, loc. cit.

Digitized by Google

Provinciali Bergomensi, iam citato, Rubr. 33 et seqq., anno 1311 habito.

Caputium vero etymologice a quo derivat? Nonne ex antiquo *Cucullo*, qui forma quaedam peculiaris erat *Paenulae*? Haec autem pannus quidam erat formae plus minusve rotundae, in cuius medio hiatus ad caput introducendum aperiebatur; quae corpus tegens, per circuitum omnino clausa pendebat. Cucullus igitur nihil aliud erat quam huiusmodi paenula, cum caputio, quod collum et caput tegeret, quodque apud Romanos valde consuetum erat. In Theodosiano Codice, hanc legem, anni 382, reperimus: « Servos sane... aut birris uti permittimus aut cucullis ». Quoniam vero Monachi *Servi Dei* appellabantur, factum est ut cucullus penes ipsos invaluerit. Et reapse, veteres Benedictinorum effigies, eos cucullo amictos repraesentant. Imo cucullo ipsi plerumque utuntur, tum in Dominicis et feriis, quum in Psalmodiis recitandis; qui tamen cucullus, idem manens quoad essentialia, modificationem quandam, iuxta alterutrum usum subit. Consuetus ipsis cocullus solemnior est, et in choro adhibendus. In Casinensi Codice 99, saeculi XI, minio picto, S. Benedictus et quidam alius Abbas, huiusmodi cucullo induti repraesentantur. Oculis obiicitur quidam velut saccus, sat amplus et pictricius, atque perpulchre flexibus compositus, retro ferens caputium. Cassianus autem (saec. IV) iam tum monachos caputium gessisse affirmabat. Hoc, uti patet, ad remotissimam antiquitatem accedit.

Nunc vero utrum caputium possit in sacris functionibus biretum supplere expendamus.

Aiunt nonnulli: Caputium apud Regulares locum tenet pilei, quem gestare nequeunt; iam vero, certissimum est, Clericos in sacris et liturgicis functionibus pileum ferre non posse, quemadmodum non poterant bireto uti, quando hoc ut simplex capitis tegumentum adhibebatur; ergo neque Regulares uti possunt caputio, quod ipsi loco pilei gerunt. Sed haec conclusio nimis probat, ergo nihil probat. Locum tenet pilei extra Ecclesiam, concedo, intra Ecclesiam, nego: hic enim potius locum bireti tenet quod

Digitized by Google

gestant clerici saeculares et Congregationum Regularium: imo minus, seu quasi locum pileoli, cuius usus latius patet. Cfr. v. gr. *Constitutiones* Eremitarum Camaldulensium Montis Coronae, visas et approbatas a Clemente IX, cap. XIX, nn. 11 et 12. Verum casus noster est de tegendo capite dum officium faciens sacris induitur paramentis. Nec aliquid valet citare Decretum 15 Maii 1900, q. I, quo Regularibus, qui utuntur parvo caputio et pileo, usus bireti euntibus ad Altare et redeuntibus conceditur. Quia notandum est, ante omnia, ad hoc ut difficultas aliquid valeat, necessarium esse demonstrare huiusmodi regularibus, parvum caputium gerentibus, concessum fuisse usum bireti, eo quod in functionibus uti caputio non possent; quod certe demonstrari nequit ex responsione S. Congreg., quae in suis responsis semper principale quaestionis obiectum spectat, et secundarias res praeterit, sicut patet ex Decreto n. 693, 19 Novembr. 1639, in quo Augustinianis postulantibus: « An celebraturi incedere debeant cum pileo, quo in claustris utuntur, an vero caputio, prout utuntur alii Regulares amictu cooperto...: » ita respondet: « ut caput tegant cum amictu », quin ullo modo mentionem faciat, utrum necne ceteri regulares caputio, sub amictu, ad caput tegendum, uti possint. Iam vero quaenam sua mens fuerit quoad ceterorum Regularium caput cooperiendi modum, S. Congr. satis aperte demonstravit, tum ex Decreto supra citato tum ex Decreto 23 Augusti 1905, quod Minores, qui soli eam explicite hac in re, interrogaverunt, spectat. In his decretis, ut supradicti Regulares caput solo amictu tegant, praefinitur. In secundo autem sic additur: « Quod vero ad illas Ordinis Provincias seu partes attinet, quae ob peculiares difficultates et gravia timenda incommoda, alium tegendi caput modum, cum caputio, scilicet, amictu cooperto, sua consuetudine servaverint et adhuc servent, ut ipsis, ab observantia praesentis Decreti, circumstantiis perdurantibus, dispensatio concedi possit, eadem S. Congregatio rem prudenti arbitrio et conscientiae Rev.mi Ministri Generalis remittendam benigne existimavit ». Ceterum rectior et accuratior responsio haec mihi esse videtur: Regula-

Digitized by Google

ribus, qui parvum caputium gerunt, bireti usus concessus fuit, non quia, cum parvum caputium sit, eo uti impossibile sit, sed quia in huiusmodi Regularibus caputium nonnisi vestigium quoddam vel quasi ornamentum est antiqui habitus, ut ex. gr. in episcopalibus mozettis.

Verum est, Rubricas Missalis Carmelitici (1) disponere ut amictus ponatur *super caput caputio coopertum*; sed animadvertendum, id obiter dici, eo quod talis usus generatim erat receptus, tempore quo Rubrica illa scripta fuit: hodie vero, absque ulla peculiarem legem offendendi formidine, generali Decreto 1906 sese Carmelitae conformant.

II. Missalis Rubricae perpaucas, quoad operiendum vel cooperiendum caput, regulas exhibent. Praescribunt enim, ut Sacerdos, sacris vestibus indutus et calicem ferens, antequam e sacristia discedat, « facta reverentia Cruci, vel imagini illi quae in sacristia erit, capite cooperto accedit ad Altare... Cum pervenerit ad Altare, stans ante illius infimum gradum, caput detegit. Biretum ministro porrigit ». Peracta Missa, Sacerdos in planum descendens, facta Cruci reverentia vel Ss.mo genuflexione, « biretum accipit a ministro, caput cooperit ». Cum autem iens ad Altare vel inde rediens, ante Altare maius transire debeat, « capite cooperto faciat ad illud reverentiam; si ante locum Sacramenti, genuflectat; si ante Altare ubi celebretur Missa, in qua elevatur vel tunc ministratur Sacramentum, genuflectat et, detecto capite, illud adoret ». Regulares, qui bireti usum non habent, et eius loco utuntur amictu, qui pro ipsis proprium et liturgicum capitis Celebrantis tegumentum est; amictu caput tegant, eaque omnia circa amictum peragant, quae Missalis Rubricae circa biretum peragenda praescribunt.

III. Ex his quae superius hucusque disseruimus, ad primae Quaestionis solutionem, mihi concludendum videtur, omnibus supra dictis Regularibus, uniformitatis causa, consulendum esse ut,

(1) *Rit. servand. in celebr. Miss.*, I, 4.

Digitized by Google

cum eant ad Altare vel ab eodem redeant, amictum super nudum caput gerant, sicut Sacerdotibus saecularibus biretum gerendum praescribitur; quia, ut iam vidimus, contra S. Congregationis mentem esse arbitror, amictui supponi caputium, quod biretum supplet, atque inutile est et indecens. Quod quidem clarissime patet ex Decreto 3697, 7 Decembris 1888, in quo « prorsus indecens » esse dicitur, ut caputii extremitas « summitatem pluvialis excedat »; quod profecto accidit si amictui supponatur caputium.

Utrum autem amictus possit in omnibus biretum supplere, et quemadmodum istud toties quoties poni vel reponi possit; nullum auctorem, etiam inter Regulares, inveni, qui de hoc pertractet. Innixus tamen antiquae praxi, secundum quam Sacerdos ibat ad altare et ab eo redibat amictu capite tecto, manebatque, per totum divinorum Officiorum tempus et Missae, aperto capite; haec regula mihi videtur Regularibus esse suggerenda, quae procul dubio et antiquam revocat consuetudinem eamque confirmat, atque simplicior est et Sacerdotem ad saepe iteratas, quandoque ridiculas, capitis inflexiones non adigit. Ita fiet ut decor ille, qui, cum in omnibus tum praesertim in caeremoniis, ad divinum cultum spectantibus absolute imponitur, religiose custodiatur.

Digitized by Google

# Consultationes.

## I. — Dubiorum liturgicorum solutio.

E PLURIBUS LOCIS.

### De iure funerandi.

**Dub. 1.** – Quaenam iura competunt Religiosis sive proprie sive improprie dictis, quoad funera personarum saecularium?

**Resp.** – *a*) Regulares proprie dicti vota solemnia habentes, utpote a parochiali iurisdictione exempti, ex multis privilegiis concessis a Summis Pontificibus, ius habent celebrandi in suis ecclesiis officium funebre super cadaveribus defunctorum, qui sepulcrum gentilitium in ipsorum ecclesiis habeant, vel sepulturam seu funus inibi elegerint, salva tamen quarta funeraria pro defuncti Parocho, ad quem spectat cadaver associare usque ad ecclesiae regularis ianuam, ibique terminare preces ac dare cadaveri ultimum vale, idest simplicem benedictionem (S. C. Ep. et Reg., mens. Apr. 1717, *Alben.*). Insuper Regulares ius habent dandi in suis ecclesiis (absque ulla dependentia a Parocho, exclusa etiam quarta funeraria) sepulturam famulis intra septa monasterii degentibus sibique actu inservientibus, non autem alumnis seu adolescentibus qui studiorum causa in monasterio vivant, nisi sepulturam in ipsorum ecclesiis elegerint. Haec iuris communis principia sarta tectaque manent, non obstante civili Regularium suppressione, aut erectione publici coemeteri, quo materialiter dumtaxat immutatur sepulturae (non funeris) locus, uti pluries a S. Sede declaratum est. Neque Episcopus vi ordinariae potestatis expoliare potest Regulares exemptos praefatis privilegiis (cfr. P. Piatus Montensi, *Praelect. iuris regularis*, tom. II, part. V, cap. II, art. VII).

Ubi autem civiles leges vetant, quominus defunctorum cadavera in ecclesiam deferantur, servanda est Instructio paucis abhinc annis data a S. C. Ep. et Reg. (cfr. *Il Monitore eccles.*,

Digitized by Google

vol. XIV, pag. 300), quam hic integram exhibendam censemus:

« Funerum iuribus per plura SS. CC. Decreta consultissime moderatis, omnis praeclusus videbatur aditus quaestionibus, quae occasione electae in alia a parochiali ecclesia sepulturae tum ante tum post communium coemeteriorum erectionem inter defuncti parochum et ecclesiam tumulantem oriri solebant. At cum in Hispaniis civili lege statutum fuerit, ut defunctorum cadavera, quin prius ad ecclesiam afferri possint, a domo defuncti ad publicum coemeterium directe deducantur; hinc novis exurgentibus factorum circumstantiis, nova inter defuncti parochum et Regulares ecclesiae tumulantis enata est controversia circa cuique spectantia funebris associationis iura. Re ad hanc Sacram Congregationem negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium expediendis dirimendisque praepositam delata, E.mi ac R.mi Patres in Generalibus Comitiis habitis die 1 Augusti 1902, omnibus mature perpensis, haec, quae infrascripta sunt, statuenda ac decernenda censuerunt. Nimirum:

« 1. Parochi est stolam deferre, cadaver e domo levare et funus ducere usque ad ianuam publici coemeterii:

« 2. Regularibus ecclesiae tumulantis ius competit in propria ecclesia iusta funebria peragendi; una cum parocho ab ecclesia parochiali ad domum defuncti accedendi et, cadavere per parochum levato, ad publicum coemeterium associandi: si tamen velint, possunt ad coemeterii ianuas expectare, quin ad funeris associationem accedere teneantur.

« 3. Pariter Regularibus spectat recipere cadaver ad ianuas coemeterii ceteraque omnia peragere, quae in cadaveris tumulatione fieri solent.

« 4. Denique si una cum parocho Regulares ecclesiae tumulantis funebri associationi intersint, unica crux conventualis seu ecclesiae tumulantis deferenda est, sub qua et ipse parochus incedere tenetur: dummodo ecclesiae cathedralis vel collegiatae Capitulum non adfuerit, cui privative spectat crucem in associatione levare.

Digitized by Google

« Et sic observari mandarunt, non obstantibus contrariis quibuscumque ».

*b*) Religiosi improprie dicti vota tantum simplicia habentes, secluso privilegio, subsunt parochiali iurisdictioni, quoad funera; Parocho igitur competit iuş funerandi ac sepeliendi cadavera tam eorumdem Religiosorum quam commensalium aliarumque personarum in religiosa domo degentium ibique decedentium, ut declaravit S. Concilii Congregatio die 15 Febr. 1879 et alias (cfr. *Il Monitore eccles.*, vol. II, part. I, pag. 20, ac vol. XIV, pag. 180; P. Piatus Montensi, loc. cit.). Episcopus tamen sicut concedere potest ius sepeliendi ecclesiis non parochialibus, ita permittere potest, ut in oratoriis sive publicis sive semipublicis eorumdem Religiosorum utriusque sexus, exequiae peragantur super cadaveribus eorum qui in religiosa domo decesserint, vel aliorum.

**Dub. 2.** – Episcopus habetne ius exigendi pro se a Regularibus quartam funeralem, quae ipsi in dioecesi solvitur ex apostolico indulto pro omnibus funeribus praesente cadavere peractis?

**Resp.** – Episcopus iure decretalium exigere potest quartam funeralem, quae etiam *portio canonica* appellatur, scilicet quartam partem, vel aliam consuetudine firmatam, funeralium oblationum, quae ecclesiis piisque locis Episcopo subiectis fiunt. Huiusmodi exactio fere ubique exolevit; ubi vero portio canonica adhuc obtinet, ad eam solvendam non tenentur pia loca et monasteria exempta ab episcopali iurisdictione (Devoti, *Instit. canon.*, tom. II, tit. XV, § IX). Itaque si in apostolico indulto, de quo in casu, nihil dicitur de Regularibus exemptis, hi cogi nequeunt ad quartam funeralem Episcopo praestandam.

**Dub. 3.** – Episcopus habetne ius determinandi taxam funeralem solvendam pro funeribus peragendis in Regularium ecclesiis?

**Resp.** – In Rituali Romano (tit. VI, cap. I, n. 6) legimus: « Caveant omnino Parochi aliique Sacerdotes, ne sepulturae vel exequiarum, seu anniversarii mortuorum officii causa quidquam paciscantur, aut tamquam pretium exigant; sed iis eleemosynis

Digitized by Google

contenti sint, quae *aut probata consuetudine dari solent, aut Ordinarius constituerit* ». Ex quibus verbis sequitur, Ordinarium in hoc casu statuere posse, quae aequitas seu iusta ratio exegerit (De Herdt, *S. Liturg. Prax.*, tom. III, n. 229).

Ad querelas autem evitandas, S. Concilii Congregatio in causa *Barcinonen.*, die 27 Aug. 1904 (cfr. *Il Monitore eccles.*, vol. XVI, pag. 341), rescripsit: « Mens est ut E.mus Episcopus . . , statuat *taxam unicam et aequam* tam a Cathedrali quam ab *omnibus* civitatis ecclesiis ad unguem servandam, ita ut nemo nec plus petere, nec minus exigere valeat ».

Itaque sicut eleemosyna pro qualibet Missa per Regulares celebranda in eorum ecclesiis est taxanda *arbitrio Ordinarii* iuxta morem regionis (S. Conc. C., 8 Maii 1905, apud *Ephem. Liturg.*, vol. XIX, pag. 699), ita eleemosynae pro Missa exequiali ac pro funere (quod est eius accessorium) etiam in Regularium ecclesiis determinari possunt ab Ordinario loci iuxta aequitatem, ne ex Regularium privilegiis iura parochialia detrimentum capiant. Iuxta declarationem autem S. Conc. Congr., d. 26 Ianuar. 1726 (apud Ferraris, v. *Taxa*, n. 11) taxa cerae adhibendae ab heredibus circa cadavera defunctorum statuenda et ab Ordinario, auditis interesse habentibus, transmittenda est ad Sacram Congregationem.

**Dub. 4.** — In ecclesiis non parochialibus possuntne cantari Missae de requie, inscio vel contradicente Parocho? Et, quatenus negative, si Parochus aliis Sacerdotibus easdem Missas celebrandas committat, potestne illis ordinariam tantummodo eleemosynam tradere, retento pinguiori stipendio, quod pro iisdem Missis specialiter fixum est?

**Resp.** – Uti probatum est in praeced. fascic. (pagg. 453-456), cantus solius Missae *exequialis*, idest cadavere sive physice sive moraliter praesente, etiam in ecclesiis non parochialibus spectat ad Parochum loci; quod si Parochus eam Missam alteri Sacerdoti celebrandam committat, « cum agatur *de iuribus stolae*, satis est si Parochus retribuat celebranti eleemosynam *ordinariam* (S. Conc. C., 11 Maii 1888, apud ephem. *Il Monitore eccles.*, vol. VI, parte I,



Digitized by Google

pag. 169), salvis specialibus statutis, vel conventionibus, vel consuetudinibus.

Ceterae vero Missae cantatae de requie, etiamsi celebrentur die 3ª, 7ª, 30ª vel anniversaria ab obitu seu depositione, spectant ex iure communi ad Rectorem ipsius ecclesiae, ubi canuntur, neque Parochus ullum emolumentum ex iis exigere potest (S. R. C., 24 Iulii 1638, n. 649; 6 Oct. 1640, n. 725; 28 Iulii 1832, n. 2693 ad 1; 29 Nov. 1901, et 24 Ian. 1902, apud *Ephem. Liturg.*, vol. XIX, pagg. 459-460).

Nota. — In secundo fasciculo currentis anni, pag. 110, ultimus periodus « Cum haec quoque, etc. » iuxta principia paulo superius ibidem exposita immutandus est hoc modo: « Cum autem haec sententia sit tantum probabilis, Sacerdos, de quo in casu, eam in praxim deducere non potest, Missam prosequens absque nova vini consecratione, ne sacrificium probabiliter imperfectum remaneat ».

## II. — Breviora responsa.

Pro pluribus locis.

1. Nulla lex vetat, quominus thronus, ubi exponitur SS. Sacramentum, collocetur super tabernaculum, in quo eadem SS. Eucharistia asservatur.

2. Cruces vel imagines altarium non sunt benedicendae *de praecepto*; simplex autem Sacerdos potest eas *private* benedicere. S. R. C., 12 Iulii 1704, n. 2143. Neque contrarium legitur in IV vol. Decretorum S. R. C., pag. 205, ubi tamen monentur Episcopi, ne permittant, imagines a se approbatas exponi in altaribus, non praemissa earundem benedictione.

3. Color *rubeus* adhibendus est in Missa de commemoratione omnium Sanctorum, quorum Reliquiae in propriis ecclesiis asservantur. S. R. C., 17 Aug. 1771, n. 2492.

4. Si Laudes *solemniter* canantur, etiamsi solus Celebrans paratus sit sine Ministris, ad *Benedictus* altare thurificari debet. S. R. C., 30 Aug. 1876, n. 3410 ad IV, et 5 Febr. 1895, n. 3844, ad II.

Digitized by Google

5. Sicut imago divini Infantis (S. R. C., 15 Febr. 1873, n. 3288), ita ob eamdem rationem, idest ob latriae cultum, quaelibet alia imago Salvatoris nostri, principe loco super altari exposita, incensanda est post Crucem *triplici ductu*. Quando autem super altari extat, praeter Crucem, etiam Reliquia S. Crucis exposita, debet Celebrans in Missis Vesperisque solemnibus utramque *simul*, non separatim, thurificare. S. R. C., 9 Iunii 1899, n. 4026 ad I.

6. Oratio « *Spiritum nobis, Domine, etc.* » dicitur toto tempore paschali (*Rit. Rom.*, tit. IV, cap. II, n. 7), non autem per octavam Corporis Christi, cnm administratur fidelibus SS. Eucharistia.

7. *Lotio pedum*, feria V in Coena Domini, in omnibus ecclesiis fieri potest (De Herdt, *S. Liturg. Prax.*, tom. III, n. 42), neque quid contrarium docuit Benedictus XIV (*De festis Dom.*, § 177); facienda autem non est *de praecepto* in ecclesiis minoribus, quia in Memoriali Rituum iussu Benedicti XIII edito praetermissa est; si vero solus Sacerdos sine sacris Ministris *Mandatum* faciat, ille ad Evangelium cantandum « utatur stola et pluviali coloris *violacei*, super albam », iuxta Decr. S. R. C., 25 Ianuar. 1895, n. 3841.

8. Sacri Ministri, si in processionibus adhibeantur, non pluvialia sed *dalmaticam* et *tunicellam* induere debent (*Rubr. Miss.*, p. I, tit. XIX, n. 5; S. R. C., 15 Iunii 1883, n. 3577; De Herdt, loc. cit., n. 317).

9. In Missa votiva de Passione D. N. I. C., si cum Officio non concordet, omittitur *Gloria* et adhibentur paramenta *violacei* coloris (S. R. C., 30 Iunii 1896, n. 3922, § IV); in Missa vero, quae respondet Officio votivo de Passione per annum, dicitur *Gloria* et adhibendus est color *rubeus* toto anni tempore (S. R. C., 24 Nov. 1883, n. 3597 ad II.

10. In Missa privata, etiamsi in altari adsit tabernaculum SS.mi Sacramenti, non debet Sacerdos genuflectere, quando, defectu ministri, ipse transfert Missale a cornu Epistolae ad cornu Evangelii, aut vicissim, neque quando in maiori hebdomada transit a cornu Epistolae ad cornu Evangelii ad legendam *Passionem*, sed in utroque casu, dum transit ante medium altaris, caput Cruci

Digitized by Google

profunde inclinare debet (*Rubr. Miss.*, part. II, tit. VI, n. 1, et S. R. C., 14 Ianuar. 1898, n. 3975 ad II); si vero in eodem altari adsit SS. Sacramentum *expositum*, Sacerdos etiam in Missa privata genuflectere tenetur, quandocumque ad altaris medium accedit, vel recedit a medio, vel transit ante Sacramentum (*Rubr. gener. Miss.*, part. I, tit. XVII, n. 1, et *Rubr. spec.* fer. V in Coena Dom.); ideo etiam in duobus casibus, de quibus supra, Celebrans genuflectere debet, quatenus SS. Sacramentum expositum sit (1).

# Ius Liturgicum.

(*Continuatio.* V. num. 8, anni curr., pagg. 497-507).

## ARTICULUS III. — Per quos sit ius Liturgicum.

### XXXVII. *Quinam sint divini cultus Ministri.*

271. In nostra S. Liturgiae, id est Iuris Liturgici definitione, diximus, formam divini cultus, Ecclesiae nomine, exerceri *per legitimos Ministros, sub legitimae Auctoritatis tutela*; nunc igitur quinam sint hi divini cultus *Ministri* expendendum est.

272. *Ministrorum* sub nomine, ampliori significatione, eos omnes complectimur, qui Christi et Ecclesiae auctoritate, in liturgicis actibus vel *praesunt* vel *inserviunt*; et quamquam hierarchia ecclesiastica eadem est quae ius dicit et exercet tum circa ritualia tum circa iurisdictionalia, scilicet circa corpus reale et corpus mysticum Christi, de hac alterius generis administratione nobis non erit inquirendum.

(1) Ex dictis patet, admitti non posse contrariam doctrinam, quae legitur in recenti opere cl. De Amicis. Quoad alia, cf. *Ephem. Liturg.*, anni XIX, pagg. 110, 352, 625, 728, et anni curr., pagg. 242, 290 et 301.

Digitized by Google

XXXVIII. *Ministrorum cultus origo et qualitates.*

273. Prout a Synagoga forma Synaxis Psalmodicae originem traxit, ita, Christo probabiliter mandante, forma ministerii ab eadem orta est. Synagogae nimirum praeerat *Princeps*, seu *Archisynagogus* (noster Episcopus); corpus *Seniorum* (Presbyteri), e quibus *Pastores* eligebantur, quibus onus erat eleemosynas colligendi, pauperes adiuvandi, tribunalis instituendi; *Custos* Synagogae (Diaconus), cui librorum distributio, ordo et mundities aedificii, aperitio et obseratio eiusdem committebatur; *Ostiarius* seu *Missus*, graeca voce *Apostolus* nuncupatus, quasi notarius vel secretarius (Ostiarius et alii inferiores Ministri). Sed iuxta S. Hieronymum, alii contendunt hunc ordinem a Templi ministerio in quo operabantur *Pontifex, Sacerdotes* et *Levitae*, desumptum fuisse: « Quod Aaron et fllii eius atque Levitae fuerunt, hoc sibi Episcopi et Presbyteri et Diaconi vindicant in Ecclesia (Ep. 83 ad Evag.) ».

274. Constitutio, a Christo Ecclesiae data, est perfectissima, indoli et fini ecclesiae ipsius coordinata; et quemadmodum in veteri Lege Deus ipse per Moysen ministerium fini Legis ipsius proportionatum constituit, ita et in Lege nova per Unigenitum suum in humanis conversantem.

275. Communis hodie est sententia, Episcopos, Presbyteros et Diaconos esse originis divinae, ceteros autem Ministros ecclesiasticae institutionis. Illos efformasse antiquae Ecclesiae Presbyterium, historia testis. *Episcopus* (quae vox *Inspector* significat), tanquam praeses, Synaxi praeerat; *Presbyteri* (ex vocis significatione *Seniores*) illius erant assistentes, ac, statis loco et tempore, concelebrantes cum eodem, et interdum illius vice; *Diaconi* vero (etymologice *Servi, Ministri*) adhibebantur ad inferiora ministeria. Diaconus dicitur etiam *Levita*, ex Levitarum munere in Veteri Testamento. *Levi* invenimus interpretatum *Additus* sive *Assumptus*.

276. Tam Episcopatus quam Presbyteratus est *Sacerdotium*, vere et proprie unum ab altero distinctum: illud maius, istud minus. Romanum Pontificale Presbyteros appellat *sequentis ordinis*

Digitized by Google

*viros et secundae dignitatis...*, *cooperatores Ordinis nostri* (episcopalis).

277. Notandum est, *Presbyteratum*, si consideretur ab Episcopatu seiunctus, ab Apostolis fuisse institutum, sed semper ex Christi doctrina. Ita pariter *Diaconos* Apostoli ordinarunt, sed ex eiusdem Christi instructione.

Hinc diversa hierarchia Ordinis, quae characteri sacramentali adnexa est, cum propria diversa potestate.

278. « In primitiva Ecclesia, ait divus Thomas, propter paucitatem ministrorum, omnia inferiora ministeria Diaconis committebantur, ut patet per Dionysium, c. 3, Eccles. Hier., ubi dicit: *Ministrorum alii stant ad portas templi clausas; alii aliud proprii ordinis operantur; alii autem Sacerdotibus proponunt super Altare sacrum panem et benedictionis calicem.* Nihilominus erant omnes praedictae potestates, sed implicite, in una Diaconi potestate. Sed postea ampliatus est cultus divinus, et Ecclesia, quod implicite habebat in uno ordine, explicite tradidit in diversis (Suppl. p. III, q. 37, A. 2, ad 2) ».

279. Hinc inter inferiores Ministros in primaeva Ecclesia adnumerabantur et *Subdiaconi*. De his mentio fit post *Lectores*, sed non ante medium saeculum tertium. Hic ordo adnumeratus est inter maiores, uti notum est, ab Innocentio III.

280. Iuxta recentiora archaeologorum studia, non videtur ambigendum, *Lectores* iam ante tertium saeculum institutos fuisse. Lectoribus coniuncti inveniuntur *Cantores* et *Psalmistae*, qui tamen non inveniuntur expresse ordinati ad hoc munus, sed vel ordinabantur quia Lectores, vel simpliciter officium Lectores adiuvandi assumebant. A Lectoratu ad Diaconatum immediate ascendebatur.

281. De officio *Psalmistatus* habetur et in hodierno Pontificali Romano specialis Rubrica, ubi dicitur: « Psalmista, id est Cantor, potest sola iussione Presbyteri officium suscipere cantandi, dicente sibi Presbytero: *Vide, ut quod ore cantas corde credas, et quod corde credis operibus comprobes.* Et si Episcopus Clericum ordinans haec faciat, bene facit ». Verum nescimus, an

Digitized by Google

nemo sit amplius, qui hanc laudabilem consuetudinem sequatur. Post sapientissimas Instructiones de musica sacra, per Motu-proprio SS. D. N. promulgatas, optimum nobis videretur, talem consuetudinem restaurari, praesertim pro Clericis Seminariorum et Collegiorum ecclesiasticorum alumnis, *quum Cantoribus in Ecclesia munus vere liturgicum sit* (ibi, art. V, n. 13) ».

282. *Acolythus*, graeca vox, quae significat *Pedissequus*, munus consecutus est ad sacram Synaxim magis proximum. Acolythorum ordo nonnisi saeculo III videtur institutus; ac insuper constat, ipsos Ecclesiis fuisse specialiter adscriptos, seu, ut dicitur, incardinatos. Ipsis attributum est officium Lectorali superius, imo Innocentius I mandavit: « Ne cito quilibet Lector Acolythus fiat (Ep. ad Felicem) »

283. *Ostiarii*, recentius instituti, Diaconis suffecti sunt et Subdiaconis in custodia sacrarum portarum, necnon totius sacri aedificii, ex quo et facti sunt *Aeditui* seu *Mansionarii*.

284. Coaevi Subdiaconis et Acolythis, quoad originem hierarchicam et ecclesiasticam ordinationem, sunt *Exorcistae*, latine daemonum *adiuratores*: dicimus quoad originem etc., quod in Ecclesiae primordiis, etiam laicis, vi illorum charismatum, quibus et hi ex divina largitate donabantur, datum erat ab obsessis corporibus daemonia eiicere. Hi, cum ad Synaxim nullam relationem habeant, a nonnullis sacrae antiquitatis cultoribus, ultimo loco recensentur.

285. *Simplex Clericus*, qui scilicet, a populo segregatus, Deum in sortem et haereditatem assumit, atque ad divina ministeria disponitur, non agnoscitur in primaeva Ecclesia. Sed, exeunte saeculo IV, uti constat e Concilio Toletano I ann. 400 (cap. 9) qui vocabatur *Confessor*, ille erat primae Tonsurae Clericus. Hodiedum haec appellatio iisdem servatur in tertia Admonitione et Oratione Missae Praesanctificatorum: « Acolythis, Exorcistis, Lectoribus, Ostiariis, Confessoribus ».

286. Clericorum institutio, quae nunc, post Concilium Tridentinum, fit in Seminariis, respondere videtur, prioribus Eccle-

Digitized by Google

siae saeculis, institutioni Lectorum. Inveniuntur sane passim ab antiquis scriptoribus memorati *Lectores infantes*. Horum coetui, cui nomen inditum *Schola Lectorum*, praeerat *Primicerius*; hae autem scholae postea factae sunt *Scholae Cantorum*, ex quo recentior et communior opinio deducit, Lectores infantes ad cantum iampridem adhibitos fuisse. Concilium Vasionense II commendat Parochos, qui domi iuniores Lectores recipiunt, *secundum consuetudinem, quam per totam Italiam satis salubriter* teneri cognoverat.

## XXXIX. *Status hodiernus Ministrorum cultus.*

287. Nunc hos diversos gradus, prout hodie sunt in Ecclesia, adumbrabimus, potiora singulorum indicando officia et ministeria.

288. Constituta igitur est in Catholica Ecclesia *Hierarchia*, distinctio videlicet diversorum graduum et ministeriorum.

289. Qui in eiusmodi hierarchia operantur, *Clerici* generatim vocantur; eorumque coetus *Clerus* appellatur.

## XL. *Ministri in hierarchia Ordinis.*

290. *Summus Pontifex*, qui et *Papa* vocatur, est totius Ecclesiae supremum Caput, Pastor Pastorum, episcopalia munia non modo plenissime exercens, sed et haec et cetera, omnimoda potestate, ni sint divino iuri mancipata, suo iuri subiecta tenens. In Romana residens Urbe, praecipuo modo Romanus Episcopus, Romanam Dioecesim per se immediate regit, in eaque, ut plurimum, sacris operatur; et cum nemini subiectus esse possit, ipse est *Archiepiscopus* et *Metropolita* Provinciae Romanae, *Primas* Italiae, *Patriarcha* Occidentis.

291. *Episcopus*, Dioecesis Caput, *Ordinarius*, si ius reipsa in illa exerceat, *Titularis*, si iure in illa exercendo prohibeatur, ob acatholicorum oppressionem est is, quem (iuxta Pontificale Romanum, *De Consecratione electi in Episcopum*) « oportet iudicare,

Digitized by Google

interpretari, consecrare, ordinare, offerre, baptizare et confirmare ». Id porro, sicut et ea quae sunt honoris, iuxta locorum et temporum adiuncta, prout in liturgicis Codicibus exponitur, exequitur. Speciatim porro ei in consecratione commendatur « Clavium potestas, Evangelizatio, correctio vitiorum ». Potest, a fortiori et ea omnia, quae inferiorum ministeriorum sunt propria; hinc ei dicitur: « Quidquid benedixeris benedicatur, et quidquid sanctificaveris sanctificetur et consecratae manus vel pollicis impositio cunctis proficiat ad salutem ».

292. *Presbytero*, iuxta Pontificale, incumbit: « offerre, benedicere, praeesse, praedicare, et baptizare ». Speciatim Presbyteris commendatur « oblatio Sacrificii, remissio vel retentio peccatorum ». Vix dum manuum unctionem receperint audiunt: « Quaecunque benedixerint benedicantur, et quaecunque consecraverint consecrentur et sanctificentur ».

293. « *Diaconum*, ait Pontificale, oportet: ministrare ad Altare, baptizare et praedicare ». Postrema tamen officia, nonnisi de Episcopi speciali licentia, si solemniter sint agenda, exercere potest; uti si ante Presbyteratum Parochus sit effectus. His in casibus et in locis Missionum potest etiam Eucharistiam administrare et defunctos praescripto ritu efferre.

294. « *Subdiaconus*, inquit pariter Pontificale, oportet aquam ad ministerium Altaris praeparare; Diacono ministrare; pallas Altaris et Corporalia abluere; Calicem et Patenam in usum Sacrificii eidem offerre ». Sed vult Ecclesia (ibid.), ut ista visibilia ministeria invisibilium sint exemplum: « Si itaque humana fragilitate contingat in aliquo fideles maculari, praebenda est a vobis aqua caelestis doctrinae, qua purificati, ad ornamentum Altaris et cultum divini Sacrificii redeant ». Specialis insuper ei ad Altare ministranti traditur potestas legendi in Ecclesia librum Epistolarum.

295. « *Acolythum* oportet Ceroferarium ferre; luminaria Ecclesiae accendere; vinum et aquam ad Eucharistiam ministrare.

296. « *Exorcistam* oportet abiicere daemones, et dicere populo, ut qui non communicat det locum; et aquam in ministerio

Digitized by Google

fundere ». In quo ministerio? In eo forte quod complet Sacerdos exorcismos faciens. In hodierna canonica disciplina hoc dumtaxat munus remansit Exorcistae, Episcopo aut Presbytero adstare, dum exorcizant, ac praeterea ad aquae lustralis benedictionem, aut in aliis ministeriis, in quibus habentur exorcismi: veri enim exorcismi solis Sacerdotibus reservantur, qui ceterum, iuxta Encyclicas Litteras Benedicti XIV, 5 Iulii 1750, specialem facultatem ad hoc debent impetrare.

297. « *Lectorem* oportet legere ea quae (*vel* ei qui) praedicat, et Lectiones cantare: et benedicere panem et omnes fructus novos ». Catechumenis olim fidei rudimenta tradebat.

298.. « *Ostiarium* oportet percutere Cymbalum et Campanam; aperire Ecclesiam et Sacrarium, et librum aperire ei qui praedicat ». Sed et custos olim erat sacrorum supellectilium, unde Ostiarii dicti sunt *Thesaurarii* Ecclesiae.

299. *Clericus*, simpliciter tonsuratus, nullum proprie ministerium in Ecclesia adimplendum haberet, sed, ex Ecclesiae tolerantia, una cum in minoribus ordinatis, ad singula, quae his competunt, ministeria passim assumitur. Imo tam Clericus simpliciter tonsuratus quam in minoribus constitutus, ex necessitate, assumi valet ad munus Subdiaconi implendum, servatis servandis.

300. Qui in Ordinibus et Congregationibus Regularibus *Laicorum, Conversorum, Oblatorum* nomine veniunt, etsi nonnullis gaudeant praerogativis, Clericorum propriis, nullam habent partem in Iure Liturgico, nisi illam, ex Ecclesiae tolerantia, quam exercent ceteri laici, praesertim pueri, et Piarum Sodalitatum alumni, ut minorum Clericorum munera implere possint, dummodo clericali habitu sint induti.

## XLI. *Ministri in hierarchia iurisdictionis.*

301. Quoad gradus *supra-episcopales* et *quasi-episcopales*, in iis quae Ius Liturgicum respiciunt, quaestio esse potest tum de substantia, tum de sola forma, cum scilicet agitur vel de exer-

Digitized by Google

cenda potestate Ordinis, vel de ostendenda praerogativa iurisdictionis tantum aut gradus.

302. *Cardinales* sunt: *Episcopi* in suis sedibus, Suburbicariis nuncupatis, eo quod sint prope Urbem; *Presbyteri* in Romanis Titulis; *Diaconi* in Romanis Diaconiis. Sunt dignitate superiores Episcopis, proindeque Pontificalium usu gaudent, quam ceterum praerogativam respective exercent iuxta proprium sive Ordinis, sive iurisdictionis gradum. Hi sunt Consiliarii et coadiutores Romani Pontificis, Ecclesiae Principes, electores et eligibiles ad Supremum Pontificatum.

303. *Patriarchae*, *Primates*, *Archiepiscopi* et *Metropolitae* praesunt respective Patriarchatibus, Nationibus et Provinciis, in quibus ea quae sunt Iuris Liturgici exercent, iuxta Caeremoniale Episcoporum.

304. Inter gradus supra episcopales antiquitus, a saec. nempe v, recensebantur Vicarii Apostolici, ex quibus, saec. IX, cum ex personali facta est realis eorum auctoritas, orti sunt *Primates* seu *Legati Nati*. Recentius, in Occidente ex frequenti delegatione *Legatorum Missorum*, imminui coepit auctoritas Natorum, donec, saec. XV, fere extincta invenitur, quorum appellatio, honoris titulo tantummodo remansit. Legatorum plus minusve extensa super Provincias sibi adsignatas erat auctoritas; serius autem nonnisi tanquam *Legati-Oratores*, Nuntii Apostolici, quales et a diversis Nationibus ad alias mitti solent, constitui coeperunt.

305. *Vicarii Apostolici* hodie dicuntur, qui in locis ubi Dioeceses nondum sunt constitutae Episcoporum munera obeunt, seu potius ad ea mittuntur, ut via paretur ad Dioecesim constituendam. Ecclesias quippe fundare nonnisi Summi Pontificis est. Hi saepe episcopali charactere decorantur.

306. *Praelati nullius*, nullius scilicet Episcopi iurisdictioni subiecti, ii sunt, quibus quasi episcopalis auctoritas stabiliter tribuitur, quorum plures sunt *Abbates*.

307. *Administratores Apostolici*, episcopali vel non charactere insigniti, a Summo Pontifice mittuntur ad regendas Dioeceses,

Digitized by Google

proprio Pastore destitutas, vel ad tempus vel in perpetuum, quo in casu, ut plurimum res committitur Episcopo viciniori, vice et nomine ipsius Pontificis.

XLII. *Ministri aliquibus privilegiis episcopalibus decorati.*

308. *Abbates* et *Praelati*, quibus nulla est iurisdictio, aut saltem est in locis et sub forma valde limitatis, nonnullis gaudent, ex Apostolico privilegio, episcopalibus praerogativis; inter hos recensentur *Abbates* aliive *Superiores* Ordinum Regularium, *Protonotarii Apostolici*, ceterique *Praelati Domus Pontificiae*. Item nonnulli *Archipresbyteri, Archidiaconi, Canonici*, etc.

309. Variis privilegiis ornati inveniuntur sive *Parochi* sive alii Ecclesiastici Viri.

310. Modus alicuius praerogativae aut potestatis exercendi in Codicibus liturgicis, de quibus iam locuti sumus, exhibetur, exceptis nonnullis, quae respiciunt v. gr. Summum Pontificem, S. R. Ecclesiae Cardinales, inferiores Praelatos..., quorum munia partim describuntur in S. Sedis aliquibus Documentis, uti in recentissimo *Motu-proprio* SS. D. N. *de Protonotariis Apostolicis*, partim in peculiaribus seu non officialibus scriptis, uti in *Caeremoniali S. R. Ecclesiae*, a *Marcello* nuncupato.

(*Continuabitur*).

Ios. M.

Digitized by Google

# Appendix.

## MOTU PROPRIO
### De novis religiosorum sodalitatibus instituendis (1).

PIUS PP. X

Dei providentis benignitatem, opportune Ecclesiae temporibus subvenientem, cum alia multa ostendunt, tum hoc praeclare, quod veteribus religiosorum Ordinibus ob conversionem publicarum rerum dispersis afflictisque, nova instituta accessere, quae, professionem religiosae vitae retinendo, ingravescentibus christiani populi necessitatibus multipliciter deserviunt. Illas hoc loco, ut apparet, utriusque sexus Familias dicimus, proprio et titulo et habitu distinctas easdemque solo simplicium votorum aut nullo id genus vinculo adstrictas, quarum sodales, licet in plures distributi domos, eisdem tamen legibus ac sub uno summo praeside omnes vivunt, eo proposito, ut perfectionem virtutis ipsi assequantur, seque proximorum causa in variis religionis aut misericordiae operibus exerceant. Profecto sodalitatum istiusmodi, tam bene de Ecclesia deque ipsa civili societate merentium, sperandum est, numquam defuturam copiam: hodieque libet agnoscere, usque adeo eas increbuisse, ut nullum videatur esse ministrandae caritatis christianae genus, quod illae reliquum fecerint. Verumtamen, quae est humanae conditionis infirmitas, ex ipsa ista talium sodalitatum frequentia, nisi temperatio aliqua iuris accesserit, fieri non potest quin aliquando sacrae disciplinae perturbatio quaedam oriatur et confusio. Itaque ad hoc avertendum incommodum plura iam Apostolica Sedes edixit; nominatimque cavit, ne ibi sodalitas nova conderetur, ubi per alias iam conditas necessitatibus loci satis consultum esset; neve ulla usquam sineretur institui, quae aut redditibus careret, ad sodalium victum necessariis, aut quidquam minus decorum in titulo, in habitu, in opere exercendo prae se ferret. Praeterea Sacrum Consilium Episcoporum et Regularium negotiis prae

(1) Cfr. Constitutio *Conditae* edita a Leone PP. XIII, die 8 Dec. 1900, apud *Ephem. Liturg.*, vol. XV, pag. 120.

Digitized by Google

positum nonnulla praescripsit aptea servanda, quam hae sodalitates earumque constitutiones approbatione aut laude Sedis Apostolicae honestarentur. At vero experimentis compertum est, nondum per has praescriptiones satis esse provisum, ne sodalitates ab suis exordiis in eo statu collocentur, unde postea, quum Apostolicae Sedis comprobatio erit assequenda, debeant magno saepe cum detrimento recedere. Quare, de eiusdem Sacri Consilii sententia, haec Nos quae infra scripta sunt, motu proprio statuimus:

I. Nullus Episcopus aut cuiusvis loci Ordinarius, nisi habita Apostolicae Sedis per litteras licentia, novam alterutrius sexus sodalitatem condat aut in sua dioecesi condi permittat.

II. Ordinarius, huius licentiae impetrandae gratia, Sacrum Consilium Episcoporum et Regularium negotiis praepositum adeat per libellum supplicem, quo haec docebit: quis qualisque sit novae solidalitatis auctor, et qua is causa ad eam instituendam ducatur; quibus verbis conceptum sit sodalitatis condendae nomen seu titulus; quae sit forma, color, materia, partes habitus a novitiis et professis gestandi; quot et quaenam sibi opera sodalitas assumptura sit; quibus opibus tuitio eiusdem contineatur; an similia in dioecesi sint instituta, et quibus illa operibus insistant.

III. Accepta Sacri Consilii venia, nihil iam obstabit, quominus Ordinarius novam sodalitatem instituat aut institui permittat, eo tamen titulo, habitu, proposito ceterisque rebus ab ipso Sacro Consilio recognitis, probatis designatisve: quae numquam deinceps, nisi eodem consentiente, immutare licebit.

IV. Conditae sodalitatis constitutiones Ordinarius recognoscat: verum ne prius approbet, quam eas ad normam eorum, quae Sacrum Consilium in hac causa decrevit, exigendas curaverit.

V. Instituta sodalitas, quamvis decursu temporis in plures dioeceses diffusa, usque tamen, dum pontificiae approbationis aut laudis testimonio caruerit, Ordinariorum iurisdictioni subiaceat, ut Decessoris Nostri constitutione *Conditae* sancitum est.

Quae vero per has litteras decreta sunt, ea Nos rata et firma esse volumus, contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XVI Iulii anno MCMVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X

Digitized by Google

# Bibliographia.

## Opera ad nostram Directionem transmissa.

D'Agostino Mons. A., Vescovo di Ariano. **Il pensiero di Dante nella Divina Commedia.** — Subiaco, Tip. dei monasteri, 1905. L. 1.50. (Si vende nella Curia Vescovile a profitto del Seminario diocesano).

Landi D. p. d. M. **I grandi doveri del Clero.** Trattenimenti. — Torino, Tip. Salesiana, 1906. L. 2.

**Ordo divini Officii recitandi Sacrique peragendi** anno Domini MCMVII pro Clero Saeculari Romano. — Romae, 1906, L. 0.75.

**Almanacco illustrato delle famiglie cattoliche** per l'anno di grazia 1907. Un vol. pag. 128. — Desclée, Lefebvre e C., Roma, Piazza Grazioli (palazzo Doria). L. 0,50.

# Chronica.

*Die 7 Augusti 1906*, in Palatio Apost. Vaticano habita est Congregatio E.morum Cardinalium *Indulgentiis Sacrisque Reliquiis* praepositorum, in qua actum est de causis a Rev.mis DD. Consultoribus die 12 Iulii discussis, de quibus v. fasc. praec., pag. 512. Relatores fuerunt: 1. E.mus D. Card. Casimirus Gennari; 2. E.mus D. Card. Alexander Sanminiatelli; 3. E.mus D. Card. Sebastianus Martinelli.

*Die 21 Augusti 1906*, in Palatio Apost. Vatic. habita fuit Congregatio Sac. Rituum Ordinaria, in qua, E.mi ac R.mi Patres Cardinales, Sacris tuendis Ritibus praepositi, infrascriptas Causas retulerunt. Emus D. Card. Steinhuber: *Venetien.*, Beatif. et Canoniz.

Digitized by Google

Servae Dei CATHARINAE DE FRANCHEVILLE, Fundatricis Congregationis Sororum Filiarum B. M. V. a recessu Veneten., super Introductione Causae. E.mus D. Card. Segna: *Romana* seu *Ianuen.*, Beatif. et Canoniz. Servae Dei PAULAE FRASSINETTI, Fundatricis Pii Instituti a S. Dorothea nuncupati, Super introductione Causae. E.mus D. Card. Tripepi, S. C. Praef., *Taurinen.*, Beatif. et Canoniz. S. D. IOANNIS BOSCO, Sac. Fundatoris Societatis Salesianae, super revisione aliquorum scriptorum.

E.mus D. Card. Ferrata: *Tunquinen.* seu *Ordinis Praedic.*, Concessionis et approbationis Officii et Missae, nec non elogii Martyrologio inserendi, in festo Beatorum Martyrum FRANCISCI GIL DE FEDERICH, MATTHAEI ALONSO LEZINIANA, HYACINTHI CASTANEDA et VINCENTII LIEM A PACE, Sacerdotum Missionariorum, nec non HIERONYMI HERMOSILLA, VALENTINI BERRIO OCHOA, Episcoporum Vicariorum Apostolicorum, PETRI ALMATO, Sac. Missionar., et IOSEPHI KANG, indigenae. *Namurcen.*, Concessionis et approbationis Officii proprii et Missae in honorem B. IULIAE BILLIART, Fundatricis Congregationis Sororum B. M. V. E.mus D. Card. Martinelli: *Sarnen.*, Confirmationis electionis in Patronum S. ANTONII DE PADUA in oppido Poggiomarino. E.mus D. Card. Vives y Tuto: *Valentina*, Confirmationis electionis B. M. V. PERDOLENTIS, et S. FRANCISCI BORGIA Conf. in Patronos oppidi Turis in Hispania. *Ruthenen.*, Concessionis et approbationis Officii et Missae propriae in honorem S. FIDEI, V. et M.

*Die 22 Augusti 1906*, per Secretariam a Publicis Negotiis, Summus Pontifex inter *Consultores* S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae R.mum P. Mag. HIERONYMUM M.am MILETA, e Minorum Conventualium Familia, accensuit.

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR.
Fr. Albertus Lepidi, O. P. S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR.
† Iosephus Ceppetelli, Patr. Constant., Vicesgerens.

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée, Lefebvre et Soc. Romae, *Sponsor*.

Ex Off. typ. Soc. S. Ioannis Ev. - Tornaci in Belgio.

Digitized by Google

# Acta Sanctae Sedis
## sacram Liturgiam spectantia.

## SS. RITUUM CONGREGATIO

I.

**De Canonicis honorariis quoad usum insignium.**

PISCIEN.

Postulato hodierni Praepositi et Canonicorum insignis Ecclesiae Collegiatae Ss. Apostolorum Petri et Andreae in loco *Montecarlo* nuncupato Dioeceseos Piscien.: « An Canonici honorarii aequiparandi sint Canonicis titularibus quoad usum insignium? »

Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto specialis Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit:

« *Affirmative, iuxta Decretum Num. 3393,* Patavina, *16 Martii 1876, et Motu proprio* Inter multiplices, *21 Februarii 1905* ».

Atque ita rescripsit, die 21 Iulii 1906.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*
† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*



Digitized by Google

II.

**Quo loco in processionibus incedere debeant laici aliquo catholico signo exornati.**

AVERSANA.

Hodiernus R.mus Pro-Vicarius Generalis Aversanae dioeceseos Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humillime proposuit, nimirum:

I. An in Sanctorum Processionibus liceat laicis sive adultis sive pueris sine sacco, aliquo tamen catholico signo exornatis, et intorticia manu ferentibus, sodales confraternitatum sacco indutos et clerum praecedere, an debeant ipsi, in hisce Processionibus, B. M. V. vel Sanctorum statuam sequi?

II. An quod in casu disponitur de Sanctorum Processionibus debeat intelligi etiam de Processionibus Poenitentialibus, quando nempe clerus cum populo adeunt Dei templum ad implorandam divinam misericordiam?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit:

Digitized by Google

Ad I. Possunt procedere vel ante sodales confraternitatum sacco indutos vel post sacras imagines.

Ad II. *Affirmative.*

Atque ita rescripsit, die 8 Augusti 1906.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

## S. CONGREGATIO INDULGENTIARUM

I.

**Absolutio generalis ac plenaria indulgentia conceduntur pro festis Mysteriorum Viae Dolorosae et Septem Gaudiorum B. M. V.**

*Beatissime Pater,*

Frater Bonaventura Marrani, Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humillime petit, ut eadem Sanctitas Vestra pro Festis: *a*) Mysteriorum Viae Dolorosae (Feria VI ante Dominicam Septuagesimae), et *b*) Septem Gaudiorum Beatae Mariae Virginis (Dominica I post Octavam Assumptionis eiusdem Beatae Mariae Virginis), sequentes spirituales gratias benigne concedere dignetur, nempe:

I. Absolutionem generalem Fratribus ac Sororibus trium Ordinum Regularium impertiendam, prouti in aliis Festis Christi Domini eiusque Beatissimae Matris iam concessum est.

II. Plenariam Indulgentiam ab omnibus ex utroque sexu Christifidelibus lucrandam, qui in praefatis duobus Festis, confessi ac Sacra Synaxi refecti, aliquam ecclesiam vel aliquod publicum

Digitized by Google

sacellum ipsorum Fratrum ac Sororum devote visitaverint, ibique ad mentem Sanctitatis Vestrae pie oraverint.

Et Deus etc.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X in Audientia habita die 13 Iunii 1906 ab infrascripto Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 13 Iunii 1906.

L. ✠ S.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*
† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

## II.

**De Religiosis votorum simplicium ad saeculum redeuntibus.**

DECRETUM.

ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI.

Raphael Delarbre, Ordinis Minorum S. Francisci, Minister Provincialis Aquitaniae in Gallia, sequentis dubii solutionem ab hac S. Congregatione Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae humiliter postulavit, nempe:

Utrum Religiosi votorum simplicium, qui ante ingressum in Religionem ad habitum Tertii Ordinis saecularis admissi fuerant, ad saeculum, per solutionem a votis rite redeuntes, nova indigeant receptione, ut Tertiarii haberi possint et sint?

Et E.mi Patres, in Congregatione Generali, ad Vaticanas Aedes habita, die 7 Augusti 1906, respondendum mandarunt:

*Negative.*

In Audientia autem diei 8 eiusdem mensis et anni, E.morum Patrum sententiam, relatam ab infrascripto Cardinali Praefecto,

Digitized by Google

S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, SS.mus D. N. Pius Pp. X approbavit et confirmavit.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. C., die 8 Augusti 1906.

L. ✠ S.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*
† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

## III.

**Dubia solvuntur quoad indulgentias Tertiariis concessas.**

### DECRETUM

ORDINIS FF. MINORUM CAPUCCINORUM

Per Decretum huius S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, sub die 28 Augusti 1903, concessum est, ut Tertiariorum in Communitate viventium et vota simplicia emittentium Ecclesiae aut Oratoria publica iisdem Indulgentiis gaudeant, quibus perfruuntur Ecclesiae aut Oratoria publica respectivi primi et secundi Ordinis. Altero dein Decreto, sub die 22 Martii 1905, hoc indultum in favorem horum Tertiariorum et personarum cum ipsis in Communitate degentium extensum fuit etiam ad eorum Oratoria semipublica.

Nunc vero Procurator Generalis Ordinis FF. Capuccinorum, inspecto Decreto huius S. Congregationis, sub die 18 Augusti 1868, dubitavit, an huiusmodi indulta possint etiam extendi ad Ecclesias et Oratoria publica vel semipublica eorum Institutorum (scilicet Xenodochiorum, Orphanotrophiorum, Collegiorum), quae etsi non sint in vera proprietate ipsorum Tertiariorum, ab ipsis tamen custodiuntur, qui eorum curam habent temporalem, et in iis sacras functiones sive publice sive privatim exercent.

Quare sequentia dubia proposuit dirimenda:

I. An Indultum, per Decretum sub die 22 Martii 1905, concessum, extendatur ad Ecclesias et Oratoria publica vel semipublica eorum Institutorum (Xenodochiorum, Orphanotrophiorum,

Digitized by Google

Collegiorum, etc.), quae non pertinent ad Tertiarios praedictos, quorum tamen cura vel spiritualis vel temporalis (uti relate ad Congregationes Sororum verificatur) hisce Tertiariis concredita est?

Et quatenus negative:

II. An non expediat concedere, ut dictae Ecclesiae vel Oratoria, sive publica sive etiam semipublica eodem Indulto gaudeant, saltem in favorem dictorum Tertiariorum et personarum eorum curae concreditarum, aut cum ipsis sub eodem tecto habitantium, ne Tertiariorum longe maior pars plurimis privetur Indulgentiis respectivi primi aut secundi Ordinis?

III. An non expediat indulgere, ut Membra Congregationum Tertii Ordinis in Institutis (ex. gr. Xenodochiis, Orphanotrophiis, Scholis, etc.) degentia, in quibus non existunt Ecclesiae aut Oratoria nec publica nec semipublica, lucrari valeant Indulgentias Ecclesiis sui primi et secundi Ordinis concessas, ea conditione, ut loco Ecclesiae aut Oratorii primi et secundi Ordinis parochialem Ecclesiam visitent, quum Tertiarii saeculares S.ti Francisci simile privilegium obtinuerint (Decret. 31 Ian. 1903)?

IV. Iuxta Summarium Indulgentiarum Ordini FF. Min. Capuccinorum concessarum, ab hac Sacra Congregatione approbatum, « Altare maius omnium Ecclesiarum Ordinis gaudet Privilegio quotidiano pro Missis, quae in eodem celebrabuntur etc. ». Iam quaeritur, utrum hoc Privilegium, vi Decreti huius S. Congregationis, die 22 Martii 1905, etiam extensum fuerit ad Altare maius Oratorii semipublici Congregationum Tertiariorum?

Et quatenus negative:

V. Utrum hoc privilegium Altaris saltem extendatur ad Altare maius Oratorii Xenodochii, in quo Tertiarii debite primo et secundo Ordini FF. Min. Capuccinorum aggregati ad infirmorum assistentiam sive spiritualem sive temporalem degunt, et quidem vi Indulti eidem Ordini concessi, quod ita sonat: « Religiosi, qui debitis cum licentiis ad infirmorum assistentiam degunt, omnibus et singulis spiritualibus gratiis gaudent, ac si in respectivis Conventibus moram haberent?

Digitized by Google

Et E.mi Patres, in Generali Congregatione ad Vaticanum coadunati, responderunt, die 7 Augusti 1906:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Affirmative*, facto verbo cum SS.mo.

Ad III. *Affirmative*, et ad mentem; mens autem est, quod si in loco ubi degunt Tertiarii, adsit Ecclesia vel publicum Oratorium primi et secundi Ordinis, haec erunt omnino visitanda, nisi distent nimis ab Institutis, quibus ipsi inserviunt, id est non ultra milliarii spatium. His vero deficientibus, indultum concedi poterit, quo Ecclesia parochialis similiter non distans ultra milliarium visitari valeat, secus alia quaecumque Ecclesia, prout libuerit, adeunda, facto verbo cum Sanctissimo.

Ad IV. et V. Non proposita.

De quibus omnibus facta relatione SS.mo D.no Nostro Pio PP. X in Audientia habita a Card. Praefecto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 8 Augusti 1906, idem Ss.mus E.morum PP. resolutiones approbavit et confirmavit, simulque petitam in II dubio extensionem, nec non indultum in III dubio propositum benigne concessit.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 8 Augusti 1906.

L. ✠ S.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*
✠ D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

## IV.

### De Numismate S. Benedicti.

## DECRETUM

### ORDINIS FF. MINORUM S. FRANCISCI.

Procurator Generalis Ordinis FF. Minorum S. Francisci huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, sequens dubium dirimendum exhibuit, nempe:

Digitized by Google

« Utrum Numisma S. Benedicti iubilare, a S. M. Pio PP. IX per Litteras Apostolicas in forma Brevis, sub die 31 Augusti anni 1877 specialibus Indulgentiis ditatum, adnexam habeat Indulgentiam Portiunculae? »

Et Em.mi Patres ad Vaticanum in Generali Congregatione coadunati, die 7 Augusti 1906, proposito dubio respondendum mandarunt:

*Negative.*

Quam resolutionem E.morum Patrum SS.mus D. N. Pius PP. X, in Audientia habita ab infrascripto Card. Praefecto, die 8 eiusdem mensis et anni, ratam habuit et confirmavit.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 8 Augusti 1906.

L. ✠ S.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*
† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretar.*

## V.

### Indulgentiae conceduntur pro pio exercitio mensis SS.mo Iesu Cordi dicati.

*Beatissimo Padre,* (1)

Essendo la devozione al Cuore SS. di Gesù la più feconda di frutti spirituali, di grazie e di meravigliose conversioni, per cui uomini ostinati nella colpa si sono ravveduti, ed essendo il pio esercizio del mese consacrato a quel Cuore Divino il mezzo più adatto ad estendere e perfezionare la detta devozione, il sottoscritto, umilmente prostrato ai piedi della S. V., supplica che

(1) Versio:

Cum devotio in SS. Cor Iesu sit fructuum spiritualium, gratiarum et mirabilium conversionum prae ceteris foecundissima, qua homines plurimi in culpa obstinati, resipuerunt; cumque pium exercitium Mensis eidem divino Cordi consecrati, sit modus aptior ad extendendam ac perficiendam praefatam devotionem, subscriptus humiliter ad pedes S. V. provolutus, supplex exorat;

Digitized by Google

alle indulgenze già largite dalla s. m. di Leone XIII si degni aggiungere la concessione perpetua:

1° dell'indulgenza plenaria *toties quoties*, applicabile alle anime dei defunti, il giorno 30 giugno, in quelle chiese dove il mese del Sacro Cuore sia stato solennemente compiuto;

2° del favore dell'altare Gregoriano *ad instar* nella loro messa del 30 giugno ai predicatori del mese del Sacro Cuore, ed ai Rettori delle chiese, ove il pio esercizio venne solennemente compiuto;

3° per le persone, che promuovono il pio esercizio, dell'indulgenza di 500 giorni, da lucrarsi con qualsiasi loro opera buona, intesa a propagarlo o a farlo compier meglio; della indulgenza plenaria nelle loro Comunioni del giugno; tutto applicabile alle anime sante del Purgatorio.

*Ex audientia SSmi, die 8 Augusti 1906.*

SSmus Dominus Noster Pius PP. X, qui in votis vel maxime habet, ut pium exercitium *mensis Cordi Iesu Sacratissimo dicati* magis in dies propagetur, et in Christifidelibus salubérrimas sane radices fortius et fructuosius agere conspiciatur, infra-

ut Indulgentiis iam a s. m. Leonis XIII concessis adiicere dignetur concessionem perpetuam:

1° Indulgentiae plenariae *toties quoties*, animabus defunctorum applicabilis, die 30 Iunii, iis in ecclesiis, in quibus Mensis Sacri Cordis solemniter habitum fuerit:

2° favoris Altaris Gregoriani *ad instar* sacris Oratoribus Mensis Sacri Cordis et Rectoribus ecclesiarum, in quibus pium exercitium solemniter habitum fuit, in Missa die 30 Iunii ab iis celebrata.

3° pro iis, qui pium exercitium peragendum curant Indulgentiae *quingentorum* dierum, quocumque bono opere lucrandae ab iis praestito, eo fine ut idem propagetur aut melius impleatur; *Indulgentiae plenariae* in suis Communionibus mensis Iunii; quae omnes animabus in purgatorio degentibus sint applicabiles.

Digitized by Google

scriptis (1) precibus libenter annuens *pro gratia*, indulgentias expetitas perpetuo valituras benigne elargiri dignatus est, atque optatam benedictionem Apostolicam peramanter impertivit.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

† Pro R. P. D. D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

L. ✣ S. IOSEPHUS M. Can. COSELLI, *Substitutus.*

## VI.

### Preces quotannis recitandae indicuntur in festo SS.mi Cordis Iesu (2).

DECRETUM.

### URBIS ET ORBIS.

Quo perennis extet memoria illius amplissimi Religionis actus, quo f. r. Leo XIII, anno 1899, sub die 25 Maii, augustissimo Cordi Iesu totius humani generis communitatem devovere decrevit, et salutares, qui ex illo fructus emanarunt iugiter perseverent, preces sunt delatae SS.mo D.no N.ro Pio Papae X, ut, apertis quoque Indulgentiarum thesauris, die festo eiusdem SS.mi Cordis, illum Consecrationis actum quotannis esse recolendum edicere dignaretur.

Has porro preces Eadem Sanctitas Sua peramanter excipiens, et, summopere exoptans, ut in christifidelibus, erga sacratissimum Cor Iesu iam excitata pietas magis alatur, et cuncti per hunc Consecrationis actum eidem suavissimo Cordi seipsos ferventius coniungere satagant, mandavit, ut singulis annis, memo-

(1) Rescriptum in originali appositum invenitur *extra* supplicem libellum.

(2) Cfr. Litterae Encycl. Leonis PP. XIII, d. 25 Maii 1899, apud. *Ephem. Liturg.*, vol. XIII, pag. 477.

Digitized by Google

rato die festo, in omnibus parochialibus templis, nec non in illis, in quibus idem festum agitur, coram SS.mo Sacramento publicae adorationi exposito, formula Consecrationis, ab eodem Pontifice Leone XIII proposita recitetur, ad quam Litaniae in honorem SS.mi Cordis erunt adiiciendae.

Sanctissimus vero, universis christifidelibus, huic piae caeremoniae, corde contrito ac devote adstantibus, et ad mentem suam orantibus, Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum benigne concessit; iis autem, qui sacramentali Confessione expiati, etiam ad S. Synaxim accesserint, plenariam Indulgentiam clementer est elargitus; quas Indulgentias animabus igne Purgatorii detentis fore applicabiles declaravit.

Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 22 Augusti 1906.

L. ✠ S.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

Digitized by Google

## Ad *Motu-proprio* de Protonotariis Apostolicis Commentarium.

(*Continuatio.* V. num. 8, anni curr., pagg. 462-468).

### De Protonotariis Apostolicis ad instar.

47. De venia Ordinarii et Praesulis consensu ecclesiae exemptae, extra Urbem, Missas (151), non tamen de requie (152), pontificali ritu et ornatu celebrare poterunt, prout supra notatur, ubi de Protonotariis Supranumerariis, nn. 25, 26, 27, 28, 29 (153); verum his legibus: Nec Faldistorio nec Gremiali unquam utantur, sed una cum Ministris in scamno, cooperto panno coloris diei, sedeant (154); caligis et sandaliis utantur sericis tantum, cum orae textu item serico flavi coloris ornato, et similiter sericis chirothecis sine alio ornamento (155), Mitra simplici ex serico damasceno, nullo ornamento, ne in oris quidem distincta, cum rubris laciniis ad vittas (156). Extra Cathedrales Ecclesias tantum, assistentem Presbyterum habere poterunt pluviali indutum, dummodo non assistat Episcopus Ordinarius aut alius Praesul ipso Episcopo maior (157). Crucem pectoralem auream sine gemmis gerent, appensam funiculo serico violacei ex integro coloris, auro non intertexto (158). Omnia, quae in Missa cantanda vel legenda sunt, nunquam ad scamnum, sed ad altare cantabunt et legent (159). Manus infra Missam lavent tantum ad Ps. *Lavabo* (160).

Digitized by Google

48. Poterunt insuper, pariter extra Urbem, de venia Ordinarii et cum Praesulis ecclesiae exemptae consensu, Mitra, Cruce pectorali et Annulo ornati, ad scamnum, more Presbyterorum, celebrare Vesperas illius festi, cuius Missam ipsi pontificaliter acturi sint, vel peregerint (161) (absque benedictione in fine) (162). Iisdem ornamentis eodemque ritu uti licebit, de speciali tamen commissione Ordinarii, in Vesperis festi, cuius Missa in pontificalibus ab alio quolibet Praelato celebretur, itemque in benedictione cum Sanctissimo Sacramento solemniter (non tamen trina) impertienda, in Processionibus, et in una ex quinque absolutionibus in solemnioribus exsequiis, de quibus in Pontificali Romano (163).

49. Romae Missam lectam, aliqua cum solemnitate celebrantes, si praelatitio habitu sint induti, ea retineant, quae de Protonotariis Supranumerariis n. 31 constituta sunt (164): extra Urbem, de speciali tamen commissione Ordinarii, eodem modo se gerent (165); aliis in Missis et functionibus, tamquam Praelati Domestici, ut n. 78, Palmatoriam tantum, si velint, adhibeant (166).

50. Qui Canonicorum coetui adscriptus, cui hactenus recensita Protanotariorum *ad instar* privilegia concessa sint, tamquam privata persona iisdem uti velit, prius Breve Pontificium, ut dicitur nn. 14 et 43, de sua inter Praelatos Domesticos aggregatione, servatis servandis, obtineat, simulque suae ad Canonicatum vel Dignitatem promotionis, initaeque possessionis ac inter Praelatos aggregationis testimonium Collegio Protonotariorum Participantium exhibeat. Tum coram ipsius Collegii

Digitized by Google

Decano, vel per se vel per legitimum procuratorem, Fidei professionem ac fidelitatis iusiurandum, de more, praestet; de his denique exhibito documento proprium Ordinarium certiorem faciat (167). Qui vero tamquam privata persona huiusmodi titulum rite fuerit consecutus, non ante privilegiis eidem titulo adnexis uti poterit, quam legitimum suae nominationis testimonium memorato Collegio exhibuerit, Fidei professionem et fidelitatis iusiurandum, uti supra, de hisque omnibus authenticum documentum suo Ordinario attulerit (168). Haec ubi praestiterint, eorum nomen in sylloge Protonotariorum recensebitur (169).

(151) Per se, Protonotarii *ad instar* non aliud ritu pontificali persolvere possunt, de venia Ordinarii, nisi Missam et praecedentes vel consequentes vesperas. Pro aliis functionibus videbimus infra, hoc ipso numero, in nota 163.

(152) Protonotarius *ad instar* ex constitutione Pii IX pluries citata 29 Augusti 1872 (§. 17) Missam pro defunctis pontificali ritu celebrari nequit; quod congruit cum decreto Alexandri VII 27 Sept. 1659, (§ 5) qui Abbatibus ipsis benedictis Missas pro defunctis prohibuit in pontificalibus, atque cum decreto Pii VII 27 Augusti 1822 (§ 13), qui idem interdixit Praelatis omnibus Episcopo inferioribus.

In hoc differunt Protonotarii Supranumerarii a Protonotariis *ad instar*; illi enim, ut vidimus supra n. 30, et in subiectis notis 107 et 108, *de speciali commissione Ordinarii Missam quoque pro defunctis pontificali ritu celebrare poterunt.*

(153) Quoad usum pontificalium insignium, vide quod traditur in hoc *Motu proprio* in citatis nn. 25, 26, 27, 28 et 29, atque in notis subiectis a 77 usque ad 106 inclusive; cum sequentibus exceptionibus.

Digitized by Google

(154) Protonotariis *ad instar* prohibetur a Pio IX (§ 15) usus faldistorii, *sed una cum Ministris in scamno cooperto tapeto vel panno coloris officio diei respondentis*, sedeant, quam dispositionem SS. D. N. Pius X hoc loco retinere plane voluit.

De huiusmodi scamno Coeremoniale Episcoporum loquens, praescribit (*l. 1, c. 12, n. 22*) *scamnum oblongum coopertum aliquo tapete aut panno a latere Epistolae, in quo sedeat Sacerdos celebrans cum diacono et subdiacono;* item alio loco (*l. 1, c. 9, n. 1.*) habet: *sedente Episcopo et ipsi* (Ministri) *sedent in scamno aliquo parato in cornu Epistolae Altaris.* Ad rem Gardellinius (*Adnot. ad Decr. 2631 in vol. IV, p. 243*) scribit: « Omnis quaestio igitur versatur circa intelligentiam et sensum dictionis: *in scamno parato.* Caeremoniale nec formam praescribit nec ornatum, quae duo accidentalia sunt, et varia esse possunt iuxta diversas ecclesiarum consuetudines, dummodo certis finibus coerceantur. Scamni nomen genericum est, et aeque potest intelligi tam de scabello oblongo, quam de lignea pariter oblonga sede cum suo postergali, excludit vero sedes camerales ».

Nam S. R. C. has sedes camerales pluries prohibuit praesertim decretis 1320, 2621[6], 3104[4] et 3804[11]. Quia vero ex decreto 2631[3], quod suo voto illustravit d. Gardellinius, ut vidimus, permittitur ut *Diaconus et Subdiaconus in Missa pontificali ministrantes possint ex consuetudine sedere in scamno in cornu Epistolae cum ligneo postergali, nec non serico damasceno cooperto et per unum gradum a terra elevato,* dicendum est, quod alia decreta 320, 743, 2135[3], quae sedes cum postergali prohibent, intelligenda sunt, non de scamno oblongo postergale seu dorsuale habente, sed de sedibus cameralibus. Etenim ex praxi universali, etiam Romae admissa, imo et ab Instructione Clementina (§ 25) adhibetur scamnum, sine brachialibus fulcimentis, oblongum, ita, ut commode ibi sedere possint Celebrans cum ministris, suo ligneo postergali instructum, atque panno aliquo exornatum; alioquin enim nimis esset incommodum sedere absque ullo dorsuali fulcimento.

Digitized by Google

Nobis adstipulatur De Herdt (*Praxis Pont. l. 1, c. 12, n. 99*): « In aliquibus decretis sedes cum postergali prohibentur, sedes autem quae prohibentur sunt illae quae non formam scamni, sed sedis singularis habent ita ut Celebrans, Diaconus et Subdiaconus particularem suam sedem habeant, scamnum autem cum postergali non prohibetur ». Item Cl. P. Georgius Schober, S. R. C. consultor acceptissimus, qui (*Caer. Miss. solemn. p. 26*) similiter docet: « Utique plura decreta sedem cum postergali prohibent, quod tamen intelligi debet de sede stricte dicta, ita ut Celebrans et Ministri seorsim sedem occupent, non autem de sede scamni formam habente ».

Quapropter Martinucci (*l. 2, c. 4, n. 7*) scribit: « In cornu Epistolae statuetur scamnum oblongum cum modico dorsuali seu postergali, quo Celebrans cum Ministris considebit: scamnum instruetur aulaeo laneo, quod conveniat solemnitati: oportet ut scamnum sit aequale, sine fulcris, sine prominentia, aut discrepantia ulla pro Celebrante; nullus ne Celebranti quidem supponatur pulvinus. Licebit tamen uti exiguo suppedali ligneo, quod exiguo etiam contegetur tapeto viridis coloris ».

Hac in re insistere coacti fuimus, eo quod redactor indicis decretorum S. R. C. (*vol. V, p. 452*) infeliciter decreta 320, 743, 2135, 2621, 3104 et 3804 citat, dicens: *Sedes cum postergali canonicis celebrantibus non licet, sed iidem sedere debent cum Ministris in aliquo scamno oblongo.* Imo frustra laboraret qui in eodem indice quaereret plura decreta, quae supra citavimus, sedes camerales prohibentia.

Quoad ornamentum scamni, de quo loquimur, licet severus Martinucci *aulaeo laneo* instrui dicat, nihilominus Gardellinius (*loc. cit.*) convenientius docet, et bene: « Scamno utendum omnino est cum postergali cooperto panno rubei vel alterius decentis coloris. Huiusmodi vero tegumentum potest esse sericum ». Eo ergo magis sericum esse poterit tegumentum scamni in quo sedere debet Protonotarius *ad instar*, congruentius tamen erit, quod non exigit Gardellini, ut eiusdem coloris sit ac cetera Missae paramenta.

Digitized by Google

Tandem observandum est, quod, huiusmodi scamnum semper collocari debet a latere Epistolae, ut iubet Caeremoniale (*loc. cit.*) et praescribit Rubrica generalis Missalis (*Tit. 17, n. 6*), quisquis sit celebrans; nam latus Evangelii reservatur Episcopo.

(155) Caligae et sandalia, de quibus egimus in nota 87, differunt ab illis, quibus uti possunt Protonotarii Supranumerarii, quia, ut iam praescripserat Pius Pp. IX (§ 16), itemque chirothecae, sine ullo ornamento aureo esse debent, sed tantummodo ex serico flavo ornari possunt orae textu.

(156) Item mitra Protonotarii *ad instar* nullo ornatu aureo ornari debet, potest tamen esse ex damasceno serico, et in hoc SS. D. N. Pius Pp. X locutionem constitutionis Pii IX, qua *Mitra simplici ex tela alba* concedebatur, opportune definivit. Etenim Caeremoniale Episcoporum ita simplicem mitram describit: *tertia, quae simplex est, sine auro, ex simplici serico damasceno, vel, alio aut etiam linea ex tela alba confecta, rubeis laciniis seu frangiis e vittis pendentibus.* Ubi apparet, notam mitrae *simplicis* hanc esse, ut careat quocumque ornatu aureo, sit albi coloris, et lacinias habeat rubras. Materia autem esse ad libitum potest vel linea, vel serica, vel serico-damascena. Pius IX (§ 16), dicendo *Mitra simplici ex tela alba*, nil rigorose loquendo, ait de materia, tela enim esse potest, vel aurea, vel argentea, vel serica vel etiam linea. Opportune ergo rem melius determinatur hodie in *Motu proprio*, concedendo usum mitrae damascenae, quae semper simplex est, sicque eliminatur mitra ex tela argentea.

In hoc corrigendus est d. Gardellinius, qui in suo voto (*ad Decr. 2648 vol. IV, p. 274*) supponit mitram *simplicem* esse tantum quae ex tela *linea* conficitur, dum, ut vidimus, etiam damascena simplex vocatur in Caeremoniali.

Rigidiores Caeremoniarum Magistri, citato decreto 2648 innisi, vellent, quod textura serico-damascena mitrae Protonotariorum dissimilis esset ab illa qua utuntur in Cappella pontificia E.mi Patres Cardinales, quae nimirum delineatam praesefert quandam figuram magni floris.



Digitized by Google

(157) Vide notas 102 et 103. Protonotarius *ad instar*, ex constitutione Pii IX (§ 15) Presbytero assistenti, in pontificali Missa uti nequibat. In hoc SS. D. N. Pius Pp. X item rigorem mitigavit, et concessit, extra Ecclesias Cathedrales, ac dummodo praesens non sit Ordinarius loci, Presbyterum assistentem.

(158) Color funiculi serici quo sustentatur crux pectoralis est violaceus, ut edixit Pius IX; Protonotariis autem Supranumerariis ut vidimus, color rubinus conceditur.

(159) Huiusmodi dispositio concordat cum S. R. C. Decreto dato die 8 Martii 1904 ad 2; in quo, declarando § XV Constitutionis Pii IX, decernit: *Protonotarius Missam pontificaliter celebrans omnia quae vel legenda sunt vel canenda numquam ad scamnum, sed semper ad Altare leget vel cantabit.*

In citato § XV Pius IX nil reapse concesserat Protonotariis, imo ritum pontificalem pro eis minuerat, illa exprimendo quae ipsi facere nequirent; ibi enim aiebat: *Abstineant ab usu septimi candelabri... non in faldistorio sedeant... non Baculo... utantur etc.* Quapropter, sicut paragraphos qui *concessiones* continent, latiori modo interpretari quis nequit, cum intelligatur solum concessum quod est expressum, ita paragraphos, qui *limitationes* continent, strictiori modo interpretari nemo debet, quia bene intelligi potest concessum, quod ibi expresse negatum vel prohibitum non est.

Re quidem vera, in § XIII Pius IX concedens pontificalium usum Protonotariis *ad instar*, ait: *Plura siquidem sunt quae illis omnimode, prout sequitur, interdicuntur.* Ergo in sequentibus §§ XIV, XV, XVI, XVII et XVIII, ea indicantur, quae Protonotariis Pius IX inhibita voluit. Atqui in eis non prohibetur canere vel legere ad scamnum, quod alii legunt vel canunt ad faldistorium, igitur, uti non sine causa multi interpretabantur, contra De Herdt (*Prax. Pont. l. 5, n. 351*) Protonotarii bene poterant Introitum legere ad scamnum, intonare *Gloria*, canere orationes etc.; prohibens namque in citato § XV, Pius IX, ne in *faldistorio eove minus in throno sedeat, sed una cum ministris in scamno etc...*, nil prorsus dicit quo loco praedicta legere vel cantare deberent.

Digitized by Google

Nihilominus cum ex una parte valde conveniat quod pontificales ritus splendidiores sint pro Episcopis, quam pro Praelatis charactere episcopali carentibus, et ex altera, cum scamnum in latere Epistolae locum non teneat throni, sicut faldistorium, ac proinde in eo numquam aliquid legit vel canit Sacerdos Missam celebrans, opportunissime S. R. C. dictum decretum, iussu SS. D. N. Pii Pp. X evulgavit, cuius dispositio hoc loco in *Motu proprio* inducta fuit.

Quapropter Protonotarius *ad instar*, celebrans Missam in pontificalibus, hac in re omnino se gerat ut quilibet Sacerdos, qui Missam solemnem decantat, ideoque Introitum, *Kyrie*, *Gloria*, Orationes, Graduale, Evangelium, *Credo* et Offertorium, more solito ad Altare leget.

(160) Quoad ablutionem manuum tantummodo ad *Lavabo* faciendam, vide supra notam 104.

(161) Ante Constitutionem Pii IX, Protonotarii non tantum Missam, sed et Vesperas celebrare poterant ritu pontificali; post illam vero dubitatum est ab aliquibus. Siquidem in § XVII dicitur: *Pontificalia ornamenta assumere nequibunt... in quibuscumque aliis functionibus, nisi forte Missam solemnem immediate praecedant vel subsequantur*; ex qua locutione nonnulli rigorose interpretantes verba *praecedant* et *subsequantur*, negabant facultatem Protonotariis Vesperas decantandi cum mitra, illius festi cuius Missam celebrant pontificaliter.

Alii vero inde arguebant bene hoc posse (Cf. *Ephem. Liturg.* an. 1900, p. 628): 1° quia stricte loquendo de Vesperis tacet citatus paragraphus; 2° quia liturgice loquendo Vesperae et Missae pontificales connexionem habent iuxta Coeremonialis praescriptum.

Ceterum in praxi plurimis in locis Protonotarii hanc secundam sententiam passim secuti sunt, videntibus et consentientibus Episcopis, hisce rationibus permoti; quia si Protonotarius, qui mane Missam, mitra ornatus, celebravit Vesperas eiusdem festi sine Mitra agere deberet: 1° eius honor non parum minueretur;

Digitized by Google

2° apud populum admirationis locus daretur; 3° Festivitas ipsa incompleta et minus solemnis evaderet.

Quibus ex causis opportune in citato S. R. C. decreto 9 Martii 1904, ad 4, iam declaratum est: *Protonotarius item poterit mitra, Cruce pectorali et annulo ornatus ad scamnum celebrare Vesperas more Presbyterorum, illius festi, cuius Missam ipse pontificaliter acturus est vel peregit*; hoc autem absque speciali et distincta venia Episcopi, nam, in concessione ab eo facta pro Missa pontificali, hodie post huiusmodi S. R. C. Decretum, intelligitur comprehensa et concessio pro Vesperis.

Notandum tandem est, hic dici *more Presbyterorum*; quod significat a celebrante Protonotario Vesperas celebrari sicut in Caeremoniali disponitur pro Sacerdotibus, ideoque sicut isti se habere debet Protonotarius, cantando, non excluso Capitulo, ea quae a celebrantibus ad scamnum seu ad primum stallum chori cantari solent; lectio enim Capituli ab alio legi debet, quando Vesperae celebrantur ad thronum vel ad faldistorium.

(162) Pro omissione benedictionis in fine Vesperarum vide notam 98.

(163) De celebrandis cum mitra Vesperis, quae nullam habent relationem cum Missa a Protonotario cantanda vel cantata, aliud est dicendum; Protonotarius enim nequit has celebrare Vesperas, sicut alias functiones a Missa pontificali distinctas, absque *speciali commissione Ordinarii*. Quid intelligi debeat pro huiusmodi speciali commissione, aliquid iam diximus in nota 107; hic alia addenda sunt.

In hoc *Motu proprio* Summus Pontifex privilegia Protonotariorum moderatus est, ea ratione, ut et episcopali dignitati debitus tribueretur honor, et privilegiorum usus aequa lance servaretur. Hinc concedens, non Protonotario directe, sed Ordinario loci, facultatem *de speciali commissione* sua, ut Protonotarius in Vesperis in benedictione cum SS. Sacramento, in Processionibus, et in una ex quinque absolutionibus in solemnioribus exequiis, mitra utatur, plane dignitati Episcoporum consuluit.

Digitized by Google

Siquidem, pluries in dioecesibus accidere potest quod Episcopus loci impediatur quominus aliquas functiones peragere valeat; ex. gr. Episcopus Missam pontificali ritu egit in festo Patroni civitatis, Vesperas tamen celebrare nequit; tunc ne diei solemnitas nimis minuatur, *committere* potest Protonotario, ut eius loco Vesperas, ritu quidem moderatiori, pontificali tamen, cum mitra celebret.

Idem dic de aliqua benedictione cum SS. Sacramento, vel de aliqua solemni processione, quam Episcopus forsan iam antea se celebraturum promiserat, et postea a peragenda impeditus fuit; tunc item suo loco eiusmodi functionem Protonotario celebrandam committere poterit. Sic et dignitati episcopali ex una, et solemnitatibus quibusdam ex alia, cum populi gaudio satis provisum erit.

Pontificale Romanum, ubi agit de quinque absolutionibus in funeribus Summi Pontificis, Episcopi loci et Regis etc. dicit, quod quatuor Praelati praesentes sumunt *amictum, stolam, pluviale nigrum et mitram simplicem, si ea uti possunt*; igitur, si Protonotarius *ad instar* aderit, utique Ordinarius eum vocare poterit, ut unam ex illis absolutionibus impertiatur mitra linea coopertus.

(164) In hoc quoque differunt Protonotarii *ad instar*, ab iis qui Supranumerarii dicuntur. Hi enim, ut dicitur in n. 31 huius *Motu proprio*, Romae et extra, Missam lectam cum aliqua solemnitate, more Episcoporum celebrare possunt; Protonotarii vero *ad instar*, nonnisi Romae, uti iam Pius IX disposuerat (§ XIX), huiusmodi Missam celebrare queunt. Hanc concessionem coarctatam pro urbe Romae tribuit Pius IX dicens: *Verum cum Protonotarii* ad instar *nequeant in Urbe ob Summi Pontificis praesentiam Pontificalium privilegium exercere, hinc illis Romae permittitur etc.* quasi ad modum compensationis. De modo hanc Missam celebrandi vide notas a 110, usque ad 114.

(165) Extra Urbem Protonotarius nequit in Missa lecta differre a simplici Sacerdote. Nihilominus SS. D. N. Pius Pp. X in citato S. R. C. decreto 9 Martii 1904 concessit, *quando id*

Digitized by Google

*muneris in aliqua solemnitate adimplendum eidem commiserit loci Ordinarius*; quod congruit cum dispositione in *Motu proprio* hoc loco contenta. Aequa atque conveniens est ista concessio; cum enim saepe contingat ut occasione alicuius festivitatis Episcopus invitatus Missam lectam, puta pro generali Communione celebrare nequeat; et cum ad fovendam fidelium devotionem, nec non ad maiorem festivitatis splendorem non parum faveat si ipsa Missa lecta solemnius celebretur a Praelato, opportunum visum est concedere facultatem, Ordinario ipsi, ut Protonotario committat hoc munus. Tunc, habita huiusmodi *speciali commissione*, et non aliter, Protonotarius Missam lectam vice Episcopi celebrabit, eo ritu et modo, qui describitur supra n. 31.

(166) In aliis Missis cantatis vel etiam lectis cum aliqua solemnitate, aliisque in functionibus, puta in Vesperis solemnibus, sicut alii Praelati domestici, Palmatoriam adhibere poterit Protonotarius *ad instar* (non vero urceum et pelvim, quibus tantum Protonotarii Supranumerarii uti possunt, ut vidimus in nota 115).

Palmatoriae usus conceditur a SS. D. N. Pio X hoc in casu omnibus Praelatis Urbanis, ut videbimus n. 78.

(167) Pro iis Protonotariis *ad instar*, qui tali honore decorantur, quatenus alicuius Capituli Canonici, vide quae diximus supra in notis 119 et 120.

(168) Pro iis vero, qui Protonotarii *ad instar* personaliter a Summo Pontifice creantur, uti Pius IX (§ XX) praescripserat, non ante privilegiis Protonotariatus uti poterit, nisi Breve suae nominationis Decano collegii Protonotariorum Participantium exhibuerit, et per se vel per suum procuratorem fidelitatis iuramentum praestiterit.

(169) Applica quae diximus in nota 121, quoad Protonotarios Canonicos; quoad vero Protonotarios personaliter creatos, inscriptio in albo Protonotariorum ab ipso decano facienda curatur.

(*Continuabitur*).

Doct. PETRUS PIACENZA.

Digitized by Google

# Acta Academiae Liturgicae Romanae.

*Die 21 Martii 1906*, in S. Aede Congregationis Missionis prope Curiam Innocentianam, habitus est Conventus academicus, in quo Rev. D. UBALDUS MANNUCCI, quaestionem enodavit:

## De Officio et Missa propriis Patroni pro Regularibus.

Post Censorum animadversiones et placita, alter ex illis, Rev.mus P. ELIAS M. COCCIA, Ord. Carmelit. A. O., epitomen resolutionum fecit, quam excepit pia collatio de ecclesiasticis officiis.

### Quaestionis propositio.

Ab Ecclesia ac Dioecesi albanensi nonnullis abhinc annis petitum, propositum obtentumque est officium cum Missa propria S. Pancratii Martyris dictae civitatis patroni. Gravis inde exorta fuit controversia inter Calendarii dioecesani ordinatorem, et quemdam regularem virum, ordinatorem Calendarii Ordinis sui, intra dictae dioecesis confinia morantis. Hic enim antiquae adhaerens normae officium praedictum non suo Ordini, neque aliis regularibus Ordinibus impositum sustinebat, sed tantum civitati et Dioecesi albanensi. Ex opposito autem ordinator Calendarii dioecesani tuebatur, quoscumque Regulares ad dictum officium Missamque propria, eo ipso quo Dioecesi imposita sunt, et ipsos teneri. Vix autem alter huic sententiae adhaesit, cum ex peculiari Rubrica a S. R.C. approbata, eidemque officio praemissa,

Digitized by Google

inferre potuit eiusmodi obligationem. Secus, tenebat, Regulares officium quidem patroni, sicut et Missam recitare debere, sed tantum de communi ut in Breviario, lectionibus secundi nocturni et Oratione propriis, si adsint, in officio, et in Missa Oratione pariter propria, si habeatur in Missali, exceptis. *Quaeritur.*

1. *Quid de antiquitate patronorum festa celebrandi in utraque, seu latina, seu graeca Ecclesia dicendum?*

2. *Quo sensu festa quaedam dicantur propria, et quinam ad ea celebranda vi Rubricarum teneantur?*

3. *Utrum eiusmodi sit patroni festum, et eius officium et Missam propria quicumque Regulares dicere teneantur?*

4. *Utri ex disceptantibus ratio faveat?*

**Solutio.**

I. Quid de antiquitate Patronorum festa celebrandi in utraque, seu latina, seu graeca Ecclesia dicendum?

Duo sunt veluti fundamenta quibus Patronorum cultus innititur: unum quidem generale atque dogmaticum, nempe fides in Sanctorum communionem, alterum vero peculiare ac historicum, quod videlicet Martyrum cultus, a quo Sanctorum veneratio initium cepit, in locis peculiari ratione cum eorum memoria coniunctis exordium sumpserit. Quum autem constet, utrumque hoc fundamentum vel ab origine christianarum rerum exstitisse, iam colligitur, Patronorum cultum extunc etiam floruisse. Nam, prouti typicum exemplar nos docet in actis S. Polycarpi (apud Euseb., *Hist. Eccl.*, IV, 15), eodem loco quo martyr occubuerat, illius ossa, gemmis pretiosissimis cariora, colligebantur, atque ubi decebat condebantur. Quo etiam in loco a convenientibus natalis eius martyrii dies cum hilaritate et gaudio celebrabatur. Iamvero hoc altare seu sepulcrum, ac sacra cella in qua idem colebatur,

Digitized by Google

veluti palladium civitatis habebatur, ubi nempe sanctus martyr vivit et iuvat et tenet clavum ecclesiae (Hymn. XV S. Ennodii Papiensis); ac proinde ibidem centrum venerationis martyri praestitae facile efficiebatur. Ex quo pronum erat deducere principium ipsum, quo Patronorum cultus fulcitur, nempe beatum Virum peculiarem quamdam gerere curam ac defensionem illius civitatis, quae sibi et caelestis gloriae veluti ianua extiterat, et modo extat terrena veluti ara. Huius principii illustrationem atque declarationem praebent utriusque Ecclesiae primaeva ac luculenta testimonia de Patronorum cultu ac festis. En praecipua specimina:

Basilius Seleuciensis (*De vita et mirac. S. Theclae*, Migne, *P. G.*, LXXXV, 567), S. Theclae protectionem in Athenarum civitatem tradit exerceri κατ' ἐνὰ, κατὰ πολλοὺς, κατ' οἴκους κατὰ γένη, κατὰ δήμους. De S. Cypriano, S. Gregorius Nazianzenus (*De laud. Cypr.*, § 19, M., *P. G.*, XX, 698) sic loquitur: « Nos e caelo benigne adspicit, sermones et vitas gubernans sacrumque hunc gregem pascit aut pascentem adiuvat, tum in ceteris rebus ad optima quaeque dirigit, tum graves lupos amoliens, sanctaeque Trinitatis cui adstat pleniorem clarioremque splendorem nobis concilians, etc. ». Cuius rei Nyssenus rationem veluti reddens addit: « Nam patria martyris locus est passionis, cives item fratres ac cognati, qui habent eum et tuentur et ornant et honorant; ideo ipse pro patria intercedit ad communem regem et dominum (In S. Theodor., *P. G.*, 25, 479; cfr. et Basil. in Mamante, § 8); ita LX Martyres Nyssae validi extant contra adversarios propugnatores, et fide digni intercessores, apud communem dominum *patroni* (παράκλητοι), horum *patrocinio* tectus Nyssenus confidat, licet diabolus tentationes nectat et improbi exurgant, et tyranni irascantur, et *mare saeviat*, et *terra non ferat quae* hominibus ferre solet, tandem *caelum ipsum minas* intentat; ad omnem enim necessitatem et eventum horum facultas et potentia sufficit »; immo ut syrus quidam scriptor insinuat, etiam « in extrema mundi catastrophe, in aevi huius consummatione civitatem suam tuetur » (Cyrillonas, apud Bickell, *Syrische Gedichte*, 1872, V, 18).

Digitized by Google

Eadem Prudentius passim, necnon Balaros et Iacob Larug., apud Bickel (Ibid., 107); cfr. et Tourret, *Les saints Patrons* (pag. 290 et sqq.). Ideo in Ecclesia Orientali, etsi patroni et clientis nomina (ex romano iuridico instituto deprompta) deficiant, res tamen incognita non erat, imo nomina prorsus similia habemus προστάτης (Chrysost., *De Berenice et Prosd.* serm.), παράκλητος (Nyssen., l. c.); συνήγορος, πρεσβεύτης, πολίουχος, ἐπίκουρος, etc. Nec praetereundum perspicuum illud a Socrate enarratum in sua *Historia*, de Maiouma urbe a Constantino, autonoma, in praemium christianae fidei reddita ac suo nomine donata, a Iuliano Apostata vero, in odium eiusdem fidei Gazae subdita ac in unam coacta. Docet enim Socrates, unionem hanc, nonnisi in politicis haberi potuisse: « Quoad vero ad Ecclesiam pertinet, ea solum parte duae urbes videntur: utraque enim seorsum habet Episcopum et clerum dies etiam festos Patronorum Martyrum propria sunt ac diversa (ἑκατέρα γὰρ ἴδια .... καὶ πανηγυρεῖς, παρακλήτων μαρτύρων καὶ μνεῖας).

Ex quo palam fit, longe ante Iulianum utramque urbem propriis Patronis gavisam fuisse ac eorum festa recoluisse; quod quidem etiam aliis in urbibus similiter fieri consuevisse argumentum est.

Si vero Ecclesiam latinam adeamus, nedum rem, sed et ipsum nomen perspicuum erit. Sufficiat recolere celeberrima illa, quae Ambrosius de Patronis Mediolani Nazario et Celso tam luculenter habet: quae quidem tanta praefulgent claritate, tanta scriptorum et actorum sancti Doctoris pars sunt, ut hoc exemplar nonnisi terminus longae evolutionis prorsus haberi debeat. Sed et ipsa persecutionum acta argumentorum molem suppeditant. Legimus de Ss. Triphone et Respicio (sub Decio a. 51, apud Ruinart, II, 131): « Viri pii et sacerdotes Domini convenerunt et dedicaverunt martyrium illorum, et magna cum reverentia, *secundum praescriptum Ecclesiae*, commendantes animas suas et res civium eorum beatorum *patrocinio*. De XXXVII Martyribus Aegypti, sub Diocletiano (Ruinart, IV, 285), docet actorum scri-

Digitized by Google

ptor, quod eos sic selegit Dominus ex quatuor Aegypti partibus, ut quaevis « eorum quadripartita custodia tuta in hoc saeculo permaneret, omnesque earumdem urbes Dei beneficium persentirent, dum invictis militibus ac filiis in caelum ad Deos advocatis uteretur ».

Ab Ambrosio autem deinceps, continua prorsus testium ditamur serie: Augustino, Evodio, Paulino Nolano (*Carmina de S. Felice Nolarum Patrono*), Prudentio, Paulino Petricordio (*de Martino Turonensium Patrono*), Flodoardo (*de S. Remigio*), Alcuino, Abbone, Hincmaro, ac per eos facile Francorum aetatem attingimus, in qua Patronorum festum inter praecipua celebranda censetur. Et sane, in antiquissima illa Chrodegangi (Metensis Episcopi) Regula qua Pipini aetas in liturgia regitur, illud perspicuum legimus: « In solemnitatibus praecipuis ut in Paschate, in Natali Domini, etc., item beatorum Apostolorum... sive et in natali cuiuslibet sancti cuius honor in qualicumque paroecia specialiter celebratur, plenarium officium celebretur et bis reficiatur »; quam regulam confirmat, post L annos, Concilium Moguntinum, a. 813, ac ipse Nicolaus I Pp. ad Bulgaros, inquirens: « necnon et eorum sanctorum natales, quorum apud vos Dei gratia praecipue memoria celebratur, ut dies festivos in primis habeatis ».

II. Quo sensu festa quaedam dicantur propria, et quinam ad ea celebranda vi Rubricarum teneantur?

Teste Guyeto (*Heortologia*, 1728, pag. 2), antiquitus disputatum est, num ad festum proprium constituendum requireretur feriatio publica, ita ut communia festa dicerentur quae *chori* tantum, *propria* vero quae etiam *fori* solemnitatem praeseferrent, verum haec controversia ac interpretatio obsoleta est, neminique dubium, feriationem publicam seu cessationem a servilibus nullatenus in definitionem festi proprii venire. Haec definitio, e contrario, nonnisi ex oppositionis regula inter proprium et commune est accipienda, ita ut communia dicamus quae in Calendario Romano, seu in *universa* Ecclesia recepta sunt, propria quae in particularibus Ecclesiis vel locis celebrantur, *ex peculiari quadam*

Digitized by Google

*ratione*, quam pressius determinare oportet. Sunt autem hae rationes sive causae praecipuae: titulus aut Patronus regni, provinciae, civitatis, oppidi, pagi; titulus seu Patronus ecclesiae; dedicatio propriae ecclesiae; festum ratione corporis vel insignis reliquiae; titulus et dedicatio ecclesiae cathedralis; festum ex speciali concessione vel ex legitima consuetudine inductum (De Herdt, II, 209). Haec omnia quoties accidant solent inscribi in calendario, quod idcirco dicitur proprium, et esse solet proprium dioecesis vel ecclesiae vel ordinis. Igitur quinam celebrare haec festa debeant, ex calendario quo eis utendum sit dirimitur: ita Rubricae praescribunt, *clericos dioecesis* iuxta calendarium dioecesanum, si habeatur tale et legitime approbatum; *regulares* secundum calendarium ordinis, in quo sunt professi, officium recitare debent, quibus etiam addi debent, pro singulis, festa propria ecclesiae cui quisque sit adscriptus. Hinc habes aliquando in aliqua ecclesia officium fieri *proprium* propter se, aliquando vero propter aliquam aliam ecclesiam, cui illa subsit; nam certum est, festa ecclesiae, quae caput est dioecesis, si praecise in ea, qua dioecesana, celebrentur, etiam ab aliis dioecesis ecclesiis celebranda esse, etsi hae Regularibus exemptis fuerint commissae; ita namque decernit Tridentinum (Cap. XII, Sess. XXV): « Dies etiam festi quos in *dioecesi sua* servandos Episcopus praeceperit ab exemptis omnibus, etiam regularibus serventur ».

Restat ut quaeramus, num festum Patroni ita sit omnium proprium ut etiam a Regularibus sit celebrándum?

Et respondendum affirmative.

Patronus enimvero ille est Sanctus, qui a clero et populo cuiusdam loci (regnum, dioecesis, urbs, pagus) tamquam peculiaris protector ac intercessor habetur, vel per rite factam electionem vel per traditam a maioribus consuetudinem. Tunc eius festum proprium est totius ipsius loci (sive regnum sit, sive pagus), ac in omnibus ipsius loci *ecclesiis*, ob rationem communis protectionis, celebrari oportet; hinc si regni est, a quavis regni ecclesia, si dioecesis est, a quavis dioecesis ecclesia, si pagi est,

Digitized by Google

a quavis pagi ecclesia. Hinc intelliges, Patronum dici posse, vel communem, v. g. totius dioecesis, vel *proprium* v. g. huius pagi, eius tamen festum semper *proprium* esse cuiusvis ecclesiae.

Iamvero, Regulares ipsos exemptos, ab hac universalitate non excludi liquet ex dictis. Quibus multa alia argumenta addi possunt: *a*) ex Rubricis (IV, *De Domin.*, n. 1), ubi de festo Patroni loci incidente in Dominicas II classis decernitur: « quia tunc de huiusmodi festo fit tantum in... *Loco*, cuius est titulus vel Patronus ». Igitur solus locus, adhuc si exemptus sit ab Ordinarii iurisdictione, ad hoc festum obligatur; *b*) ex pluries resolutis apud S. Rituum Congregationem: haec enim decrevit, Patroni principalis dioecesis festum a Regularibus celebrandum esse, et quidem ritu duplici I classis, sed sine octava (*n. 2319*, alia dubia, ad I, Coll. Auth., vol. II, pag. 59); eos etiam teneri docuit ad Officium Protectoris civitatis (*1708*[1], ib., vol. I, pag. 332); exclusit tantum Patronum paroeciae (*2148*[3], *2822* d. II, q. 3, ib. vol. I, pag. 481, et vol. II, pag. 296); *c*) ex ratione, argumenta sic coaggerat Cavalerius (in Decr. 37[8]): « Huiusce rei ratio plurima quidem est. Tum quia est ex praecipuis loci festivitatibus, adeoque ex iis, quae ab omnibus loci incolis decent custodiri; tum ne populus qui in dictis festis ad Regularium ecclesias accedit Missas et Officia divina de iisdem auditurus in sua expectatione decipiatur, et ut ad pietatem erga Patronum suum non minus accendatur, quam si ad reliquas loci confluat Ecclesias (ex Gavanto, in h. l., n. 5); tum quia cum totius loci Patronus ille sit, Patronus est etiam Regularium in eo loco existentium ac commorantium. Regulares enim ad Patroni concurrunt electionem, cum suum debeant non minus ac Clerus saecularis consensum praebere, adeoque non minus debent eumdem tamquam Patronum excolere »; *d*) Accedit consensus unanimis etiam Regularium, qui omnes in suis Calendariis et caeremonialibus tractatis idem statuunt. Cfr. Guyet, lib. II, c. XVI, q. 4 (ed. cit. pag. 190, ac praesertim citt. decr. 1708, 2148, 2822, in propositione dubiorum); *e*) Tandem omnino confirmatur exposita doctrina per

Digitized by Google

generale Decretum S. R. C., 9 Iulii 1895, n. 3863, quo absolute praecipitur, « festum praecipui Patroni loci, vel dioecesis si particularis non habeatur, celebrandum esse *ab omnibus et singulis de Clero, ad Horas Canonicas obligatis, qui eodem in loco degunt*, sub ritu dupl. 1 cl., a saeculari cum octava, a Regulari vero sine octava ».

III. Iam nunc investigandum de nodo quaestionis, num scilicet praeter onus celebrandi festum Patroni, aliud sit eis imponendum de utendo in eadem celebratione Officio proprio, quod sit fortasse concessum; quod, ut patet, longe diversum est.

Fatendum est, si veteres scriptores inspiciamus, eos concordes esse in hoc onere imponendo, et quidem in eodem eruendo ex ipsis verbis Rubricae (I, 1) iubentis, generaliter festa propria, inter quae etiam *Patroni*, unius vel plurium, *alicuius loci*, « cum Officiis propriis a Sede Apostolica approbatis, aut ex eiusdem Sedis auctoritate receptis vel recipiendis », celebrari, alioquin de Communi. Ita v. g. Guyetus (lib. III, cap. I, 20, pag. 231), et fortissime Cavalerius (tom. II, Decr. 357, VI).

Verum inter recentiores res non eodem modo liquet; ac prout etiam in Ephem. Liturg. relatum invenitur (vol. XIV, pag. 476; vol. XVII, pag. 254, 419 et seq.), duplex est sententia. Certis igitur ab incertis seiunctis, paucis utrimque argumenta prodamus.

In primis non par procedit ratio pro Regularibus, qui Calendario proprio utuntur, ac pro iis qui, eodem carentes, dioecesanum adhibent. Hi enim, ut in aliis festis, etiam in festo patroni Officia propria locis concessa recitare debent. Quoad eos Ordines qui proprio utuntur Breviario, item nulla est quaestio, si in concessione Officii proprii de quo agitur, formula adhibita est exclusiva vel onerans: tum scilicet si ea pro clero tantum saeculari, tum si etiam pro regulari proprium calendarium habente concessa sint: patet enim, in primo casu, Regulares ne posse quidem Officium huiusmodi adhibere, in altero vero ad idem teneri. Igitur quaestio reducitur ad casum illum (haud sane rarum) in quo Officium ita sit concessum, ut ex verbis concessionis nec exclusus censeri debeat, nec inclusus, clerus regularis *proprio calendario gaudens*; et quae-

Digitized by Google

ritur: an istis Regularibus liceat, an etiam debeant ipsi his Officiis uti? Ex generali illa regula, quam iam innuimus, nihil erui potest; nam ut cl. ab Appeltern animadvertit, hoc ipsum est in quaestione: num Officia tali modo concessa, sint auctoritate Apostolica « approbata, recepta et recipienda pro ipsis Regularibus », si hoc non exprimitur. Id autem numquam decidetur, nisi ex aliquo positivo Decreto, quod, circa extensionem huiusmodi Officiorum, pro sancto Patrono approbatorum, *peculiaris* eorum mentionis defectum in Decreto concessionis supplere possit.

Hanc autem generalem concessionem sententiae affirmantis fautores ex his decretis eruere conantur:

1° Ex 1708[1] ubi decretum est, Regulares non posse uti calendario dioecesano, sed tantum teneri ad recitationem Officii proprii Patroni principalis et Titularis Ecclesiae Cathedralis, necnon Protectoris civitatis: ex quo duplex argumentum: *a*) Regulares possunt uti calendario dioecesano in his Officiis celebrandis: atqui in eodem calendario certo certius adsignabitur Officium proprium: ergo, *possunt*... *b*) Expresse dicitur, eos *teneri* ad recitationem Officii proprii, Patroni etc.; ergo *debent*.

2° Ex 2444[2], quo declaratur, a Patribus Carmelitis in Polonia recitari *debere* idem Officium proprium de S. Stanislao, Patrono principali Regni Poloniae, cum suis antiphonis, lectionibus, responsoriis etc., quod recitatur a Clero saeculari et aliis. (Cfr. *Ephem. Liturg.*, vol. XVII, pag. 543).

3° Ex 3084[3], Episcopus *potest* et etiam *debet* praecipere monialibus sibi subiectis, quamvis proprii Ordinis calendarium adhibeant, Officia, quae ex benigna S. Sedis concessione Clerus saecularis et regularis propria recitat in festis Sancti Patroni loci, Titularis et Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, dummodo Breviarium, quo Moniales utuntur, non discrepet a forma Breviarii Romani. Idem autem dicatur de Praelatis regularibus relate ad Moniales et Regulares viros, ipsorum iurisdictionis subiectos (Cfr. Decr. S. R. C., n. 2092 ac 2691, et Cavalieri, tom. I, decr. 11, 37, 39).

Digitized by Google

4° Ex 3157, I ad 2 et 3, in quo habemus: Inter Suffragia communia, a Regularibus proprio calendario utentibus agenda est commemoratio Patroni loci, quae sumi debet ex Officio proprio, si habetur. A fortiori igitur ipsum Officium proprium est adhibendum in ipso festo, quod certe supponitur: si enim idem Regularibus permissum non habeatur, undenam sumenda huiusmodi commemoratio?

5° Ex recenti Decreto S. R. C., 16 Feb. 1906, quo declaratum est, Fratres Minores degentes in toto Regno Neapolitano *teneri* ad recitandum Officium proprium cum respectiva Missa item propria de S. Ianuario Episc. Mart., utpote Patrono olim totius Regni Neapolitani, eosdemque Fratres Minores degentes in Provincia civili Barensi *teneri* ad persolvendum Officium proprium cum Missa item propria de S. Nicolao Episc., utpote Patrono principali totius Provinciae Barensis (Cfr. *Ephem. Liturg.*, a. curr., pagg. 321 et 392).

Ab adversariis autem adhuc sustinetur, haec decreta non sufficere. Quoad primum enim (1708), *uti calendario,* nihil aliud esset, quam festa in eo contenta celebrare Officio formali, quin de Officio materiali, ut ita dicamus, quaeratur: *proprium* autem non esset referendum ad Officium, sed ad *Patronum*, si cum cl. ab Appeltern interpretemur, Patronum proprium Regularium (quod quidem satis improbabile videtur), vel potius Patronum seu Titulum propriae Regularium ecclesiae. Alii vero probabilius censent, in citato Decreto *proprium* referri ad *Officium* Patroni *seu* Titularis cathedralis, quod ibi vocatur *proprium*, non quatenus constat antiphonis etc. propriis, sed quatenus est *particulare, dioecesanum*, idest *proprium* loci seu dioecesis, sicuti superius docuimus (1): quae interpretatio innititur antiquiori S. R. C. Decreto d. 10 Iunii 1656 in *Parisien.* (n. 1805 vet. collect.), ex quo illud (n. 1708 novae collect.) desumptum videtur, utpote iisdem fere verbis enunciatum. En textus huius Decreti *Parisien.*: « Nuntius Apostolicus

(1) Cfr. *Ephem. Liturg.*, vol. IV, pag. 678.

Digitized by Google

apud Galliarum Regem E.mos Patres rogavit, ut dignarentur pro quiete conscientiae aliquorum Regularium decernere, num Regulares possent ultra *Officia propria* Sanctorum Ordinis recitare etiam *Officia propria*, quae habentur in *calendario* dioecesano? Et S. C. iussit ad eumdem Nuntium dirigi literas, quibus ei significetur, *non posse Regulares uti calendario dioecesano, sed tantum teneri ad recitationem Officii proprii Sanctorum Patroni principalis, scilicet Titularis ecclesiae cathedralis, et Protectoris civitatis.* Die 10 Iunii 1656 ».

In secundo ac tertio Decreto (2444[2] et 3084[2]) supponi videtur, Officium proprium Patroni iam antea recitari ab aliis quoque Regularibus proprio calendario gaudentibus, ideoque his quoque fuisse concessum. Insuper tam duo praefata decreta, quam recens Decretum diei 16 Febr. 1906, non loquuntur de *omnibus* praecipuis locorum Patronis; quapropter dubitari potest, num habenda sint tamquam *particularia* Decreta, eo magis quia in Decreto generali S. R. C., d. 9 Iulii 1895, n. 3863, ubi agitur de celebratione *festorum* Patroni loci, Dedicationis ac Tituli ecclesiae, nihil dicitur quoad *Officii* adhibendi qualitatem.

Quartum Decretum (3157) obscuritate laborat; etenim ad dubium 2: « An (a Societate SS.mi Sacramenti, proprium habente calendarium) inter Suffragia communia commemoratio praedictorum Patronorum (locorum) sit peragenda », S. R. C. absolute respondit: « *Affirmative* »; ad dubium autem 3: « An adhibendum sit *Officium proprium* specialiter pro istis locis concessum; vel recurrendum sit, sive pro Missa sive pro Officio, ad *Commune Sanctorum*? », S. R. C. non respondit: « *Affirmative*, ad primum; *negative*, ad secundum », sed rescripsit: « Sumatur commemoratio ex Officio proprio *si habetur*; secus de Communi etc. ». Hoc igitur responsum intelligi potest hoc sensu, quatenus nempe a Regularibus proprium calendarium habentibus, inter Suffragia communia, commemoratio de praecipuo Patrono loci (ubi ex consuetudine fit) sumenda est ex Officio proprio, *si habetur seu adhibetur ab ipsis Regularibus in Patroni festo*, integra tamen ma-



Digitized by Google

nente quaestione, an ipsi in eodem festo adhibere teneantur *Officium proprium* Clero dioecesano concessum. Etiamsi vero supponamus, duo praefata responsa ob editoris incuriam inversa fuisse (cfr. *Ephem. Liturg.*, vol. XVII, pag. 364), res item incerta maneret; responsum enim affirmativum, absolute seu sine ulla distinctione datum tertio dubio ex duabus partibus constanti, referri posset ad alteram quoque eiusdem dubii partem: « An recurrendum sit, sive pro Missa sive pro Officio, ad *Commune Sanctorum*? ». Ceterum decretorum Index (pag. 424) aperte excludit, in Decreto 3157, responsorum inversionem, quam nonnulli ad tuendam suam sententiam excogitarunt.

Si igitur non constat, generalem factam esse in Decretis concessionem a Sancta Sede, etiam quoad Regulares, utendi Officiis propriis in festo Sancti Patroni (quae quidem ut explicite fiat, nostrum est votum), adhuc videntur manere aliquae rationes a nonnullis obiectae, ut ostendatur, in praecepto celebrandi festum non esse Regularibus factam iussionem adhibendi Officia Cleri saecularis, ita concessa, ut nihil quoad Regulares ipsos erui possit.

Ex quibus concludendum videtur, non constare de huiusmodi *obligatione* pro Regularibus proprium calendarium habentibus.

IV. Utri ex disceptantibus ratio faveat?

Cum demum pro praxi aliquid positivi sit necessarium concludere, censet, ex maiori parte, academia, validiores esse rationes militantes pro Officio proprio, quae et obvio rem considerantis sensui magis conformes habentur.

Etenim Regulares proprium calendarium habentes, ideo Officium de praecipuo loci Patrono recitare debent, quia *eodem in loco degunt* (cfr. generale Decretum S. R. C., n. 3863). Quoties igitur Summus Pontifex Clero alicuius loci proprium Officium Sancti Patroni cum propria Missa recitandum indulget aut praecipit, praesumitur (nisi contrarium constet) Eius mentem esse, ut illud adhiberi possit aut debeat *ab omnibus et singulis de Clero, ad Horas Canonicas obligatis, qui eodem in loco degunt*; quibus verbis *implicite* comprehenduntur etiam Regulares proprio calendario

Digitized by Google

gaudentes, quamvis de his nulla specialis mentio fiat (S. R. C., 18 Sept. 1877, n. 3436 [4]).

Neque obstat, quod in citato decreto generali, n. 3863, nihil dicitur quoad *Officii* adhibendi qualitatem; omnibus enim compertum est, neminem posse Officium *proprium* aut *propriam* Missam etiam in festo praecipui Patroni recitare, nisi speciale obtineatur indultum (S. R. C., 14 Iun. 1845, n. 2895 [1]); cum autem in eodem decreto, quoad *festum* Patroni principalis celebrandum, universus Clerus tam saecularis quam regularis aequiparetur, dempta octava, non intelligimus, cur obtento indulto discrimen adesse debeat quoad Officii Missaeque qualitatem in Patroni festo adhibendam.

Itaque verum quidem est, Regulares proprium calendarium habentes non teneri ad Officia et Missas alicui dioecesi concessa etiam cum clausula praeceptiva *pro universo Clero saeculari et regulari*, nisi concessio praeceptive etiam *pro Regularibus proprio calendario utentibus* facta fuerit (cfr. *Ephem. Liturg.*, vol. XIX, pag. 354); ut autem a Regularibus sive calendario dioecesano utentibus sive proprium calendarium habentibus adhiberi possint aut debeant Officia propria S. Patroni loci, Titularis ac Dedicationis cathedralis ecclesiae, quorum festa a Regularibus quibuscumque ex iure celebranda sunt, requiritur et sufficit, ut ipsi, in concessione Officiorum propriorum facta dioecesi, *explicite non excludantur* (S. R. C., 29 Nov. 1856, n. 3041 [3], et 26 Mart. 1859, n. 3084 [2]). Nihilominus siqua Regularium communitas *ex peculiari privilegio* aliud Officium proprium iam pro iisdem festis a S. Sede obtinuerit, hoc est ei recitandum, posthabito Cleri saeculari Officio (S. R. C., 29 Nov. 1856, n. 3041 [3]).

Expositae doctrinae non adversatur peculiaris Rubrica, n. 144, Breviarii Romano-Seraphici, ut supponere videtur cl. A Carpo (*Kalend. perpet.*, cap. II, n. 29, nota); haec enim sic est:

« Nihil proinde ab alterutro respectivo ordine discrepans adhiberi in iisdem Officiis potest: nisi eo solum in casu, quo certo constet, vel saltem ex iuris regulis *praesumi* possit, quod

Digitized by Google

fuerit illud ipsum vel speciatim, vel *generatim* pro utroque Clero illius Loci approbatum, aut saltem, si sermo sit quidem de Sanctis, quos certum sit fuisse vere proprieque canonizatos iuxta ecclesiasticam respectivi temporis disciplinam, simulque in Breviario nostro 9 *Lectionum Officium non habentibus* (de quibus insuper fiat ob rationem utrique Loci Clero communem, uti Concessionis utrique factae, *Patronatus Loci* etc.) nisi certo constet, vel *praesumi*, ut supra, possit, quod *pro saeculari Clero* eiusdem Loci approbatum fuerit sine clausula *tantum* vel simili; retenta tamen in hoc casu postremo Oratione propria, quae in nostro Breviario extet, Sancti Simplicis, ut supra, omissa autem Lectione, si Lect. 2 Noct. propriae habeantur pro ante dicto Clero approbatae ».

Iuxta hanc peculiarem Rubricam approbatam pro Seraphico Ordine, ut Fratres Ordinis Minorum in festo S. Patroni loci, novem Lectionum Officium in Breviario Seraphico non habentis, recitare valeant integrum Officium proprium Clero dioecesano concessum, oratione tamen excepta (si alia oratio propria in dicto Breviario extet), sufficit *praesumi posse ex iuris regulis*, quod illud approbatum fuerit pro *saeculari* Clero eiusdem loci sine clausula « *tantum* » vel simili, idest sine *explicita* Cleri regularis exclusione. Clarum autem est, non solum Lectiones II Nocturni sed et reliquas partes Officii proprias, v. gr. antiphonas, assumendas esse, si Officium Cleri saecularis eas habens adhibeatur.

In casu igitur proposito, ratio probabilius favere videtur calendarii dioecesani ordinatori, qui tuebatur, quoscumque Regulares teneri ad Officium Missamque propria S. Patroni, quae dioecesi sunt imposita.

Digitized by Google

# Expositio Rubricarum.

## EXPOSITIO NOVISSIMA
## RUBRICARUM BREVIARII ROMANI

(*Continuatio.* V. num. 8, anni curr., pagg. 475-486).

## XXII. — De Psalmis.

### N. 1.

Psalmi (733) in officio de Tempore per omnes Horas in Dominicis et Feriis dicuntur eo modo quo distributi sunt in Psalterio (734): nisi aliquando aliter in Proprio de Tempore signetur (735). In Festis autem dicuntur ut in propriis locis signantur, alioquin, ut in Communi Sanctorum (736).

(733) *Psalmi.* Tertia pars Sacrorum Bibliorum, apud antiquos hebraeos vocata *Ketubim*, incipit cum collectione *Laudum* seu *Tehillim*. Hanc collectionem hebraicae versiones *Psalmos* vocant; quae vox ex graeco-latino *psallere* derivat, et nil aliud indicat nisi *lyram*, vel *citharam pulsare*. (Cf. MINOCCHI, *I Salmi tradotti, 1905, Prefazione*).

Reapse iuxta S. Augustinum (*In Psalm. 1*): « Psalmi dicuntur, qui cantantur ad Psalterium, quo usum esse David Prophetam in magno mysterio prodit historia ». Item alibi (*in Psal. 67*): « Inter Psalmum et Canticum hoc interest, quod Can-

Digitized by Google

ticum ore profertur, Psalmus autem visibili organo adhibito, idest psalterio, canitur ».

Psalterium autem, iuxta Ducange (*Glossarium*) « dicitur canora cythara decem chordarum coaptata, quae cum plectro percutitur ». Et S. Augustinus (*in Psalm. 32*) ita illud describit: « Cythara est lignum illud concavum, tamquam tympanum, pendente testudine cui ligno chordae innituntur, ut tactae resonent ». Canticum ergo, quod cum sonitu *psalterii* comitabatur, *psalmus* dictum est.

Psalmi vero qui in Officio leguntur, ii sunt qui sub nomine Davidis Regis in veteri testamento habentur; non omnes tamen ab ipso David compositos fuisse passim docent probati auctores. A primis Ecclesiae temporibus, teste Tertulliano (*De anima* 9), consuetudo incoepit psalmos canendi, uti et iubet S. Paulus (*I Cor. 14, 26; Ephes. 5, 19; Coloss. 3, 16*).

« Inter omnes preces, scribit Martène (*lib. 4, c. 3*), quas in divinis celebrandis officiis adhibere solet Ecclesia, principem locum sibi merito vindicare debet aureus liber psalmorum, utpote qui omnes orationum species, omnes cordis pios affectus in se continent, collata humano generi beneficia cuncta in memoriam revocet, praemia virtuti promissa proponat, peccantibus terrorem incutiat, omni aetati, omni conditioni utilis existat, ut non immerito S. Nicetius Episcopus in brevi libello de Psalmodiae bono c. 1, exclamaverit: Quid in his psalmis non invenies quod faciat ad utilitatem et aedificationem, ad consolationem humani generis, conditionis, sexus aetatis?... Suaviter enim auditur Psalmus dum canitur, penetrat animum cum delectat, facile psalmi memoria retinentur, si frequenter psallantur, et quod legis austeritas ab humanis mentibus extorquere non poterat, hi per dulcedinem cantionis excludunt. Nam quidquid Prophetae, quidquid Evangelia ipsa praecipiunt, in his carminibus suavi meditantium dulcedine continetur... Cum ergo Psalmorum liber tot gaudeat praerogativis, tot nobis exhibeat commoda et utilitates, haudquaquam sane mirum videri debet,

Digitized by Google

si... ab ipsis Ecclesiae incunabulis ad divinas laudes publice celebrandas a cunctis Christianis usurpatus sit ».

Hinc est quod prae aliis antiqui Testamenti libris, Psalterium fusius notis et commentariis a Sanctis Patribus, Ecclesiaeque Doctoribus illustratum fuerit; hinc est quod Sancti omnes tota voluntate, diligentia et praedilectione Psalmos in Dei laudem recitare iugiter delectati sunt.

Tanta olim fuit erga psalterium, quo nomine collectio venit omnium Psalmorum reverentia, ut iuxta sacros canones nemo ad episcopatum promoveri posset, nisi totum psalterium memoria teneret.

S. Gregorius Magnus (*Epist. lib. 4, n. 44*) Ioannem presbyterum et (*lib. 12, n. 6*) Rusticum Diaconum episcopos ordinari prohibuit, eo quod Psalmorum erant ignari. Item ad Clusinum Antistitem scribens (*lib. 8, n. 34*), de Diacono Ioanne in Balneoregiensem episcopum promovendo, habet: « Requirendum quoque est, si in opera Dei studium habuit, vel Psalmos novit ».

Toletanum Concilium, anno 653 coactum (Mansi, *X. 1206*), canonem 8 habet: *Sollicite constituitur atque decernitur, ut nullus cuiuscumque Dignitatis Ecclesiasticae deinceps percipiat gradum, qui non totum Psalterium, vel canticorum usualium et hymnorum perfecte noverit* (1).

Ex quo probe noscitur, quod neque ad Presbyteratum quandoque assumi quis poterat nisi psalterium memoriter sciret. Meratus (*sect. 5, c. 8, n. 1*) ad rem alia refert monumenta. Quid hodie dicendum est, si Clerus, ob nimiam festorum, et votivorum officiorum congeriem, ex 150 Psalmis quibus constat psalterium, quotidie legit et centies recàntat nonnisi ad summum triginta!!

Liber Psalmorum, in primis Ecclesiae latinae exordiis in latinum sermonem translatus est, simul cum reliquis sacrae Scri-

(1) Hac de re, cf. GRISAR, *Roma alla fine del mondo antico*, p. 2, pag. 574.

Digitized by Google

pturae libris; equidem tanta est huius versionis antiquitas, quod translatoris nomen ignoretur. *Versio Itala* appellata est, quo nomine adhuc vocatur, et ex veteri graeca versione septuaginta interpretum expressa fuit, ut omnes docent historici. De ea S. Augustinus (*De doctr. Christ. l. 2, c. 15*) habet: « In ipsis interpretationibus Itala ceteris praefertur, nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiae ». Quod certo scripsit, eo quod aliae latinae versiones, post italam prodierant, ut innuit ipse Augustinus (*ibid. l. 2, c. 11*).

S. Hieronymus, Papae S. Damasi iussu, anno 382, novam et emendatiorem Psalmorum editionem paravit, ita ut *Psalterium vetus* dictum fuerit illud quod itala versio reddebat, et *Psalterium romanum* illud quod S. Damasus, anno 383, in liturgiam invexit (Berger, *Hist. de la Vulgate*, Paris, 1893).

Huiusmodi versio S. Hieronymi, seu psalterium romanum, servata est in Breviario Romano quoad textum Psalmi XCIV, Invitatorii *Venite, exultemus*, necnon pro multis ℣℟. de tempore, atque in Missali Romano, quoad Introitus, Gradualia, Tractus, Offertoria et Communiones; item et in Breviario Vaticanae Basilicae S. Petri (cf. Baumer, I, p. 200).

S. Hieronymus autem, ad instantiam discipularum suarum Paulae et Eustochii, cum Bethlehem denuo se recepisset, novam latinam Psalmorum supra *Hexaples* Origenis ducens, versionem confecit; nam prima, ut ipsemet (*Praef. in Psalterium*) testatur, nonnisi *correctio* antiquae versionis fuerat.

Nihilominus prima hieronymiana correctio, per universam Ecclesiam propagata est; imo usque ad IX et X saeculum in Italia et in Hispania sola viguit. In Gallia autem, et in aliis transalpinis ecclesiis, usus psalterii romani, usque ad VI saeculum perduravit, nam S. Gregorius Turonensis, ut scribit Valfridus Strabo (*De reb. Eccl. c.* 25; Migne, *P. L.* 114, p. 957) exeunte eodem saeculo VI, secundam S. Hieronymi versionem in suam ecclesiam induxit. Tunc per totam Galliam huiusmodi correctiorem versionem Episcopi acceperunt primum, unde *Psalterium Gal-*

Digitized by Google

*licanum* appellata est; quod saeculo x in Italiam quoque penetravit. Sanctus Franciscus in sua regula (Gavantus, *hoc loco n. 3*) fratribus suis *officium curiae Romanae* imponens, excepit psalterium, quod *Gallicanum* esse voluit; nam *Psalterium Romanum* in Umbria iam in desuetudinem venerat. Tandem ex praecepto Tridentini Concilii S. Pius V Breviarium Romanum universae latinae Ecclesiae porrigens, ipsum *Psalterium Gallicanum* ubique imposuit, uti hodie habemus, excepta Basilica Vaticana (cf. Tommasi, *Opera in Praef.*; Meratus, *sect. 5, n. 3*; Bäumer, *1, p. 356*).

« Antequam, scribit Meratus (*loc. cit.*), postremam manum nostris hisce observationibus imponam, meminisse lubet, quod divus Hieronymus in correctione et versione Psalmorum ter adlaboravit. Primo Romae, quando iussu Damasi Papae italicam Psalmorum versionem, ex traductione LXX interpretum expressam a nonnullis mendis expurgavit, quae versio, ita emendata, statim a Romana Ecclesia recepta fuit. Secundo in Psalmorum versione et correctione laboravit Hieronymus quando Bethlehem degens instantibus Paula et Eustochio admiscuit editioni LXX, editionem Theodotionis, obelis, et asteriscis notatam; de qua versione iam satis supra. Tertio denique aliam editionem Psalterii adornavit sanctus Doctor, et est illud Psalterium, quod *Hebraicum* nominatur, quia nimirum petente Sophronio vertit immediate ex hebraicis fontibus, quae versio extat inter opera eius; ..... Haec autem ideo recepta non fuit, quia duae priores quotidiano usu in Ecclesiis frequentatae, sine magna Officii divini perturbatione, abrogari non poterant ».

Antea autem idem Meratus, de secunda versione Hieronymiana alloquens, dixerat: « Psalterium hoc ab Hieronymo secundo emendatum, illud idem est, quod nunc in Breviariis utitur Romana Ecclesia, et quod in corpore Sacrorum Bibliorum reperitur ».

Placet hic referre curiosam observationem Gavanti (*hoc loco n. 5*): « Si dividas, ut dimidium Psalterii invenias pro nu-

Digitized by Google

mero versuum, sicuti omnes versus sunt 2606, ita dimidium versuum erit inter duos versus Psalmi 77, *Cor autem eorum non erat rectum cum eo: * nec fideles habiti sunt in testamento eius*, et: *Ipse autem est misericors et propitius fiet peccatis eorum: * et non disperdet eos*; quasi centrum Psalterii sit summa malitia hominum, et summa bonitas Dei ».

Aliquid tandem dicendum de cantu psalmorum. Id in primis retinendum est, semper et ubique locorum cantum adhibitum fuisse in publicis cultus manifestationibus; compertum est ante Moysen, post Moysen, et peculiariter post Reges David et Salomonem, sacerdotes et levitas antiqui foederis in cantu et musica operam navasse; imo ipse David Psaltes per anthonomasiam dictus est. In Evangelio legimus, nascenti Domino, Angelos cantasse laudes; Christus ipse post ultimam coenam cum Apostolis suis hymnum cantavit eucharisticum; nil mirum ergo si Christiani primitivi huiusmodi consuetudinem servare caeperunt, praeeuntibus Apostolis (*Eph. 5, 19*); qui procul dubio, quod ad cantum attinet, traditioni iudaicae non valedixerunt. Successores autem eorum, inter Graecos et Romanos mores gerentes regionum, in quibus verbum Dei noviter disseminabatur, eorum cantum in cultu christiano adhibere non dedignarunt, ita ut iam saeculo IV. cantus sacer in ecclesiis quammaxime floreret ubique (*cf.* BÄUMER, *I, 170*).

Quoad tamen Psalmorum cantum, S. Augustinus (*conf. l. 10, c. 33*) habet: « De Alexandrino Episcopo Athanasio saepe mihi dictum commemini, qui tam modico flexu vocis faciebat sonare lectorem psalmi, ut pronuntianti vicinior esset quam cantanti ». Ex quo noscitur quod cantus psalmorum in Africa, et forsan et Romae, ut docet Batiffol (*Hist. Brev. p. 6*), ad instar fuisse melodiae recitativae.

Nihilominus quadruplex antiquitus erat modus psalmos decantandi, scilicet *cantus responsorius*, *cantus antiphonus*, *cantus tractus* et *cantus directaneus*.

Cantus *responsorius* in eo consistebat, quod lector, seu

Digitized by Google

psalmista, solus psalmum concinebat per versiculos distinctum, et chorus hos versiculos repetebat integre vel partim, post quemlibet versum a psalmista decantatum. Huiusmodi usus *respondendi* vel *succinendi* in Italia ortum habuit, et postea in Oriente quoque acceptus est. Psalmista appellabatur *Praecentor*, *Praenuntiator*, *Suggestor*, seu *Psalmorum modulator* et *phonascus*, qui ordinem lectoratus habebat, et *officium psalmistatus*, de quo vestigium adhuc habemus in Pontificali Romano. Huiusmodi cantus ait Cabrol (*Le livre de la prière antique, 1900, p. 45*) erat antiquissima forma precum choralium, apud Iudaeos nota.

Cantus *antiphonus*; de eo iam aliquid diximus supra de antiphonis agentes; ipse in hoc consistebat, quod post unum vel binos versiculos, aliqua musicalis phrases interponebatur, quae *antiphona*, seu *acrosticon*, dicta fuit, dum psalmus alternatim a duobus choris decantabatur. In hac forma antiphonata, chorus et populus alterna voce sine pausa decantabat, ita ut fidelium actio momentanea non esset, ut in cantu responsoriali, sed continua; preces enim antiphonatim decantatae, vicissim reddebantur a choro ad chorum (*Cabrol, ib.*).

Altera forma cantus *antiphoni* habebatur, qua cantores totum psalmum concinebant sine interruptione, et fideles in fine aliquem versum (antiphonam) respondebat (*cf.* BÄUMER, *I, p. 174*).

Cantus *tractus* ille dicebatur quo psalmus item sine interceptione responsoriali, vel antiphona cantabatur, ita ut *tractim canere* non significaret *lente*, sed integre canere. Huiusmodi cantus psalmorum primitus in usu venit in locis in quibus ethnici noviter ad fidem conversi psalmos ignorabant, uti Cassianus et S. Hieronymus testantur (*Praef. in Reg. Pachomii*).

Cantus *directaneus*, *directus*, *in directo psallere*, opponebatur tribus modis praedictis. De eo agens B. Card. Thomasius (*Opera, in praef. p. 3*) ait: « Directaneus sive in directum est cum totus chorus communiter canit, non alternis, sed uno ve-

Digitized by Google

luti ore unoque concentu... Accipio hoc loco cantum, pro vocum consonantia, etsi fortasse sine speciali musicae sono ».

Huiusmodi cantus quem exequebatur magna fidelium congregatio, nimis modulatus esse nequibat, sed facilioribus et magis notis melodiis compositus; et in eodem quasi tono insistebat; ideoque modus *symphonicus* dicebatur, ut distingueretur ab *antiphono*. Iuxta aliquos cantus directaneus nobis a Iudaeis pervenit, et etiam in Missa pro *Gloria in excelsis*, *Sanctus* et *Agnus* adhibitus erat (BÄUMER *cit. p. 176*).

Quidquid autem sit de antiquis Psalmos cantandi modis, usus qui adhuc ubique viget, ille est cantandi versus psalmorum a duobus choris hinc inde vicissim et alternatim. Huiusmodi usum, docet Meratus (*sect. 5, c. 7, n. II*) « serius introductum esse ».

(*Continuabitur*).

Doct. PETRUS PIACENZA.

# Consultationes.

## Dubiorum liturgicorum solutio.

PRO CALARI.

1. Officia *particularia* (v. gr. S. Familiae, Passionis D. N. I. C.) certis Dominicis vel Feriis assignata, in casu impedimenti, transferri nequeunt absque speciali indulto, uti alias probatum est. Cfr. *Ephem. Liturg.*, vol. XVIII, pag. 156, et vol. XIX, pag. 296.

2. In absolutione ad tumulum semper cantandum est responsorium *Libera me, Domine* (S. R. C., 23 Maii 1846, n. 2915 ad 12, et *Ephem. Liturg.*, vol. XVIII, pag. 554), et servandum est Rituale Romanum.

Digitized by Google

PRO DIOECESI EBROICENSI.

1. Die 25 Martii anni proximi 1907, quamvis Officium Annuntiationis B. M. V. alia die reponatur, prohibetur Missa solemnis de requie etiam praesente cadavere: etsi enim transferatur *Officium*, *solemnitas* tamen aut feriatio non transfertur, sed die 25 Martii recolitur.

2. Parochus addictus duabus ecclesiis sitis in diversis locis Patronum specialem habentibus, sicut probabilius celebrare tenetur festum Titularis solius ecclesiae, ubi residere solet (cfr. *Ephem. Liturg.*, anni curr., pag. 176), ita ob eamdem rationem verius recitare debet Officium Patroni illius tantum loci, ubi eadem ecclesia extat.

DE PLURIBUS LOCIS.

**De Hora Nona Missae votivae pontificali praemittenda.**

In omnibus ecclesiis, ubi pontificali ritu celebratur Missa votiva solemnis, *Hora Nona*, non Hora Tertia, decantanda est, dum Episcopus ad celebrandum paratur (S. R. C., 12 Martii 1897, n. 3949 ad 1); Missa enim votiva solemnis *pro re gravi* vel *cum populi concursu* semper *post Nonam* cantari debet, iuxta rubricas (S. R. C., 30 Jun. 1896, n. 3922, § IV ad 1, et 12 Maii 1905, ad I, apud *Ephem. Liturg.* a. curr., pag. 193). Necesse autem non est, quod Hora Nona in casu canenda concordet cum Missa *votiva*, exceptis solemniis, sive triduanis pro recenter Beatificatis, sive octiduanis pro recenter Canonizatis (cfr. *Ephem. Liturg.*, vol. XV, pag. 273); sed, ubi adest Chori obligatio, Hora Nona concordari debet cum Officio *diei currentis* (S. R. C., n. 3949 ad 2); attamen nihil obstat, quominus etiam in ecclesiis collegialibus, *recitata in Choro Hora Nona de Officio currenti*, cantetur postea Hora Nona Missae votivae respondens, dum Episcopus sacra sumit paramenta. Cfr. Decr. S. R. C., n. 2842, 3365 ad 10, et 3441.

Digitized by Google

# Palaestra liturgica.

## SOLUTIO QUAESTIONIS pro mense Aprili 1906 propositae.

### De Altari Sepulcri.

**Quaestio.** – Quaenam normae servandae sunt in designando exornandoque Altari sepulcri, ubi feria V et VI maioris hebdomadae SS.mum Eucharistiae Sacramentum publicae adorationi exponitur?

**Solutio.** – I. Respondemus ad primam partem:

Normae servandae in electione Altaris sepulcri, ubi SS.mum feria V et VI maioris hebdomadae exponendum est publicae fidelium adorationi, ad id se reducunt ut dictum Altare sit intra ecclesiam et insuper distinctum ab altero, ad quod mane celebratur.

Quid enimvero in Missali Romano, feria V in Coena Domini, iubet Rubrica? « Hodie paretur *locus aptus in aliqua capella ecclesiae* vel Altari... ubi Calix cum Hostia ut supra reservata reponatur ».

Et Caeremoniale Episcoporum, lib. II, cap. XXIII, n. 2, quid docet? « Praeparandum igitur, ornandumque erit *aliquod sacellum intra ecclesiam*... in quo post Missam huius diei recondendum sit SS.mum Sacramentum ».

Si nunc interrogas Memoriale Rituum Benedicti PP. XIII, inter praeparanda pro repositione SS.mi Sacramenti in Coena Domini, illud invenies: « Locus ipse ab Altari maiori distinctus ».

Demum S. R. Congregatio, die 12 Iulii 1901 in *Colimen.* ad X (apud *Ephem. Liturg.*, vol. XV, pag. 461) declaravit, tolerari non posse quod, feria V in Coena Domini, Altare maius ecclesiae sit Sepulcri Altare. Unde apprime lucet assertio nostra.

Non quod tamen fuit sic ab initio aut tam ab antiquo! Nam iuxta Ordinem Romanum XV, auctore Amelio qui floruit labente

Digitized by Google

saeculo XIV, cap. 65 in fine, Papa vel ipse Episcopus Cardinalis, qui ei inserviebat in Missa feriae V Coenae Domini, « Calicem cum Corpore Christi coopertum portabat ad armariolum, in quo conservabatur usque in crastinum ». In veteribus Cisterciensium usibus, nulla iniecta mentione de privatis oratoriis, feria V post communionem Religiosorum reservatur crastinae communionis particula in Ciborio, quod superiori Altaris parte suspenditur. In Ordinario Carthusiensium, qui veterum rituum tenaces sunt, cap. 49 habetur, Eucharistiam in eodem loco asservandam esse, ubi in maiori Altari custodiri solet, et prohibetur parari sepulcra et Altaria, Monachorum solitudini minime convenientia: « Eucharistia reponatur in loco consueto maioris Altaris, prohibentes fieri pro ea reservanda, de more saecularium monumenta, vel alios apparatus nostrae solitudini non convenientes ». Quin imo, in antiquis Uldarici consuetudinibus, lib. I, cap. 12, legimus quod, feria V maioris hebdomadae, dum dicerentur Vesperae in Choro, Celebrans sine processione aut pompa retro Altare reponebat Eucharistiam, quae communioni crastinae inservire debebat (cfr. Catalani in Caerem. Episcop., lib. II, cap. 23; Azevedo, De officio divino, exercitatio 45).

Atvero penitus obsoleta est haec disciplina, et nullus in praesenti est, qui firmiter non teneat quod ea de re abunde praescribunt nostri Caeremonialis et Romani Missalis Rubricae, nisi pagos excipias ubi, defectu functionis solitae, pyxis in suo Altari servari potest, ut fideles loco sepulcri ad SS. Eucharistiam illa die accedere valeant (S. R. C., 1 Febr. 1895, n. 3842, ad III).

Perge, verbi gratia, quo coepisti; lege usque in finem Rubricas supra allegatas, et singulatim caeremonias reperies, quae processionaliter ad sepulcrum ducunt, et itaque S. Congregatio Episc. et Regul., die 6 Augusti 1591, merito statuere potuit dictam processionem intra ecclesiam esse faciendam ab Altari ad sepulcrum feria V maioris hebdomadae, et a sepulcro ad Altare feria VI in Parasceve: ostendens ita distinctionem obligatoriam inter Altare celebrationis et Altare repositionis.

Digitized by Google

Haec sane processio S. Pii V aevo antiquior est, non obstante silentio Missalium Romanorum, et certe existebat ante in eis iussu eiusdem Pontificis insertionem; sed quam simplicius! Testis est Lanfrancus, in cuius statutis parari iubetur locus Eucharistiae destinatus: « ad locum constitutum decentissime praeparatum », et fieri processio ad ibi hostiam reponendam, non coalescens nisi a Celebrante, Ministris, et Acolythis, qui luminaria et incensum deferebant, dum Clerus eo tempore remanebat in Choro. Eumdem morem testatum facit Ioannes Abrincensis e vivis translatus medio saeculo undecimo; in libro enim « *de Officiis* » ait, feria V in Coena Domini plures hostias esse consecrandas pro cleri et populi communione, earumque mediam partem sine vino reservandam in crastinum; has vero hostias a Celebrante et Ministris cum processione, hoc est, cum cereis et incenso honorifice deferendas super quoddam Altare, ubi pretiosissimis linteis obtegendae sunt, et ante Altare lampas accendenda: « Ipsae hostiae a Sacerdote et Ministris Altaris indutis cum processione, scilicet cum cereis et incenso super quoddam Altare honorifice deportentur, uti cum nitidissimis linteaminibus recondantur » (1).

Quamobrem, etiamsi deficerent textus anterius citati, ex sola processione constare non cessaret quod Altare sepulcri pro repositione SS.mi in crastinum debeat esse infra ecclesiam et distinctum ab Altari Missae.

Si quis nunc investigationes suas reportare velit super feriam in Parasceve, eadem apparet veritas. Specialis enim Rubrica huius diei expresse ait in Missali: « Ordinatur processio ad locum, ubi pridie Sacramentum repositum fuerat ». Item in Caeremoniali, lib. II, cap. 25, n. 30: « Interim ordinatur processio ad accipiendum SS.mum Sacramentum de loco ubi pridie repositum fuerat », et adhuc cap. XXVI, n. 13: « Mox ordinatur processio prout ibi dicitur et proceditur ad locum, ubi est repositum SS.mum Sacramentum... et revertitur ad Altare ordine quo venerat ». De-

(1) Cfr. Azevedo, loc. cit.

Digitized by Google

nique, in Memoriali Rituum habetur Rubrica sub Titulo sequenti: « De processione ad Sacellum et regressu ad Altare cum SS.mo Sacramento ». Quid amplius desiderari potest?

Conclusio igitur exinde ultro defluens, est quod locus sepulcri eligi debet intra ecclesiam et distinctus ab Altari in quo his diebus celebratur. Quare autem: « Intra ecclesiam? » quia omnis translatio SS. Sacramenti cum apparatu per plateas in his diebus non conveniret ob grandem ecclesiae luctum; et asportatur idem SS.mum ad locum ab Altari diversum, quia functio illa non respondet officio Chori. In Choro enim mysteria Passionis, mortis, et sepulcri Domini specialiter recoluntur; in alio vero Altari Sacramentum Eucharistiae directe recolitur (cfr. Cavalieri, tom. III, cap. I, dec. 6, n. 7; *Ephem. Liturg.*, anno 1887, p. 163).

II. Respondemus ad secundam partem:

Leges ecclesiae imperant: 1° ut locus sepulcri rite muniatur ad ibi recondendum SS.mum Sacramentum; 2° ut nihil lugubre praeseferat; 3° ut praeterea decentem splendorem ostendat.

*a*) Quid autem requiritur? « Supra Altare ibidem (in sacello sepulcri) erectum, Capsula elegans clave firmata pro Calice servando; Corporale stratum intra Capsulam; aliud Corporale super Altare, et scabellum graduatum pro repositione Calicis in Capsula » (Memoriale Rituum, feria V in Coena Domini, cap. I).

« Cum autem ventum fuerit ad locum paratum, addit Missale Romanum, Diaconus genuflexus a Sacerdote stante accipit Calicem cum Sacramento, et *ponit illum primo super Altare*, ubi a Sacerdote genuflexo incensatur ut supra; deinde *reponit in capsula* ». Et feria VI in Parasceve « Diaconus interim *aperit capsulam*, in qua reconditum est Corpus Domini; postea Sacerdos surgens absque benedictione imponit incensum in duobus thuribulis, Diacono naviculam ministrante, et genuflexus incensat Sacramentum. Tum Diaconus, *extrahens Calicem cum Sacramento de capsula*, dat ad manus sacerdotis etc. ... ».

Eadem doctrina in Caeremoniali reperitur. Feria V, « Diaconus accipit de manu ipsius (Episcopi) stantis SS.mum Sacra-



Digitized by Google

mentum, genuflexus, sine osculo manus, quod *deponet super Altari*... et interim Episcopus... imponet incensum in altero ex thuribulis, et rursus genuflexus Sacramentum incensabit triplici ductu, et *clauso ostio* per Diaconum assistentem... dabit benedictionem solemnem etc. » (lib. II, cap. XXIII, n. 13). Feria autem VI, « Incensat (Episcopus) triplici ductu SS.mum Sacramentum, sacrista *aperiente capsulam ubi includitur* » (ibid. cap. XXV, n. 31, et cap. XXVI, n. 14), et addunt decreta, clavem, ostiolo capsulae in die Coena Domini clauso, non esse tradendam laicis et saecularibus cuiuscumque gradus, sed tradi debere Sacerdoti in crastinum celebraturo (S. R. C., n. 579; 635; 813; 912; 2335; 2830, ad 1; 2833; 2873, ad 4; 2904; 3518), quemadmodum capsula memorata, si clave firmari debet, publico tamen civitatis sigillo adsignari nequit (S. R. C., n. 2172 et 2873, ad 1). Quod si quis requireret quamobrem SS. Sacramentum exponatur inclusum, non sub aspectu oculorum in Ostensorio, respondetur cum Martinucci illud esse veteris ritus vestigium; etenim expositio patens SS. Sacramenti non est valde antiquae institutionis (cfr. lib. II, cap. 25 in nota), et de facto, in his diebus, haec expositio prohibetur a decretis n. 2148, ad 6, et 3660, ad 1.

*b*). Caveatur secundo ne quid ornamenti sit quod ibi luctum significet. Quippe « Nullatenus, inquit cl. Martinucci, lib. II, cap. 25, n. 6 in nota, probandus est usus in quibusdam ecclesiis receptus, exponendi contra regulam Imaginem Christi vita functi subtus Altare, ut hac re significetur sepulcrum. Siquidem toto Passionis tempore imagines velo contectae sunt, et insuper in hac expositione nihil minus (absolute) spectatur quam Christi sepulcrum. Eadem ratione improbanda est consuetudo hinc inde apponendi imagines Angelorum deflentium habitu et instrumenta Passionis substinentium et alia eiusmodi, quum haec abhorreant a mente et fine (primario) quem sibi in tali occasione ecclesia proposuit ». Etsi namque locus, ubi reconditur Corpus Christi, sepulcrum vocari queat iuxta consuetudinem (S. R. C., n. 2873, ad 2), declareturque tam sepulturam Domini quam institutionem SS.mae

Digitized by Google

Eucharistiae repraesentare (S. R. C., n. 3939, ad I), sepulcrum tamen vere non est, et nedum vivit ipse Christus etiam in repraesentatione mortis suae, quin unquam, recondito in arca Sacramento, cantari valeat ℣ *Sepulto Domino* (S. R. C., n. 2873, ad 3), sed insuper gloriosus est: unde absint necesse est lugubria quaeque (cfr. Cavalieri, tom. III, cap. I, dec. VI, n. 7).

Quae dicta apprime consonant cum decreto 21 Ian. 1662, adhiberi vetante « *quaecumque indumenta nigri coloris* ad ornatum sepulcri feria V et VI maioris hebdomadae, *cum intra tum extra locum ipsius sepulcri* », et cum decreto 26 Sept. 1868 declarante contrarium Caeremoniali Episcoporum et Rubricis Missalis Romani repraesentare aliquas Passionis Dominicae scenas, imo talem usum esse eliminandum etiam auctoritate S. R. Congregationis, *nisi inveterata vigeat consuetudo*, subdit decretum 15 Dec. 1896; in quo casu poterit Episcopus huiusmodi repraesentationes tolerare, nempe B. Virginis, S. Ioannis Baptistae, S. Mariae Magdalenae, militum custodum, aliaque eius similia, dummodo caveat ne novae consuetudines hac in re introducantur (S. R. C., n. 1223; 3178; 3939, ad II).

In hoc item conspirant melioris notae auctores, quos brevitatis causa mere citabimus, ut Catalani in suis commentariis super Caeremoniale, lib. II, cap. 23, § II; Martinucci, lib. VI, cap. 14, n. 33; Cavalieri iam praelaudatus; Gavantus et Merati, part. IV, tit. VIII, De feria in Coena Domini; De Herdt quoque, tom. III, n. 39.

*c*). Nunc superest dicendum, quibus paratibus sit ornandum sepulcri Sacellum et Altare in quo reponetur SS. Sacramentum. Rubricae textualiter dicunt: « Decenter, quoad fieri potest, ornetur cum velis et luminibus » (Missale). – « Quo pulchrius magnificentiusque poterit, multis luminibus ornatum... et in eo Altare cum sex candelabris ac cereis « (Caeremoniale). – Praeterea « Locus ipse ab Altari distinctus, et decenter velis pretiosis, non tamen nigris, et luminibus, ac floribus ornatus, sine Reliquiis aut Imaginibus Sanctorum » (Memoriale Rituum).

Digitized by Google

Commentatores ex altera parte magis explicitas eas facientes, declarant Altaris pallium et omnia ornamenta alba esse debere; locum ubi erit sepulcrum, una cum Altari solemniter esse ornandum. Quare flores, aliasque res ad splendorem ducentes nil vetat apponi cum velis seu cortinis albis, multis luminibus seu lampadibus, praeter sex saltem cereos Altaris, ita tamen ut invisentibus neque praestent ideam theatri in modum scenae ubi comoediae repraesentari solent, neque ideam viridarii seu horti, ne mentes fidelium distrahantur et ab adoratione avertantur (cfr. Cavalieri, tom. III, cap. I, dec. VI, n. 7; Catalani, lib. II, cap. 23; De Herdt, tom. III, n. 39). Ex citato autem S. R. C. Decreto 12 Iulii 1901, in Altari Sepulcri ostensoria, calices aut ciboria, ornati causa, exponi non possunt.

Propter eamdem causam, Reliquias Sanctorum et Imagines non esse apponendas in Altari, sententia est Halden, Bauldry, et Hippolyti a Portu, quibus nos addimus Instructionem Clementinam, cuius dispositio etsi procedat de casu Sacramenti patenter expositi, adhuc praesenti quadrat casui, quia hac die Sacramentum in sepulcro inclusum aequivalet sibi solemniter et patenter exposito (Cavalieri, loc. cit., et Merati, loc. cit.). Sed circum poni possunt Angelorum simulacra candelas manibus tenentia (Instruct. Clement. § IV), et imo permitti potest – sed extra tantum cappellam sepulcri – ut statua B. M. V. velo nigro circumdata nocte feriae V in Coena Domini cum Iesu filio mortuo in gremium deposito exponatur, et feria VI mane processionaliter cum pluvialibus nigris per ecclesiam deferatur (S. R. C., n. 2375, ad 4), praesertim stante antiqua consuetudine (S. R. C., n. 2682, ad 52).

Quare autem haec pompa et splendor? Quia, in sensu latiori denominatio *S. Sepulcri* pro feria V in Coena Domini reiici non potest, et ex sensu mystico, quem Ecclesia calici tribuit, exorta est; Altare tamen magis adhuc proprie repraesentat institutionem SS. Eucharistiae. Etenim Christus in ista repraesentatione mortis suae vere vivit, regnatque mortis triumphator, et itaque ipsi potius thronus erigitur, ut die institutionis SS.mi Sacramenti a fidelibus

Digitized by Google

speciali modo adoretur cum gratiarum actione pro hoc singulari accepto beneficio, et peculiari cultu afficiatur iisdem diebus, quibus a Iudaeis maximis opprobriis calumniatus est (cfr. Suffragium super decreto, n. 3939, tom. IV collect. decretorum, p. 419 et seq.).

A. FOURNERET
ex Acad. Liturg. Rom. Censoribus.

## QUAESTIO A CONSOCIATIS SOLVENDA pro mense Decembri 1906.

### De nonnullis caeremoniis Missae privatae.

Petrus Sacerdos, sacrorum rituum studiosissimus, in Missa privata celebranda caput inclinare solet, quoties proprii Episcopi nomen pronuntiat, nec non quotiescumque a consecratione ad consummationem genuflectit; dictis verbis *Simili modo postquam coenatum est*, utraque manu Calicem in nodo accipit; antequam proferat verba *ex hac Altaris participatione*, osculatur Altare; denique dum in fine Missae dicit *Benedicat vos omnipotens Deus*, manus non coniungit, sed tantum extendit et elevat. Rectene in his omnibus agit?

Digitized by Google

# Ius Liturgicum.

(*Continuatio*. V. num. 9, anni curr., pagg. 564-572).

## PARS II.

### De Computo Ecclesiastico. De fundamentalibus S. Liturgiae regulis in communi et in particulari.

## CAPUT I.

### De Computo Ecclesiastico.

#### Praenotanda.

XLIII. *Quanam ratione in hoc Elementari Tractatu de Computo ecclesiastico erit agendum.*

311. Sacrosancta Tridentina Synodus, inter cetera quae ecclesiasticam disciplinam respiciunt, commendat *Computi ecclesiastici* studium (Sess. XXIII, c. XVIII, De ref.); hoc idem praestat Benedictus XIII, in Constitutione *Creditae Nobis*, d. d. 9 Maii 1725.

312. Fatendum est tamen, hodie, in tanta scriptorum quae cuncta elucidant et praecavent, congerie, vix utilitati, cum semper eruditioni, eiusmodi studium inservire. Quocirca nos, qui elementarem liturgicarum rerum tractationem exhibemus, relictis quae de romani Calendarii ordine, progressu, reformatione constituerunt Romulus, Numa Pompilius, Iulius Caesar, Caesar Augustus, Gregorius XIII; quae de Paschate decreverunt Concilii Nicaeni Patres; quae ante Romani Breviarii Rubricas circa idem exhibentur; ut in ceteris fecimus, sic in hac re ultimas dabimus conclusiones, et quidem magis practicas methodos sectantes.

313. Ad quid tandem studium Computi ecclesiastici? Ad rite redigendum ordinem festorum et feriarum per totum anni cursum.

314. Utinam universim exciperetur, quem multi iam proposuerunt, simplicior anni computandi modus, qui statueret, semper

Digitized by Google

incipiendum a die dominico; ultimo anni die, qui est trecentesimus sexagesimus quintus extra hebdomadam relinquendo, et adhuc trecentesimum sexagesimum sextum in bissextilibus! Ac insuper dies fixa statueretur pro Paschate celebrando; aut saltem, diebus hebdomadae uti nunc procedunt decurrentibus, statueretur celebrandum strictiori septem dierum spatio, ita ut die quodam constituto quo Pascha celebrandum sit, quatenus incidat in Dominicam, iis annis in quibus in aliam incidat diem, tunc celebretur in immediate subsequenti Dominica, aut melius forsan in ante vel post, viciniori. Septem sic tantum forent attendendae mutationes (5-11 April.), et non quinque et triginta, prout nunc, et nihil amplius curandum de aequinoctiis, lunationibus, aureo numero, epactis!... (1).

315. Sed donec res in statu quo versantur, eas sequentibus animadversionibus declarabimus, a communioribus incipiendo: sit igitur:

## ARTICULUS I. — De anno et eius partibus.

### § 1. — De anno.

XLIV. *Anni divisio, eiusque varia in aevum longitudo.*

316. *Annus* dividitur in *menses* duodecim; *hebdomadas* duas et quinquaginta, *uno die* superextante, aut *duobus* in annis bissextilibus (de huius vocis significatione, inferius); *dies* trecentos sexaginta quinque, residuis *horis* 5, *momentis primis* 48, *secundis* 45 et (hoc anno 1906) *secundi millesimis* 516; quae tamen mensura, singulis saeculis, 539 de his millesimis imminuitur.

317. Hic horarum excessus, singulis quadrienniis, in unum diem coalescit, quo fit annus uno die longior, qui, ut supra in-

(1) V. plura hac de re, in Tondini De Quarenghi: « Sunt ne Latini quartodecimani? Animadversiones nonnullae circa optatissimam in toto christiano orbe, una eademque die Paschatis celebrationem » 1906. — De Lotto (Sac.) Gregorio « Calendario perpetuo Gregoriano, con osservazioni e proposte ». — « Appendice al Calendario perpetuo gregoriano » 1905.

Digitized by Google

nutum est, vocatur *bissextilis*. Sed nimis longior, et idcirco singulis saecularibus annis, nempe centesimis, annus communis consideratur. At nimius inde resultat defectus, qui exaequatur singulis quartis centenariis, bissextile unumquodque eorum computando; et ut haberetur determinatum tempus, a quo computatio procederet, ab anno 1600, post Gregorii XIII correctionem, edictum est incipi debere. Proximus ideo annus centenarius, 2000, quartus a 1600, ut bissextilis annus computabitur. Sed in correctione gregoriana annus consideratus fuit d. 365, h. 5, m. 49, m. s. 12, et nihil suspicatum de imminutione annuali, m. s. 0.00539, ac proinde hic annus bissextilis excessum aliquem praesefert; sed nihil nobis de eo, quia defectus unius diei non perveniet ad integrum diem, nisi saeculorum millenorum intervallo.

318. Declarare nunc oportet, cur annus, in quo excessus habetur unius diei, dicatur bissextilis. *Bissextilis* sic dicitur, a *bis sexto Kalendas Martias*; dies sextus ante Kalendas Martias est dies 24 Februarii; bissextilis igitur est annus ille, in quo, post 24 Februarii, dies alius interiicitur: *bis sextus*, quem nos tamen non vocamus bis vicesimumquartum, sed prosequimur dicendo 25, ex quo fit ut mensis februarius habeat eo anno dies 29 pro 28. Cur autem tunc additio facta sit, eo tempore, et non in fine Decembris, ex hoc accidit, quod tunc die 24 Februarii anni cursus perficiebatur, publicis festis, *Terminalibus* nuncupatis. Hinc, cum annus inciperet a mense martio, vere et proprie potuerunt postremis mensibus nomina tribui *Septembris, Octobris, Novembris* et *Decembris*, et passim: *Quintilis, Sextilis*, Julio et Augusto.

### § 2. — De partibus anni ecclesiastico more.

#### XLV. *De diebus hebdomadae, Adventu, Quatuor Temporibus et solemnitate Nuptiarum.*

319. Brevi facilique computatione dignoscetur, utrum annus quilibet sit necne bissextilis. Et primo distinguendum est an agatur de anno saeculari, seu centenario, an de alio: si primum, satis

Digitized by Google

erit numerum saeculorum in quatuor dividere partes; si nullum fuerit residuum, annus est bissextilis. Si autem agatur de anno non saeculari, totus, quem illius cyfrae repraesentant, annorum numerus, in quatuor similiter dividitur partes, si nullum fuerit residuum, annus est bissextilis.

### XLVI. *Computatio dierum mensis, hodierno more, et more Romanorum.*

320. Ad memoria retinendum, quot diebus constet quilibet mensis iuvant sequentes versiculi:

*Triginta Aprilis, Iunius, Septemque, Novemque.*
*Uno plus alii; viginti Februus octo.*
*At si bissextus fuerit, superadditur unus;*
*Et tunc bis sexto Marti conscribe Kalendas.*

321. Dies mensis, more Romanorum, qui mos in legendo Martyrologio servatur, et frequenter in ecclesiasticis documentis adhibetur, ordinem et nomenclaturam sumunt a *Kalendis, Nonis* et *Idibus*. Ordo tamen legendi est retrogradus. Die prima mensis sunt *Kalendae*; die secunda tot numerantur dies, quot opus est ut perveniatur ad *Nonas*, quae stabili non gaudent sede, sed illa quae sequentibus versibus indicatur:

*Sex Nonas Maius, October, Iulius et Mars;*
*Quatuor at reliqui;*

post Nonas dinumerari *Idus* incipiunt, quae ab octavo die semper nuncupantur:

*dabit Idus quilibet octo;*

post Idus statim nominantur Kalendae sequentis mensis, quot scilicet dies desunt ut mensis sequens incipiat: v. gr. XIX° Kalendas Februarii (14 Ianuar.); XVII° Kalendas Novembris (16 Octob.). Dies prima et ultima in computatione includuntur. Dies immediate antecedens enunciatur: *Pridie* Nonas-Idus-Kalendas.

(*Continuabitur*).

Ios. M.

Digitized by Google

# Appendix.

## S. CONGR. S. R. ET U. INQUISITIONIS

### I.

### De presbyteris saecularibus sexagenariis in Hispania quoad carnes vescendas feriis II et III Maioris Hebdomadae.

Romae ex aedibus S. Officii, diei 31 Martii 1906.

*E.me ac R.me Domine mi Observandissime,*

Litteris datis die 15 Ianuarii anni currentis, R.mus istius ecclesiae Cathedralis Canonicus Poenitentiarius, ut consultationibus sibi factis ex diversis Hispaniae provinciis faceret satis, sequentes quaesitus E.mo Domino Cardinali Poenitentiario Maiori proponebat:

I. Utrum in Hispania presbyteri saeculares sexagenarii, *vi Bullae Cruciatae et indulti pro carnibus vescendis*, praecisione facta ab eorum maiori vel minori robore vel infirmitate, uti carnibus possint feria secunda et tertia Maioris Hebdomadae, sicuti fideles laici?

II. Et quatenus negative, utrum illos oporteat generali dispensatione ad huiusmodi usum communire?

Re ad Supremam hanc Congregationem S. Officii delata et in generali conventu habito feria IV die 28 currentis mensis mature discussa:

Ad I. E.mi ac R.mi Domini Cardinales una mecum Inquisitores Generales respondendum decreverunt: *Negative.*

Ad II vero SS.mus D. N. in solita audientia R. P. D. Adsessori impertita, eorumdem Eminentissimorum Patrum voto inhaerens, benigne declarare dignatus est presbyteros saeculares sexagenarios in Hispania, *vi Bullae Cruciatae et indulti pro carnibus vescendis*, praecisione facta ab eorum maiori vel minori robore vel infirmitate, uti carnibus posse feriis II et III Maioris Hebdomadae, sicut fideles laici.

Digitized by Google

Quod dum ad Eminentiae Tuae notitiam, ut mei muneris est, deferre propero, impensos altissimae aestimationis meae sensus testatos volo Tibi, cui manus humillime deosculor.

Eminentiae Tuae

Humillimus et addictissimus vere famulus
S. Card. VANNUTELLI.

*E.mo ac R.mo Domino*
*D. Card. Sancha y Hervas, Arch. Toletano.*

II.

## De ieiunii et abstinentiae lege in Italia reformanda.

DECRETUM.

*Feria IV, die 5 Septembris 1906.*

Frequentes pluribus abhinc annis preces Italiae praesules ad Sedem Apostolicam dirigere consueverunt, quibus ecclesiasticae legis ieiunii et abstinentiae mitigationem temporum conditioni congruam pro dioecesi quisque sua petierunt. In quo temperamento efflagitando illud etiam intenderunt ut, uniformi vicinarum saltem regionum disciplina constituta, non levibus incommodis quae ex varia legis observantia sponte sua consequuntur, remedium afferretur.

Re penes Supremam hanc S. Officii Congregationem discussa, E.mi ac R.mi DD. Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores Generales, omnibus mature perpensis, in plenario conventu, habito feria IV, die 5 currentis mensis Septembris, haec statuenda decreverunt:

1. In omnibus et singulis Italiae regionibus, dioecesibus quoque Melitensi et Gaudisiensi comprehensis, quae dispositionibus hac in re pro Italia latis uti solent, ieiunium, seu lex unicae per diem refectionis, servandum erit:

Toto tempore Quadragesimae, Dominicis tantum diebus exceptis;

Feriis sextis et sabbatis Adventus;

Digitized by Google

Feriis quartis, sextis et sabbatis Qnatuor anni Temporum:

Vigiliis: Pentecostes, SS. Apostolorum Petri et Pauli, B. M. V. in coelum Assumptae, Omnium Sanctorum et Nativitatis D. N. I. C.

Quibus vero diebus ieiunium praecipitur, vetatur insimul semper et absolute, in Quadragesima ne diebus quidem Dominicis exceptis, carnium pisciumque in eadem comestione permixtio.

2. Praeter ieiunium, in cunctis (ut supra) Italiae regionibus, servanda etiam erit lex abstinentiae a carnibus ab iisque omnibus quae ex carne trahunt originem, lacte scilicet, butyro, caseo, ovis et ex quocumque animali adipe condimentis:

Feria sexta Quatuor Temporum in Quadragesima;

Feria sexta in Parasceve;

Vigiliis Assumptionis B. M. V. et Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi.

3. Prima vero die quadragesimalis ieiunii;

Feriis sextis et sabbatis Quadragesimae;

Feriis sextis et sabbatis Adventus;

Feriis quartis, sextis et sabbatis Quatuor Temporum;

Vigiliis: S. Ioseph Sponsi B. M. V.; Annunciationis eiusdem B. M. V., ubi haec festa sub praecepto recoluntur et, ad vigiliam Annunciationis quod spectat, dummodo ea intra Quadragesimam incidat; Pentecostes; SS. Apostolorum Petri et Pauli et Omnium Sanctorum, abstinentia a carnibus tantum et a iure a carnibus quomodocumque expresso servanda erit: ita ut liceat pro lubitu in principali refectione vesci ovis et lacticiniis, et tum in eadem principali refectione tum in refectiuncula uti ex quovis adipe, butyro, margarina (quam vocant) et similibus condimentis.

4. Haec eadem abstinentia a carnibus tantum et a iure carnis servanda pariter erit omnibus et singulis aliis sextis per annum feriis, absque tamen obligatione ieiunii et, consequenter, nulla refectionum facta distinctione quoad ovorum, lacticiniorum et condimentorum liberum usum.

5. Quoties autem in aliquem ex supradictis diebus, ieiunio aut abstinentiae aut utrique consecratis, inciderit vel festum aliquod ex

Digitized by Google

solemnioribus in Ecclesia, vel festum Titularis aut Patroni principalis alicuius loci vel dioecesis, vel extraordinaria aliqua religiosa solemnitas (uti centenaria, piae peregrinationes et similia), vel publicae annuales nundinae quae inusitato populi concursu celebrantur, conceditur locorum Ordinariis, excepto tempore Quadragesimae et Adventus, ut tum ieiunium tum abstinentiam vel pro tota dioecesi vel, iuxta diversos casus, pro determinatis aliquibus locis in alium liberum diem sibi benevisum anticipare aut etiam, gravissimis tamen ex causis, super iis dispensare valeant.

6. Ieiunia et abstinentias in aliquibus locis ex peculiari voto servandas hoc decretum non respicit. Quod autem attinet ad Regulares utriusque sexus Familias speciali abstinentiae aut ieiunii voto non adstrictas, eas eadem ac simplices fideles lege uti posse decernitur.

7. Praesenti decreto revocantur, abrogantur ac penitus abolentur quaevis in contrarium localia indulta, concessiones, privilegia, consuetudines etiam immemorabiles, ne *Bulla* quidem *Cruciata* (ubi et quavis sub forma nunc in Italia viget) excepta. Vehementer vero fideles sibi subditos hortentur Ordinarii ut Apostolicam Indulgentiam aliis bonis operibus compensare studeant.

Et sequenti feria V, die 6 huius eiusdem mensis, SS.mus D. N. Pius divina providentia PP. X in solita audientia R. P. D. Adsessori huius Sacrae Supremae Congregationis impertita, haec omnia et singula Sibi relata Suprema Sua auctoritate adprobare et confirmare dignatus est, mandans ad quos spectat, ut eadem, ad fidelium notitiam opportune deducta, inde a Dominica I Adventus currentis anni 1906 ad unguem servent atque ab omnibus servari satagant.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Aedibus S. O. die 7 Septembris 1906.

PETRUS PALOMBELLI, *S. R. U. I. Notarius.*

Digitized by Google

# Bibliographia.

## Opera ad nostram Directionem transmissa.

ATTANASIO S., **Istituzioni di liturgia pratica per tutte le funzioni presbiterali** (pagg. VIII–282). — Napoli, Cooperativa tipografica, 1906. L. 3 (vendibile presso la sacrestia del Duomo ed in casa dell'autore, via Atri, 31).

In hoc libro, praemissis normis generalibus, agitur de caeremoniis Missae divinique Officii sive privati sive solemnis, de absolutione ad tumulum, de expositione SS.mi Sacramenti, de functionibus hebdomadae maioris aliisque similibus, etiam pro minoribus ecclesiis parochialibus, de processionibus, de Sacramentis ac Sacramentalibus etc.

Approbare autem non possumus modum verba distribuendi ad Crucis signum, prouti proponitur a cl. Auctore in prima pagina, ita ut vox *Patris* dicatur, dum tangitur pectus, et vox *Filii* recitetur, dum sinister tangitur humerus.

Equidem iuxta communem liturgistarum doctrinam (cfr. Merati, part. II, tit. III, n. IX) et iuxta ipsum Compendium Catechismi a SS. D. N. Pio PP. X die 14 Iunii 1905 praescriptum dioecesibus romanae provinciae (pag. 11), qui se signat, dicens *In nomine Patris*, tangit manu dextera frontem; dum dicit *et Filii*, tangit pectus; dum dicit *et Spiritus Sancti*, tangit sinistrum dextrumque humerum; postea dicit *Amen*, quo tempore iungendae non sunt manus (ut gratis idem Auctor asserit), nisi id quod sequitur, sit dicendum manibus iunctis (cfr. Decr. S. R. C., n. 2682 ad 29, in Indice Decr., pag. 273, et De Herdt, *S. Liturg. Prax.*, tom. I, n. 132).

In pag. 31 praefati operis legitur, esse *opinionem multorum liturgistarum*, quod Sacerdos qui celebrare debeat, Matutinum cum Laudibus antea recitaverit; animadvertimus autem huiusmodi doctrinam non esse meram *opinionem*, sed explicite tradi ab ipsis Rubricis generalibus Missalis Romani (part. II, tit. I, n. 1, et part. III, tit. X, n. 1), et a Constitutione Innocentii IV, ann. 1254 (cfr. Gury–Ballerini–Palmieri, *Comp. Theol. mor.*, tom. I, n. 1012).

In nota eiusdem pag. 31, prohibitum dicitur superimponere bursae *claviculam tabernaculi*, ubi SS.mum Sacramentum asservatur; haec autem prohibitio nullo iure constat, ut alias diximus (cfr. *Ephem. Liturg.*, vol. IV, pag. 660, et vol. V, pag. 255).

Digitized by Google

Item in nota ad pag. 66, illicitum esse legitur, quod in Vesperis solemnibus assistentes pluvialibus induti sedeant *in scamno* una cum Celebrante; sed quoad duos primos assistentes contrariam sententiam tenendam esse, patet ex Caerem. Episcop., lib. II, cap. II, n. 6, et cap. III, n. 5.

In nota ad pag. 78, refertur tanquam probabilis aliquorum liturgistarum opinio, quod Diaconus, dicto *Oremus* a Celebrante ante offertorium, *genuflectat* antequam ad Celebrantis dexteram accedat; haec autem genuflexio nisi SS.mum Sacramentum expositum adsit, omittenda prorsus est ex Decreto S. R. C., 9 Iunii 1899, n. 4027 ad 3. Contraria igitur opinio nullam amplius probabilitatem habet.

In pag. 116, praefatus Auctor docet, a Celebrante *reverentiam* faciendam esse in SS.mi Sacramenti repositione, dum Diaconus, reposito Sacramento, genuflectit priusquam ostiolum tabernaculi claudat; hanc vero reverentiam omittendam declaravit S. R. Congregatio per Decretum d. 16 Februar. 1906 (apud *Ephem. Liturg.* anni curr., pag. 206), quod idem Auctor mutilum refert in pag. 272.

Hisce tamen aliisque non obstantibus, laudandus est Auctor, eo quod multa recte docet quoad praxim, iuxta S. R. C. Decreta quae passim citantur, atque integrum (in pag. 58–60) refert recens eiusdem S. R. C. Decretum, d. 14 Martii 1906, de Clerico loco Subdiaconi vel Cappellani in Missa ministrante.

DE AMICIS P. M., p. d. M., **Norme teorico-pratiche circa l'esposizione e la benedizione del SS. Sacramento** giusta i più recenti decreti della S. Congregazione dei Riti. — Roma, tipogr. Vaticana, 1906, L. 0.30.

Cl. Auctor huius opellae iam egerat in suo Caeremoniali (vol. II, pagg. 187 et seqq.) de expositione ac benedictione cum SS.mo Sacramento; insuper nonnulla ipse quoad hoc addiderat atque immutaverat in quarto volumine eiusdem Caeremonialis nuper edito (pagg. 74–80), attento praesertim Decreto S. R. C. d. 16 Febr. 1906, *Societatis Salesianae*. Variis autem ex causis non potuit ille tunc ibi peragere omnes variationes quae iuxta probatorum liturgistarum doctrinam et iuxta alia S. R. C. Decreta requirebantur (1). Huic

(1) Hac occasione lectores monemus, in quarto volumine praefati Caeremonialis a cl. De Amicis nuper editi, delendas esse tres postremas lineas paginae 39 atque duas priores lineas sequentis paginae 40, quoad Symbolum in Missa cantandum; verba enim relata in primo volumine (pag. 122) omnino respondent editioni typicae Caeremonialis Episcoporum.

Digitized by Google

defectui supplet praesens opusculum constans paginis 36, in quo praemissis notionibus sive theoreticis sive practicis quoad expositionem et benedictionem cum SS. Sacramento, agitur clare et distincte de ritibus servandis in benedictione solemni sive absque sive cum sacris Ministris, de benedictione solemni ab Episcopo cum Presbytero Diaconisque assistentibus impertienda, ac de modo dandi benedictionem cum sacra pyxide.

PELT G. B., **Storia dell' Antico Testamento.** Unica traduzione italiana autorizzata dall'Autore, con importanti aggiunte e modificazioni del Prof. ALFONSO ROUSSELLE, p. d. M., Dottore in Teologia e Diritto Canonico. — Bellissimo volume in-8, di pag. LX-600, con due magnifiche carte geografiche. — Roma, Libreria Fr. Ferrari, piazza Capranica, 102. — L. 6.

Praefatum opus Clero utilissimum, iam in pluribus Seminariis atque Collegiis adhibetur. Apud nostram Directionem multa eiusdem operis exemplaria extant, quae a nostris RR. Consociatis ac Lectoribus acquiri possunt pretio imminuto iuxta numerum exemplarium quae comparantur.

VEN. BARTOLOMEO DAL MONTE, **Gesù al cuore del Sacerdote.** Considerazioni ecclesiastiche per ciascun giorno del mese. — Nuova edizione riveduta e corretta con prefazione dell' E.mo Card. DOMENICO SVAMPA, Arcivescovo di Bologna, in-24, pag. IV-208. — Roma, Libreria Pustet. — L. 0,70.

Hoc manuale continet XXXI meditationes efficacissimas pro Ecclesiasticis, nec non salutaria monita ad Ordinandos, sacros Ministros et Confessarios.

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR.
Fr. Albertus Lepidi O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR.
† Iosephus Ceppetelli Patr. Constant., Vicesgerens.

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée, Lefebvre et Soc. Romae, *Sponsor*.

Ex Off. typ. Soc. S. Ioannis Ev. - Tornaci in Belgio.

Digitized by Google

# Acta Sanctae Sedis
## sacram Liturgiam spectantia.

### SS. RITUUM CONGREGATIO

**De variationibus in Kalendario Cisterciensi peragendis.**

ORDINIS CISTERCIENSIS.

Ad maiorem uniformitatem habendam cum Kalendario Ecclesiae Universalis, R.mus D. Amedeus de Bie, Abbas Generalis Ordinis Cistercensis, nomine quoque Capituli Generalis nuper coacti, a SS.mo Domino Nostro Pio Papa X insequentes ritus elevationes ac variationes in Kalendarium ipsiusmet Ordinis inducendas, humillimis precibus expetivit, nimirum:

1. ut festum Sacratissimi Cordis Iesu ad ritum duplicem primae classis absque Octava elevetur, extendendo integrum Decretum diei 28 Iunii 1889 ad Breviarium Cisterciense.

2. ut festum Annuntiationis B. M. V. evehatur ad duplex primae classis sine Octava, recolendum una eademque die cum Ecclesia Universali, iuxta Decretum diei 23 Aprilis 1895.

3. ut festum Exaltationis S. Crucis ad ritum duplicis maioris elevetur, sicut obtinet in Ecclesia Universali.

4. ut extendatur ad Breviarium Cisterciense Decretum diei 13 Augusti 1892, quo festum S. Ioseph Conf. Sponsi B. M. V. quoties impeditum occurrat Dominica Passionis aut



Digitized by Google

quindena paschali, adsignetur diei fixae, tamquam propriae sedi.

Demum 5. ut normae quoad Orationes in Missis Defunctorum praescriptae per Decretum generale diei 30 Iunii 1896 extendantur ad Missale Cisterciense, firmis manentibus Rubricis de solemni Ordinis Tricenario.

Sanctitas porro Sua, referente infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefecto, benigne precibus annuere dignata est: servatis ceterum peculiaribus Ordinis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 8 Novembris 1905.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*
† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

## S. CONGREGATIO INDULGENTIARUM

### De Corona Septem Gaudiorum B. M. V.

I.

*Beatissime Pater,*

Procurator Generalis Ordinis FF. Minorum se ad S. V. pedes humillime provolvit, haec exponens: Per Apostolicas Litteras in forma Brevis sub die 15 Sept. 1905 editas, in favorem Coronae Septem Gaudiorum B. M. V. concessam novimus Indulgentiam Plenariam iis, qui confessione expiati et S. Communione refecti, eamdem Coronam recitaverint in Festis cuiusque e Septem Gaudiis, atque in Festis principalioribus B. M. V. vel per octavam utraque Festa subsequentem.

Cum vero per Decr. S. R. C. d. d. 14 Martii 1906 (1) Festum Septem Gaudiorum Beatae eiusdem Virginis Mariae, sub ritu Du-

(1) Cf. *Ephem. Liturg.* a. curr., pag. 271.

Digitized by Google

plici secundae Classis, Dominica I post Octavam Assumptionis celebrandum approbatum fuerit, humillimus orator enixe S. V. rogat, ut Indulgentiam Plenariam benigne concedere velit fidelibus, qui eamdem Coronam in Festo Septem Gaudiorum confessi ac SS. Communione refecti recitaverint, prout in Festo uniuscuiusque e Septem Gaudiis concessum fuit.

Et Deus etc.

SS.mus D. N. Pius PP. X in Audientia habita, die 12 Septembris 1906, ab infrascripto Card. Praefecto S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 12 Septembris 1906.

L. ✠ S.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*
† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

## II.

*Beatissime Pater,*

Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum se ad Sanctitatis V. pedes humillime provolvit, enixe implorans in favorem Coronae Septem Gaudiorum, ut Fideles recitationi publicae eiusdem Coronae in Ecclesiis trium Ordinum Sancti Patris Francisci adsistentes, atque aliis in recitatione ipsa sociati, Indulgentias lucrari valeant, quin Coronam materialem prae manibus teneant; itemque, ut quoties duo vel plures eamdem simul Coronam recitaverint, sufficiat recitationem moderanti Coronam materialem habere, ceteris vero, amotis occupationibus applicationem animi impedientibus, moderatori in recitationi sociari prouti pro Rosario et Crucifixis Viae Crucis, et signanter pro Corona Septem Dolorum Virginis a Sacra Congregatione Indulgentiarum die 8 Iunii 1893 indultum est, ne secus Fideles Coronam non ha-

Digitized by Google

bentes tot Indulgentiarum thesauro saepius remaneant in recitatione expertes.

Et Deus etc.

SS.mus D. N. Pius PP. X in Audientia habita die 12 Septembris 1906 ab infrascripto Card. Praefecto S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces, ceteris servatis de iure servandis. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscunque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem Congregationis, die 12 Septembris 1906.

L. ✣ S.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*
† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

## Ad *Motu-proprio* de Protonotariis Apostolicis Commentarium.

(*Continuatio.* V. num. 10, anni curr., pagg. 588-598).

**N. B.** - Quoad §§ 51, 52, 53, 54, 55, 56, 57 et 58 require commentaria quae dedimus ad §§ 19, 35, 36, 37, 38, 39, 40 et 41 in quibus eadem praescribuntur Protonotariis *ad instar* et Supranumerariis.

### Protonotarii Apostolici Titulares seu Honorarii (178).

59. Cum Apostolica Sedes, non sibi uni ius reservaverit Protonotarios Titulares seu honorarios nominandi, sed Nuntiis Apostolicis (179), Collegio Protonotariorum Participantium (180) et forte aliis iamdiu illud delegaverit (181), antequam de eorum privilegiis ac

Digitized by Google

praerogativis aliquid decernamus, leges seu conditiones renovare placet, quibus rite honesteque ad eiusmodi dignitatem quisque Candidatus valeat evehi, iuxta Pii PP. VII Praedecessoris Nostri Constitutionem « *Cum innumeri* », Idibus decembr. MDCCCXVIII datam (182).

60. Quoties igitur de honorario Protonotariatu assequendo postulatio praeferatur, proferantur, ab Ordinario recognita, testimonia (183), quibus constet indubie: 1° de honesta familiae conditione (184); 2° de aetate saltem annorum quinque et viginti (185); 3° de statu clericali ac caelibi (186); 4° de Laurea doctoris in utroque, aut canonico tantum iure, vel in S. Theologia, vel in S. Scriptura (187); 5° de morum honestate et gravitate, ac de bona apud omnes aestimatione (188); 6° de non communibus in Ecclesiae bonum provehendum laudibus comparatis (189); 7° de idoneitate ad Protonotariatum cum decore sustinendum, habita etiam annui census ratione, iuxta regionis cuiusque aestimationem (190).

61. Quod si huiusmodi Protonotariatus honor alicui Canonicorum coetui collective ab Apostolica Sede conferatur (quod ius, collective Protonotarios nominandi, nemini censeri posse delegatum declaramus) (191), eo ipso, quo quis Dignitatem aut Canonicatum est legitime consequutus, Protonotarius nuncupabitur (192).

(178) Protonotarii Titulares, seu Honorarii, quartam classem nunc constituunt Protonotariorum, post huius *Motu-proprio* publicationem, antea enim tertiam classem efformabant. De eis loquens citatus Cataldi (*b. 6*) ait: « Istis tertio loco Protonotarii accedunt simpliciter dicti *titulares* qui praeeminentia externoque etiam cultu a ceteris discriminantur, extra Urbem namque dumtaxat habitu

Digitized by Google

praelatitio nigri coloris utuntur, neque praelati dici iure queunt, *Pii VII const. Cum innumeri die 15 Decemb. 1818 S. R. C. in plur. decr. de privil. Proton. titul.* Hi passim vocantur *extraordinarii* ac etiam dicuntur Protonotarii *ex privilegio, indulto, volantes* et *extravagantes* de quibus appellationibus abunde disserunt Sacchettus *opusc. de priv. Protonot.*, Cohellius *Notit. Cardinal. cap. 18.* et alii auctores ».

« ... Horum originem plerique cum Rigantio, *de Protonot. Apostol. dissert. 2, num. 121*, a decimo Ecclesiae saeculo sumunt. Idque praesertim suspicantur quod, Leone V Romano Pontifice, plura in Scriptores Apostolicos collata fuere privilegia, illud praecipue: " extantes, et in posterum futuri Scriptores, Romani Pontificis et Apostolicae Sedis Notarii fierent ", prout memorat *Rota decis. 70, part. 1. Divers. num. 1 et 2 addit.* Horum itaque Notariorum nomine hosce non participantes Protonotarios designari, ut cum Massobrio, *de Synod. Dioeces. cap. 4, dub. 12, num. 2,* animadvertit Michael Ferro, *de Praecedentia quaest, 42.*, pluresque ex eis aetate sua circa ann. 1493 extitisse testatur Virgilius Polidorus. De his *in Extravag. I, de Tregua et pace, inter Comm.* § *quoniam* Sixtus IV testatur, illorum dignitatem ob numerum ac multitudinem vilescere, parvique pendi. *Antonius de Budrio in cap. Episcopalia, num. 2. de privileg.* Quod tunc obtinetur quum, propter numerum personarum illam vel similem dignitatem obtinentium, vilescit et contemnitur. *S. Leo P. epist. 87, cap. 2,* " Ne honor cui debent excellentiora committi, ipse sui numerositate vilescat ", ut notatur *in cap. Legimus 29, distinc. 39*, ibi: " diaconos paucitas honorabiles, presbyteros turba contemptibiles facit ". *Rigantius de Protonot. Apost. diss. 1, num. 116.* Individuorum id vitio vertendum, non tamen gradus, quem si consonis virtutibus prosequerentur, magno in loco essent apud omnes, ut de multis plane liquet, inter eos, qui huiusmodi praelaturae decus dignitatemque merito tuentur ».

Re quidem vera antiquitus duae tantummodo Protonotariorum classes habebantur, Protonotarii participantes, et Protonotarii non

Digitized by Google

participantes, seu honorarii, ita ut in collectione S. R. C. decretorum, uti innuimus in nota 27, si excipias decreta 3262 et 3988, quae Protonotarios *ad instar* respiciunt, nec non 2583 et 2756 quae de Titularibus agunt, reliqua de non participantibus communiter pertractent, eo quod aliqua discrepantia inter eos non aderat.

Hoc autem adeo verum est, ut Riganti (*de Proton. Apost. dissert. 2, n. 112*) et Ferraris (*Bibliot., voce Proton. Titul.*) non solum non aliam distinctionem ponant, nisi inter participantes et non participantes, sed de habitu loquentes eorum, aiunt: « Protonotarius titularis, seu extra numerum, non potest prohiberi deferre habitum praelatitium, nempe Rocchetum cum mantelleto coloris violacei », et citant S. R. C. decreta 28 Septembris 1630, et 5 Iulii 1631, in antiqua collectione sub nn. 877 et 914.

Imo in nova collectione sub n. 569 sequens adhuc habetur decretum: *Protonotariis titularibus non licere ullo modo stare, nec infra Canonicos aliosque de Choro, sed stare debere in loco assignato in Caeremoniali Episcoporum, l. 1, c. 13, quod ad unguem in omnibus et per omnia in casu proposito servari mandavit die 5 Iulii 1631.* Id ipsum Caeremoniale Episcoporum (*l. c. n. 12*) praescribit: *Protonotarii Apostolici non participantes post Abbates, participantes vero praecedunt Abbates.* Quo in loco nomine *non participantium*, saeculo XVI omnes veniebant Protonotarii extra numerum, tam illi qui postea dicti fuerunt *ad instar*, quam Titulares seu Honorarii.

Progressu vero temporum, ob nimiam Protonotariorum multitudinem, opportunum visum est subdistinctionem ponere inter non participantes Protonotarios, et habiti sunt Protonotarii non participantes, sed *ad instar* participantium, atque Protonotarii non participantes Titulares; de his Pius Pp. VII specialem dedit constitutionem supra citatam.

(179) Iuxta Riganti (*Dissert. 4, n. 15*) Protonotarii Titulares eligi possunt: 1° a Summo Pontifice. 2° a tribus Cardinalibus qui *Capita Ordinum* dicuntur; hi enim antequam Conclave absolvatur, conclavistas creare possunt Protonotarios. 3° (*ib. 105*)

Digitized by Google

A Cardinalibus a latere. 4° (*ib. 127*) A Legatis a latere et a Nuntiis Apostolicis. 5° (*ib. 131*) Ab Archiepiscopis et Episcopis solio pontificio assistentibus: et nos novimus in curia placentina adhuc haberi modulum pro electione Protonotarii Titularis ac pro iuramento eius excipiendo, quia placentini Episcopi olim semper fuerunt Solio pontificio Assistentes. 6° Denique Ab almo Collegio Protonotariorum Participantium, ex privilegio a Sixto V collato (1). 7° (*ib. 132*) Ab eo cui hoc privilegium aliquando contulit Papa.

A quocumque autem Protonotarius Titularis eligatur, eadem tamen privilegia sortitur, prout infra describuntur.

(180) Sixtus V (*constit.* « *Laudabilis* » *5 Febr. 1585*) privilegium Collegio Protonotariorum Participantium contulit creandi quotannis unum Protanotarium titularem. Hoc privilegium confirmavit Pius IX (*const. 9 Febr. 1853*) mandavitque: *In exercendo autem privilegio quo iidem Protonotarii* (Participantes) *gaudent ex memorata Sixti V. Constitutione, unum scilicet Protonotarium quotannis creandi absque tamen exemptionibus et privilegiis, hoc est mere titularem, volumus, ac iubemus ut in posterum, nisi consultis antea Nobis, Nostrisque in Apostolica Sede Successoribus, neminem ad huiusmodi honorem et gradum promovere possint et valeant.* Aliquando tamen plures Protonotarios creavit Collegium praedictum, uti ex. gr. anno 1904, in quo ex benigna concessione SS. D. N. Pii Pp. X, ob suam felicissimam ad pontificium Solium ascensionem, quatuor Protonotarios titulares nominavit.

(181) Hac locutione: *et forte aliis iamdiu illud delegaverit*, noluit Pontifex novum aliquid hac de re moliri, nec privilegium aliquod Protonotarios creandi consuetudine vel lege abolitum restituere; igitur siquae praerogativae huiusmodi canonice adhuc vivunt, intactas esse, haec clausula declarat.

(1) Olim nobilis familia Comitum Sfortia a Sancta Flora, ex privilegio Pauli III Protonotarios titulares creabat (*Riganti, diss. 3, n. 135*), sed habitum praelatitium gestare non poterant huiusmodi Protonotarii (*S. R. C. decr. 2249*), neque eorum beneficia reservata manebant Apostolicae Sedi (Ferraris n. 27).

Digitized by Google

(182) Summus Pontifex Pius VII, in sua hic citata constitutione, Decretum S. R. C. d. 27 Aprilis 1818 n. 2583 approbavit, statuens, quae in posterum essent Protonotariorum titularium iura, insignia et praerogativae; quae SS. D. N. Pius X in hoc *Motu-proprio* retinuit, atque in aliquo, uti videbimus ampliavit.

(183) Conditiones, de quibus infra, requisitae, ut quis Protonotarius renuntietur, documentis scriptis constare debent, ipsaque documenta, ut admitti queant, rite recognoscenda sunt ab Ordinario, ut hic clare praescribitur. Etenim Apostolica Sedes Episcopum audire solet, antequam aliquis honorificentiam quamcumque a Romana Curia consequi possit; imo hodie, ex nova Summi Pontificis dispositione, audiri etiam debet Suprema Congregatio S. Offici. Ideo, Decanus Collegii Protonotariorum, acceptis et revisis omnibus et singulis documentis, auditoque consilio ipsius Collegii, si conditiones requisitae in casu validae et comprobatae recognoscantur, nomen promovendi notificat praedictae S. Officii Congregationi, et si responsum nihil obstare accipiat, rem totam Summo Pontifici refert, ex mandato, ut supra vidimus, Pii Pp. IX, et si Sanctissimo placuerit, ipse Decanus diploma creationis, iuxta solitam formam expedire curat.

(184) In S. R. C. citato Decreto n. 2583 a Pio VII adprobato, prima conditio, ut quis Protonotarius Titularis creari possit, erat testimonium *de nobili vel honesta Familiae conditione*. In hoc *Motu-proprio*, omissa fuit *de nobili*; primo quidem quia si nobilis sit Familia, ad effectum de quo agitur, est etiam honesta; secundo autem quia hisce temporibus et societas facilius ad Democratiam tendere videtur ubique, et de nobilibus familiis pauci sunt qui clericalem appetunt professionem.

(185) Aetas vigintiquinque annorum requiritur, eo quod ad munus notariatus non assumitur, nisi qui prudentiae et experientiae maturitate polleat.

(186) Status clericalis et caelebs requiritur, non ordo aliquis sacer, itaque qui sola tonsura est insignitus, ideoque clericus, dummodo in caelibatu se contineat, potest esse Protonotarius Titularis.

Digitized by Google

(187) Antiquitus ad notariatus munus assequendum doctoratus in utroque iure semper requirebatur. Quando vero saeculo XVII Protonotariatus Dignitas ecclesiastica evasit, ad eam assequendam sufficiens fuit doctoratus in S. Theologia, vel in solo iure canonico; nunc autem, postquam s. m. Leo XIII lauream in S. Scriptura instituit, hoc loco eam aptam esse Pius X declaravit opportunissime ad consequendum Protonotariatum.

Notandum demum est, quod pro acquirendo gradu Protonotariatus *ad instar* vel supranumerarii, nulla laurea requiritur; ratio est forsan quia Protonotarii *ad instar* a Romano Pontifice tantummodo creantur, ideoque Summus Princeps, licet aliquis doctoratus laurea careat, aliunde cognoscere potest scientiam et merita promovendi; e contra, cum Protonotarii Titulares ab aliis etiam creari possint, ne ignari eligerentur, et numerus huiusmodi Protonotariorum ne nimis succresceret, lauream inter requisita Sancta Sedes imponere censuit.

(188) Circa morum honestatem et gravitatem procul dubio in primis est inquirendum, quandocumque aliquis ad ecclesiasticum officium est assumendus, et huic conditioni Episcopi quammaxime attendere debent ob honorem S. Sedis. Sed et de *bono nomine* in plebe est inquirendum eadem ex ratione.

(189) Haec conditio, *de non communibus in Ecclesiae bonum provehendum laudibus comparatis*, deest in citato S. R. C. Decreto n. 2583, et in hoc *Motu proprio* non inepte noviter inducta est. Non sufficit enim scientia, quam iuvenes quoque, licet adhuc in servitio ecclesiastico tyrones, habere possunt; neque solum bonum nomen apud omnes, sed opportunissime SS. D. N. Pius Pp. X requirit etiam quod promovendus, pro exantlatis laboribus in Ecclesiae utilitatem, bene de ea meritus sit, ita ut dignitas et honor Protonotariatus, praemium sit quoddam, quo ipse remuneretur, et alii excitentur ad idem promeritum sibi operibus comparandum.

(190) Pius VII conditionem posuerat *de annuo censu scutorum saltem biscentum*, vel ex patrimonii bonis, vel ex perpetuis pensionibus aut ex ecclesiasticis beneficiis; quae in praesenti quasi

Digitized by Google

mille et ducentas libellas aequarent. Nunc vero Pius Pp. X hanc clausulam retinuit, sed opportune immutavit. Primo quidem quia 1200 libellae hodie census annuus essent valde exiguus ad aliquem Praelatum sustentandum etiam modestissime, secundo vero, quia non ubique locorum iidem requiruntur redditus in casu. Hinc est propterea, quod in meliorem formam hanc clausulam redegit dicens: *iuxta regionis cuiusque aestimationem.*

(191) Creatio Protonotariorum titularium etiam aliis, ut vidimus, concessa fuit a S. Sede, sed quoad privatas personas. Si vero aliquando collective canonici cuiusdam ecclesiae Protonotarii Titulares creari deberent, hanc creationem ad Apostolicam Sedem reservatam esse declarat Summus Pontifex. Et bene, nam agitur de re permanenti et perpetua, quae totum corpus morale afficit, eique aliquam dignitatem confert; ideoque sicut insignium choralium concessionem Sancta Sedes sibi reservavit, ita et honoris ac privilegiorum Protonotariatus Collegiis collationem.

(192) Quotiescumque aliquis Canonicus (licet honorarius) renuncietur in aliqua ecclesia, cuius capitulo contulit S. Sedes honorem et denominationem Protonotariorum Titularium, eo ipso Protonotarius nuncupabitur, absque ulla ex conditionibus, de quibus in §§ 14 et 43, quae pro aliis Protonotariis sive Supranumerariis sive *ad instar*, praescriptae sunt. Hinc statim ac Canonicatus possessionem quis ceperit, dato iureiurando, de quo infra in § 74, habitum Protonotarii induere potest.

(*Continuabitur*).

Doct. Petrus Piacenza.

Digitized by Google

# Acta Academiae Liturgicae Romanae.

*Die 16 Maii 1906*, in S. Aede Congregationis Missionis prope Curiam Innocentianam, habitus est Conventus academicus, in quo Rev. D. ANGELUS SAVELLI, Pontificii Seminarii Pii alumnus, quaestionem enodavit:

## De ritu a Cardinalibus servando in Ecclesiis titularibus diversi ritus.

Post Censorum animadversiones et placita, alter ex illis, R.mus PETRUS PIACENZA Protonotarius Apostolicus, epitomen resolutionum fecit, quam excepit pia collatio de ecclesiasticis officiis.

### Quaestionis propositio.

Nonnullae habentur in alma urbe Roma Ecclesiae titulares Cardinalium, seu Diaconiae, quae servitio concreditae sunt Ordinum Regularium; qui ritum sequuntur vel monasticum, vel hierosolymitanum, vel etiam orientalem. In festo Sancti Titularis, Cardinalis in sua Ecclesia pontificali ritu Missam celebrat, aut e throno assistit. Dubitatur autem, quo ritu decantanda sit Tertia in Ecclesia ritus monastici, quo ritu Missa celebranda in Ecclesia ritus hierosolymitani, et quomodo perficiendae sint functiones in Ecclesia ritus graeci. *Quaeritur:*

1. *Quando et qualiter ortae sint Ecclesiae Titulares et Diaconiae in urbe Roma?*

2. *Quae iura Cardinalibus titularibus et Diaconis competant in eorum Titulis aut Diaconiis?*

Digitized by Google

3. *Quo ritu celebrandae sunt a Cardinalibus functiones in eorum Titulis in casu?*

**Solutio.**

I. Quando et qualiter ortae sint Ecclesiae Titulares et Diaconiae in urbe Roma?

Historia Ecclesiarum Titularium Urbis, una cum vitae christianae in hac alma Civitate evolutione, ex aequo procedit. Quorundam ex his sacris aedificiis origo ad aevum ipsum apostolicum refertur; quo tempore iam christianorum *multitudo ingens* (ut ait Tacitus, de iis loquens, anno 64 aerae vulgaris Romae existentibus; Annal. XV, 44) Romam imperialem occupabat. Unusquisque civium ordo proselytes dederat Evangelio, ab infima mancipiorum turba ad imperiales usque familias. Et sane christiani de Flaviorum gente caemeteria possederunt sub terra, magnifica et fere regali cura excavata, et absolutissima artis perfectione exornata (De Rossi, *Inscript. Christ. urbis Romae*, p. 2). Ab initio igitur praedicationis apostolicae, quando scilicet primus quidam fidelium grex eidem respondit, hic pro sacris conventibus ad Ecclesias accedebat in propriis constitutas. Inter celeberrimas, antiquitatis causa, illa praesertim memoranda est, cuius meminit Apostolus, anno 58, *domestica Ecclesia Aquilae et Priscae*. Huiusmodi Ecclesiae, primo et secundo saeculo aerae christianae, ab Evangelistis vocantur ἀνάγαιον, locum nempe superiorem domus, quem Romani Caenaculum dixerunt. Primae igitur Urbis Ecclesiae nonnisi domus erant christianorum, a quibus et nomen mutuatae sunt, quod longe per saecula, et earum aliquot usque modo, retinuerunt. Optime animadvertit cl. Duchesne, domus antiquorum adamussim aptari potuisse disciplinae ecclesiasticae praescriptionibus, quoad cultum exercendum. Ibi convenientia omnino loca ad coetus colligendos, ad Pontificem hospitio recipiendum, ad res sacras custodiendas, etc. (*Origin. du culte chrétien*, p. 385). Quando separata aedificia ad cultum exercendum erecta sunt, servata fuit appellatio *Domus*;

Digitized by Google

ibi enim omnia fidelibus exhibebantur: asylus, valetudinarium, bibliotheca, promptuarium, episcopium, oblatio, synaxis, instructio, oratio, caritas; quae fuit *nota* adhuc Ecclesiarum aevi medii, quando vita publica sub Ecclesiae tutela ac praesidio evolvebatur. *Domus Ecclesiae*, uti iam ab initio dicebatur, Romae antonomastice Titulus appellata fuit, quo nomine postea Ecclesiae tantum, quae Cardinalibus presbyteralis Ordinis pertinerent nuncupatae sunt.

Circa vocis *Titulus* originem multa dixerunt eruditi. Baronius ex. gr. ait, has Ecclesias *Titulus* fuisse appellatas, « vel quia quidquid ex profano ad Ecclesiam adiungebatur in titulari vel in titulum transire dicebatur »; quod videtur probare S. Gregorius Magnus, in sua Epistola 63: « vel quia Presbyteri, quibus eae committebantur Ecclesiae, singuli a suis Ecclesiis nomen titulumque assumerent, ut iam non ex familiae cognomine, sed ex sua quisque Ecclesia nuncuparetur ». Alii praesumunt, tale inditum nomen Ecclesiis eiusmodi, quod, instar domorum regio fisco pertinentium et vexillum imperatoris imagine decoratum praeferentium, *titulatae* dicebantur. Ex eadem causa titulatae dictae sunt domus in Ecclesias immutatae, quibus praefigebatur Crucis imago. Opinio haec testimoniis innititur SS. Ambrosii, Augustini, Hieronymi, et a pluribus Romani Iuris locis confirmatur. Alii tandem hanc appellationem deducunt ex usu Veteris Testamenti, Titulos vocandi lapides et altaria in Dei honorem erecta. Ita Gen. XXVIII: « Erexit (Iacob) lapidem in titulum, fundens oleum desuper ».

Nonnulli ex Urbanis Titulis nomen servarunt priorum possessorum, v. gr.: Lucinae, Vestinae, Praxedis, Clementis; alii aliud consecuti sunt ex quadam sacra memoria, v. gr.: Fasciolae, vel de Fasciola, e fasciola scilicet, quae, ut legitur in Actis Martyrum Processi et Martiniani, Apostolo Petro, apud Viam Novam cecidit.

Eiusmodi denominatio, solemnis quidem, non fuit tamen exclusive Urbis propria, videmus enim datam et nonnullis extra Urbem Ecclesiis. Ita ex. gr. in celebri quodam saeculi IX documento, quod indicationem continet Ecclesiarum Monasteriorum,

Digitized by Google

Hierosolymis et in huius urbis viciniis existentium, sub Carolo Magno exarato, habetur, alteram ex Ecclesiis Coenobitis assignatis, qui circa Iordanem morabantur, erectam fuisse in titulum (De Rossi, *Bull. d'arch. crist.*, 1865). Attamen Romae haec institutio ad apostolicum aevum referri debet, novimus sane, titulorum numerum, iam longe ab antiquo, ad quinque et viginti pervenisse, ab iis porro et coemeteriorum in suburbanis existentium administratio dependebat. Videtur namque S. Cletus, tertius post S. Petrum Pontifex, primus illorum numerum, tunc adhuc incertum, statuisse. Sic de eo Franciscus Pagi, Librum sequens Pontificalem : « Ex praecepto S. Petri, vigintiquinque Presbyteros Cletum ordinasse in urbe Roma dicit Liber Pontificalis, id est Urbem in totidem Parochias distribuisse (*Vita S. Cleti*). « Ei tamen contradicit Antonellus, doctus romanae Curiae Praelatus, in sua erudita dissertatione, circa E.morum Cardinalium Titulos (n. 1, p. 4), dicens, « numerum titulorum, an vigintiquinque an minor esset merito dubitatur, nullus enim apud Anastasium numerus exprimitur; et hominis inconsulti esset in re obscura atque ambigua aliquid certi definire ».

Hi tituli, quos antea promiscue aliquis ex Presbyteris Romanae Ecclesiae administrabat, ad confusiones vitandas, anno 112, a Papa Evaristo inter Urbis Presbyteros regulariter divisi sunt, ut in Libro Pontificali legitur. Cum hoc Libro et cum Pagi, qui in huius Pontificis vita ait, « eum titulos in Urbe existentes Presbyteris divisisse, id est domos fidelium divino cultui mancipatas, in quibus christiani Synaxes agere consueverant », non concordat Baronius, qui, ann. Christi 112-4, opponit : « Evaristum titulos divisisse Presbyteris, de illis plane intelligendum est, qui recens essent instituti : sicut enim christiana religio in dies maioribus augebatur incrementis, ita pariter novos adiicere titulos opus erat, prout ex posterioribus temporibus esse factum apparet ».

Serius Summi Pontifices Dionysius et Marcellus, ob auctae multitudinis christianae commoditatem, titulos ac coemeteria noviter ordinarunt ac distribuerunt : quo nimirum Sacramentorum

Digitized by Google

administratio et exequiarum cura regularius procederet (Anastas., in Pap. Marcell.). Immerito Nardi, qui probare nisus est, Cardinales antiquitus non fuisse parochos, ita de Pontifice S. Marcello scribit: « Egli (Marcellus) permise tutto al più, che in qualche titolo si battezzasse e si desse la pubblica penitenza », et addit in nota: « Lo stesso parrochista Guadagnini (*De paroec.*, I, p. 145) dubita molto e meritamente dello stabilimento dei titoli e cose simili di S. Marcello, perchè erano quelli momenti di tempesta gravissima, non atti a dare un sistema, e per sopra più il pontificato di S. Marcello fu brevissimo (*Origine delle Parrocchie*, V. II, p. 105 ».

Summa vero titulorum et coemeteriorum, quae saeculo III Romana Ecclesia, collegialiter sumpta, possidebat, dicebatur *Loca ecclesiastica*; vera ecclesiastica bona, quae sub postremis persecutionibus pluries Ecclesiae ablata, et pluries ab aliquibus Imperatoribus, Constantino anterioribus, eidem Ecclesiae restituta sunt: a Gallieno ex. gr., a Maxentio, quamvis omnimoda restitutio ab hoc iniuncta ante Melchiadis pontificatum facta non fuerit (anno 311). Celebre est hac de re quod narrat S. Augustinus, circa lectionem a Donatistis factam documenti, de restitutione agentis, a quo discimus, quomodo et quando fuerit Ecclesia in possessionem rursus immissa titulorum et coemeteriorum Papae restitutorum, per septem Diaconos, inter quos duo inveniuntur nominibus Cassiani et Strabonis distincti (August., *Brev. collat. cum Donat.*, III).

Medio antequam haec fierent saeculo, Gallienus, post sui patris Valeriani captivitatem, et ipse Ecclesiae suos titulos restituerat, qui noviter ordinati et distributi sunt inter Presbyteros, et eodem tempore, hac eadem occasione, a Papa Anastasio determinati sunt fines Parochiarum (Blanchini, *Anast.*, *Vitae Pont.* l. II, p. 77). Optatus Milevitanus, ad titulorum ordinationem se referens, meminit, quod Donatistae Romae, « inter quadraginta, et quod excurrit, Basilicas locum ubi colligerent non habebant (*De Schism. Donat.*, l. III) »; ex quo loco deducitur, illius schismatis initio, Romae Basilicas plusquam quadraginta extitisse, qui

Digitized by Google

numerus apprime respondet numero quadraginta sex Presbyterorum, qui, Papae Cornelii aevo, in Romana aderant Ecclesia, prout idem Pontifex testatur (Euseb., *Hist. Eccles.*, VI). Ex his Basilicis aliquot tantum erant titulares, ideoque intra moenia computatae, ab initio enim non poterant tituli extra moenia inveniri; aliae coemeteriales, dependentes ab urbanis titulis, quorum erant titulares quinque tantum et viginti Presbyteri, atque ideo ceteri a S. Cornelio commemorati coadiutores erant et vicarii illorum. Usus equidem plures Presbyteros cuilibet titulo assignandi, unum tanquam superiorem, ceteros tanquam substitutos considerando, antiquissimus est. Hyginus Papa, qui Romanam Sedem ab anno 130 ad 140 tenuit, cum fidelium numerus magnopere excrevisset, plures Presbyteros in quolibet titulo aut paroecia, statuit, aliosque Clericos ordinavit (Hieronymus Plati, S. I., *De dignitate Cardinalium*, cap. I, 2). Usque ad S. Cypriani aetatem, hanc invenimus Presbyterorum subordinationem in titulis, prout ipse praeclarus Episcopus scribit: « Felix, qui ministerium *subministrabat* sub decimo (*Epist. XVIII*) ». Notissimum est autem, sub Damaso, in quolibet titulo Romae duos extitisse Presbyteros adiutores, qui socii dicebantur alterius, quod ex quadam eruitur inscriptione, in inferiori S. Clementis Basilica existente. Serius, et praecise ad saeculum v, Presbyter titularis, ut erui datur ex quibusdam pretiosis epigraphibus Basilicae S. Pancratii, appellatus fuit *Prior*, eiusque socii, iuxta hierarchicum ordinem, *Secundus*, *Tertius*, etc.

Quod si celebres quatuordecim Regiones, in quas Augustus Urbem diviserat, in quinque et viginti distribuebantur parochias, quae spiritualibus christiani populi necessitatibus providerent; ipsa christiana plebs in septem ecclesiasticas regiones divisa erat, quibus praepositi septem Diaconi, quorum erat temporalibus populi necessitatibus occurrere. Eorum primo Ecclesiae arca tradebatur, administratio scilicet bonorum. Clerus igitur romanus, iam a prima saeculi tertii medietate, egregie ordinatus inveniebatur (Cfr. clariss. De Rossi, *Roma sotterranea*, t. III, p. 514 et seq.).



Digitized by Google

Iam a Romanae Ecclesiae primordiis existebant, ab Apostolis ordinati, septem *Diaconi*; nanque, ut scribit cl.mus Baronius: « Sancti Ignatii testimonio scimus, Lucium, Cletum etc., Apostolis ministrasse Diaconos, et Evaristi opus fuisse videtur, ut Diaconis munus iniungeret assistendi Episcopo praedicanti ». Papa Fabianus circa annum 240, eorum singulis singulas assignavit septem regiones ecclesiasticas Urbis, ab ipsomet distinctas. In huius Pontificis vita ita se exprimit Pagi Nepos: « Per multa saecula perseveravit ut septem tantum in Ecclesia Romana diaconi ministrarent, quibus Fabianus illud muneris addidit ut 14 urbis Romae regionibus praeessent, singulis duas assignans, ut pauperum in eis degentium curam gererent: unde est nomen ex munere inditum ut Diaconi regionarii dicerentur ». Nardi (*Dei Parrochi*, vol. 2, p. 176) hanc divisionem, quamvis Fabiano tribuatur, ait nihilominus esse antiquiorem: « Ed ecco », ipsemet dicit, « le ragioni: I diaconi comandavano sui suddiaconi, notari etc., e sino dal tempo di S. Clemente, alla fine del primo secolo, le regioni erano divise ai sette notai. La sopraintendenza a questi era ispezione dei diaconi: è da credere per ciò che ogni diacono sorvegliasse una regione. Quindi ciò che si dice di S. Fabiano deve, a parer mio, intendersi o di una conferma dell'antico sistema, o piuttosto di un rinnovellamento, sapendo noi quali confusioni arrecavano i tempi di persecuzione ». Et inferius: « Ne volete un' altra prova? Di S. Silvestro, circa 100 anni dopo S. Fabiano, si dice: *septem regiones divisit Diaconibus*, e questa pure fu una rinnovazione di legge, non una legge nuova, appunto nei momenti, nei quali fu data la pace alla Chiesa ».

De hac regionum partitione loquitur S. Gregorius, in illa oratione quam ad populum habuit, tempore quo pestis grassabatur, quaeque ad nos usque pervenit. De septem Diaconis, unus a Pontifice deligebatur, consentientibus clero et populo, ut esset *Archidiaconus*. Temporis progressu Diaconorum numerus duplicatus fuit, ita christianae plebis numero postulante: quo factum est, ut unaquaeque regio suum haberet Diaconum; quod cum sequiori

Digitized by Google

aevo insufficiens repertum fuerit, plures adhuc creati sunt Diaconi, semper tamen sub unius regimine. In regionibus singulis iam ab exordio loca quaedam designata erant, *Diaconiae* appellata, sub alicuius Sancti nomine dicata, in quibus animarum cura non exercebatur, sed alia officia per Diaconos. Hae diaconiae per longum saeculorum spatium, distinctae a Presbyterorum titulis permanserunt, ita ut, neque presbytero tradi diaconia potuisset, neque titulus Diacono.

Numerus parochiarum seu titulorum, qui sub saeculi IV exordio adhuc ad quinque et viginti ascendebat, eodem exeunte saeculo IV, auctus est, et constat, saeculo V, ut ex insigni documento eruitur, quod praestat Concilium Romanum sub Papa Symmacho in Vaticana Basilica coactum, die 7 Martii 499, ad duodeviginti pervenisse; talis est subscriptorum titularium numerus in calce documenti.

Inter Pontifices titulorum ordinatores, saeculo IV, recolendus est Innocentius I, qui novum instituit *Vestinae* titulum, statuitque, ut Basilica suburbana S. Agnetis curae et regimini presbyterorum illius tituli traderetur (*Lib. pontif., in Innocent. I*, VII); ac reipsa in Basilica coemeteriali illius Martyris legitur Acolythi cuiusdam epitaphium: *Tituli Vestinae regionis quartae.*

Presbyteri titulares ab origine non aliter distinguebantur, quam Presbyterorum nomine, addito tituli vocabulo, cui praeerant. Ita in quadam votiva epigraphe Basilicae S. Sebastiani: « Temporibus Sancti – Innocentii Episcopi – Proclius et Ursus Presbb. – Tituli Bizantis – Sancto Martyri – Sebastiano ex voto fecerunt ». In aliquibus Basilicis fuerunt postmodum *Priores* nuncupati, qui tamen cum Praepositis non sunt confundendi, de quibus inscriptiones christianae Urbis loquuntur. Incerta est aetas, in qua Presbyteri titulorum nomen *Cardinalium* sunt adepti; iuxta Card. Panvinium, iam ante Silvestrum id evenisse diceretur: quod tamen probabile non est, ut alios auctores conferendo evincitur (Cfr. Du Cange, *Glossarium*; Piazza, *Gerarchia Cardinalizia*; Cardella, *Memorie storiche dei Cardinali*; Muratori, *Dissertazione 61*, etc.).

Digitized by Google

Nomen Cardinalis, prout a *cardo* derivat, etiam apud profanos scriptores invenitur; uti in Vitruvio, qui nominat *scapos cardinales*. In sensu ecclesiastico, iam a saeculo VI in quibusdam invenitur documentis pontificiis, quamvis ab origine largius haberetur dictio *Clericus incardinatus*, addictus nempe alicui Ecclesiae. Abbates S. Pauli et S. Laurentii Cardinales sunt nuncupati; iidemque, una cum Diaconis Palatinis, Diaconis quatuordecim ecclesiasticarum regionum, Hebdomadariis trium Urbis potiorum Basilicarum, septem Episcopis Lateranensibus, *Sacerdotale Collegium*, iuxta Libri Pontificalis appellationem, efficiebant, quod serius *Sacrum Collegium* nuncupatum fuit.

Varias nunc innuemus vicisitudines Ecclesiarum titularium. Saeculo octavo, Gregorio III Pontefice (731-41), quatuor additi sunt Cardinales Diaconi ad quatuordecim regionarios, qui Pontifici adstare, eique inservire deberent. Alii quoque additi sunt, Hadriano I Pontifice (772-95), et serius, sub Honorio III (1124-33). In quodam codice manuscripto temporis Ioannis XXII (1316), ad 31 numerantur tituli Cardinalium Presbyterorum, 19 ecclesiae Cardinalium Diaconorum. Saeculo XV, Callistus (1455-58) unum addidit; Syxtus IV (1471-84) Ecclesiam S. Nicolai *inter imagines* in titulum erexit. Saeculo XVI Leo X, undecim alios titulos auxit, cum unum et triginta creavit Cardinales, die 1 Iulii 1512. Iulius III, eodem saeculo, tres Ecclesias in titulum erexit; Paulus IV unam; Pius V tres; Syxtus V, in Constitutione « Religiosa sanctorum Pontificum », quinquaginta titulos statuit, pro totidem Cardinalibus Presbyteris; diaconias quatuordecim pro totidem Cardinalibus Diaconis; Episcopatus sex, pro sex Cardinalibus Episcopis.

Ex Constitut. Syxti V, numerus Cardinalium stabiliter septuagenarius determinatus fuit, sed Ecclesiae una et septuaginta erant, eo quod Cardinali Vicecancellario S. Laurentii in Damaso Ecclesia, ex Decreto Clementis VII, quod Syxtus V servavit, tradi solebat, ita ut Cardinalis Vicecancellarius, si fuerit Episcopus suburbicarius, Episcopatum retinens, esset et titularis Commendatarius.

Digitized by Google

Ecclesiae titulares et diaconiae a Clemente VIII restitutae sunt, ex S. R. C. consulto, die 30 Augusti 1602, et anno 1618 a Paulo V confirmatae. Postea Ecclesiae titulares et diaconiae, fixo manente Cardinalium numero, auctae sunt, ita ut hodie Ecclesiae titulares numeruntur tres et quinquaginta, Ecclesia S. Laurentii in Damaso inclusa, diaconiae sexdecim, Episcopatus suburbicarii sex.

Iuverit adnotasse, Cardinales antiquitus ad residentiam in propriis Ecclesiis adactos fuisse; et quia Anastasius Presbyter Cardinalis, titulo S. Marcelli, quinque annos suam Parochiam dereliquerit, canonice depositus fuit, ut ait Leo III, in Cap. *Ex gestis, de Cleric. non resid.* Ab hac obligatione nunc exempti sunt Cardinales, etiam Episcopi, qui tamen omnes in Urbe omnino residere debent, nisi Apostolicum intercedat Indultum; Ecclesiae vero, quibus praesunt, per Presbyteros saeculares aut regulares administrantur: plures autem ex his regularibus ritum sequuntur a romano diversum, scilicet *monasticum* vel *hierosolymitanum* et nonnulli etiam *orientalem*.

II. Quae iura Cardinalibus Titularibus et Diaconis competant in eorum Titulis aut Diaconiis?

Cum primum instituti sunt tituli, Cardinales, quatenus parochi, Sacramenta administrare et exequiarum curam exercere debebant. Res deinde penitus immutata est, aucta namque Cardinalium dignitate, et eorum auctoritae in titulis succrevit. Ita ex mero parochi munere, in plenam immissi sunt iurisdictionem Cardinales, quoad titulos, ita ut tam in spiritualibus, quam in temporalibus sive circa populum sive circa clerum essent quasi Episcopi in propria Dioecesi. Exinde fiebat, ut Urbs in tot Dioeceses sive Districtus divisa consideraretur, quot erant tituli et diaconiae. Id eruitur ex Constitutione Ioannis VIII, a Coellio relata et a Baronio (ann. 882), et Constitutione Honorii III, a Thomassino citata (T. I, L. 2, cap. 28, n. 8). Idem ex verbis sanctionis ad Dominum Presbyterum Cardinalem et ad Venerandum Capitulum S. Laurentii in Damaso missae, confirmatur, in qua legitur: « Correctionem ipsius Cardinalis accipientes humiliter, et

Digitized by Google

excommunicationis, interdicti, vel suspensionis sententias, quas tulerit in eos et Ecclesias eorumdem; inviolabiliter observantes ».

Cardinalibus igitur regimen inerat titulorum, cleri et populi, quos singulis annis vel personaliter vel per suum Vicarium visitare deberent, prout in sessione 23ª Conc. Basil., et in 9ª Concilii Lateranen. sub Leone X celebrati, data Constitutione « Supernae dispositionis arbitrio », in qua statuitur: « Tituli sui loca, si praesentes in Curia fuerint personaliter, si vero absentes per vicarium idoneum semel saltem singulis annis visitent, Clericos et populos Ecclesiarum suo titulo subiectarum cum diligentia inquirant, vigilentque circa cultum divinum et bona dictarum Ecclesiarum, moresque in primis et vitam clericorum et parochianorum solertes explorent, eosque omnes et singulos ad recte honesteque vivendum paterno moneant affectu ». Haec iurisdictio quasi-episcopalis Cardinalium in suis titulis, admissa et a Victorello in vita Pontificis S. Hygini: « sicque ordinariam habent (Cardinales) iurisdictionem, et cum ea solitas indulgentias relaxant », et a Fagnano, qui eam dixit extensam, non modo Cardinalibus Presbyteris, sed et Diaconis, quamvis in dubium, absque solido fundamento, a Boverio in tomo II « De Cardinalium successione », fuerit revocata; tamen expressa rursus fuit in Constitutione 5ª Pauli IV, et confirmata a Sixto V, in sua Constitutione « Religiosa », in cuius principio legitur: « Praeter sex Episcopos Cardinales, qui certis Cathedralibus Urbi finitimis praesunt, singulis Presbyteris et Diaconis Cardinalibus propriae in Urbe Ecclesiae, tituli videlicet et diaconiae cum suis clero et populo, ac quasi-episcopali iurisdictione in spiritualibus et temporalibus, regendae et administrandae committantur ».

Huic Constitutioni innixus Cardinalis Albizi, in sua eruditissima Dissertatione « De iurisdictione quam habent S. R. E. Cardinales in Ecclesiis suorum titulorum », n. 42, scripsit, hoc locum habere sive tituli vel diaconiae sint Ecclesiae Clericorum saecularium, sive regularium, cum Sixtus V pariformiter loquatur de Ecclesiis saecularibus ac de regularibus, et diversi Pontifices

Digitized by Google

in Diplomatibus titulorum Ecclesias regulares plenarie subiiciant Cardinalibus.

Hanc autem Cardinalium in suis titularibus Ecclesiis auctoritatem evolvendo, addit, eos ius habuisse: 1. Leges condendi et promulgandi; 2. Censuras imponendi; 3. Cleri et populi visitationem instituendi, necnon eorum causas etiam criminales cognoscendi; 4. ad officia eligendi, et, iustis de causis, electos privandi; 5. curam animarum exercendi; 6. episcopalibus insigniis utendi, ac Episcoporum more solemnem benedictionem impertiendi; 7. subditis et familiaribus primam Tonsuram et minores Ordines conferendi, dummodo de Cardinalibus presbyterali charactere insignitis ageretur; 8. in omnibus et singulis casibus dispensandi, in quibus id possunt Episcopi; 9. centum dies Indulgentiae concedendi; 10. ultimas voluntates commutandi; 11. ius caritativum a propriis subditis exigendi. Concludit vero (n. 87), posse Cardinales in suis Ecclesiis haec munera sive per se, sive per suos Vicarios exercere. Eadem invenimus, et eodem ferme ordine, apud Barbosa, qui citat Maupied, in suo *Iure Canonico*, V. I, p. 3, L. III, C. 3.

« Minus aliquid; ait Synopsis ad calcem operis Plati, habent circa exercitium curae animarum, quia haec omnia sunt reservata E.mo Card. Urbis Vicario, forte ex causis prudentialibus Romanor. Pontif. Nec in eis habent, quae in Concilio Tridentino expresse Episcopis sunt concessa, prout declaravit Gregorius XIII, apud Fagnan. loc. cit., n. 16, et clarius in cap. *Ne pro dilatione*, de Poenitent. et Remiss., n. 42 ».

Certum est hodie, nemine contradicente, Cardinales in suis titulis et diaconiis, praeter alia iurisdictionis indicia, incedere rocheto discooperto, sola cum mozzeta; per Ecclesiam transeuntes benedicere; Thronum cum Baldachino erigere; Altaria (S. R. C. 30 Ianuar. 1879, *Urbis*, n. 3478) consecrare. Catalani admittit et septimum candelabrum in celebrandis Pontificalibus, quod quanam ex causa in desuetudinem abierit, ignoratur, dum supradictis correlativum sit.

Digitized by Google

Quae sequuntur, ut finis huic secundae quaestioni, penitiori rei elucidatione imponatur, excerpta sunt ex *Allegationibus etc.*, editis ab E.mo Card. Vives, *pro manuscripto*, paucis exemplaribus, post lectam hanc Dissertationem in Academia Liturgica:

Anno 1692, die 17 Septembris, prodiit Const. *Romanus Pontifex*, per quam Innocentius XII abolenda decrevit tribunalia particularia Urbis. Nonnulli per illam Constitutionem sublatam dixerunt iurisdictionem Cardinalium in suis Titulis vel Diaconiis; idque erronee, quia neque totum tenorem, specialem rationem et finem illius documenti matura ponderatione examinarunt, neque acta authentica promulgationi Constitutionis praevia ad memoriam revocarunt. Quapropter, ut vera et genuina vis illius legis certo tutoque dignoscatur, oportet ut et acta praevia et ipsa Constitutio ex integro legantur et ponderentur.

Innocentius XII, in re tanti momenti, voluit ut tota quaestio accuratae maturaeque deliberationi particularis Congregationis virorum in re canonica et civili peritissimorum, quorum nomina habentur in fine documenti mox transcribendi, committeretur. Quae quidem Congregatio particularis, die 31 Augusti 1692, sequens edidit primum praevium decretum, ab eodem Innocentio XII probatum et eius auctoritate promulgatum.

*Hic sequuntur documenta.*

1. Textus et contextus trium documentorum sub Innocentio XII emanatorum, et supra ex integro adductorum, solam abolitionem tribunalium seu iudicum particularium respicere, non autem iurisdictionem Cardinalium in suis Titulis, omnino patet mature legenti pontificia illa diplomata.

2. Imo mentio illa *Titularium*, quam habet Constitutio, in § *Postremo*, respicere videtur non Titulos Cardinalitios proprie tales, seu *ecclesias Titulares, quae sunt quasi sponsae datae cuilibet Cardinali*, sed Titulos seu Protectoratus seu Officia circa alias ecclesias vel sodalitates vel loca pia, quae *tamquam quid accidentale et secundarium, nec cum Cardinalatu necessario connexum, nonnullis Cardinalibus a Summis Pontificibus committi solent*; quibus muneribus tunc temporis frequenter adnexum erat tribunal particulare; unde promiscue in illis documentis adhibentur verba *Titulares* et *Protectores*; et dicitur « Cardinalibus eorum Protectoribus »; vel « Protectoribus seu Titularibus »; vel « Titularibus seu Protectoribus ».

3. Ceterum, ex tenore illorum documentorum patet, quod tribunalia illa particularia adnexa erant non tantum locis seu officiis quibusdam particularibus, quae solis Cardinalibus committi solebant, sed aliis etiam ecclesiasticis institutionibus vel piis fundationibus, ut sunt *Ecclesiae quaedam, Basilicae, Universitates, Monasteria, Collegia, Hospitalia, Confraternitates, Conservatoria, Domus Piae, Cappellae, Altaria, Montes Pietatis*, etc. Unde primum decretum praevium

Digitized by Google

merito affirmat, quod ex multiplicatione illorum particularium tribunalium, « iurisdictio iudicum et tribunalium ordinariorum ad nihilum fere reducta reperitur ». Porro tribunalia particularia Urbis tot disparatisque Institutis seu Officiis concessa, anno 1692 vix excedebant numerum *septuaginta*; numerus quidem etsi absolute magnus, relative tamen parvus, si unusquique Cardinalis in sua etiam ecclesia Titulari seu in sui Cardinalatus Titulo proprium habuisset tribunal.

4. Hinc in documentis pontificiis subsequentibus, quoties agitur de Titulis Cardinalibus ratione Cardinalatus commissis, numquam de Constitutione Innocentii XII fit mentio; secus quando res est de Titulis secundariis sive Protectoratibus vel Officiis quibusdam, ut Archipresbyteri Basilicae Patriarchalis, quibus olim adnexum fuit verum tribunal particulare.

5. De qua re Ill.mus Patrizi-Accursi, in suo erudito opusculo *Le Chiese di Titolo Cardinalizio*, edit. Roma an. 1900, pag. 16–17 scribit: « Dalle riferite parole è manifesto che il Pontefice Innocenzo XII non fece alcuna innovazione nelle Chiese di titolo Cardinalizio. Ma dato pure e non concesso che colla precitata Bolla avesse contemplato le Chiese di titolo Cardinalizio, tuttavia non avrebbe tolto ai Cardinali i diritti che hanno nelle Chiese dei loro titoli, bensì il solo privilegio di tenere nelle medesime il particolare tribunale... La parola poi *Titularibus* non si riferisce, nè può riferirsi ai Titoli Cardinalizi, ove i Cardinali non avevano il privilegio di tenere il Tribunale esterno. Riguarda invece i Cardinali *Protettori*, detti anche *Titolari*, delle Cappelle Sistina e Paolina erette nella Basilica Liberiana di S. Maria Maggiore, perciò dice *Titularibus seu Protectoribus* ».

Denique, dato etiam quod § *Postremo* Const. Innocentii XII anni 1692 respiciat Titulares Cardinalium Ecclesias proprie tales, et quod anno illo 1692, Cardinales reapse in suis Titulis particularia tribunalia habuerint, nihil tamen contra ordinariam iurisdictionem Cardinalium in praefatis Titulis deduci posset. Sed, quidquid sit de hac accessoria quaestione, liceat iam allegationes et acta deducere, quae et *traditionem et legislationem Cardinalibus Titularibus tuto, certo, evidenter favorabilem exhibent*, et omnia in contrarium argumenta a privatis quibusdam Canonistis congesta undequaque excludunt.

. . . . . .

1. Iurisdictio Cardinalium in suis Titulis, substantialiter sumpta, eadem semper mansit ac manet, ut constat ex doctrina meliorum Canonistarum, qui, ducibus Cardinalibus Albitio et De Luca, scripserunt ante Innocentium XII et post Innocentium XII, si illi ex recentioribus excipiantur, qui rationem, finem, extensionem et valorem actorum eiusdem Innocentii seu decretorum praeviorum et bullae an. 1692 circa abolitionem tribunalium Urbis particularium haud satis matura et plena consideratione examinarunt.

Digitized by Google

2. Dico *substantialiter sumpta*, quia quoad actus singulares iurisdictionis haud essentiales, admitti potest aliqua moderatio in usu potius quam in iure, salvo tamen ipso iure.

3. Haec autem iurisdictio essentialis et fuit et est *episcopalis* vel *quasi episcopalis*, idque et Albitius cum De Luca et alii in hac materia peritiores admittunt et defendunt, et Romani Pontifices tum ante, tum post Innocentium XII expressis docent et authenticis verbis.

4. *Quod autem haec iurisdictio sit et in spiritualibus et in temporalibus*, non solum deducitur ex natura iurisdictionis *episcopalis* seu *quasi episcopalis*, quam certissime habet, sed evidenter constat ex multiplici etiam diplomate pontificio, ex Doctorum allegationibus et ex non paucis factis Cardinalium Titularium, quae non solum spiritualia sed et temporalia suorum Titulorum respiciunt.

5. Doctrina Cardinalium Albitii et De Luca, praesertim in substantialibus, canonizata habetur tum a S. Rota, quasi immediate post Innocentianam Constitutionem, tum postea a Benedicto XIV, tum denique et recentius etiam in Romana Curia, v. g. a S. C. Caeremonialis, ubi a Consultoribus saepe victoriose invocatur ad defensionem iurisdictionis Cardinalium Titularium in casibus particularibus controversis.

6. Adnotationes ex opere Plati et Synopsis adnexae, salvis nonnullis minus exacte et recentius quidem dictis, sunt quasi testimonium traditionis iuridicae et practicae Romanae Curiae de semper vigente iurisdictione Cardinalium in suis Titulis, iuxta substantiales deductiones Cardinalium Albitii et De Luca, saltem globatim sumptas.

7. Ex summula diplomatum pontificiorum ante Innocentianam Constitutionem editorum, multa habentur argumenta certissima de vera iurisdictione Cardinalium in suis Titulis, et quidem etiam in temporalibus.

8. . . . ius et obligatio illius etiam materialis residentiae non sola spiritualia iura arguebat.

. . . . . .

20. . . . : omnino firmata videtur tum in canonica doctrina, tum in facto, tum in iure pontificiis documentis multipliciter expresso, iurisdictio Cardinalium in suis Titulis, et in spiritualibus et in temporalibus.

21. Post Innocentium XII et ab Innocentio XII multiplici pariter diplomate confirmata habetur iurisdictio Cardinalium in suis Titulis, et in spiritualibus et temporalibus. Ad quod praemittere liceat inconcussum principium necessitatis certissimae et specialissimae revocationis pontificiae, quando agitur de iuribus Cardinalium *ratione suae dignitatis*. Unde Clemens X declaravit: « Praeterea nostrae intentionis *non est sub revocationibus et aliis supradictis comprehendere immunitates et exemptiones eisdem S. R. E. Cardinalibus*

Digitized by Google

*ratione dignitatis Cardinalatus* ». Eadem habet Alexander VIII: « Praeterea nostrae intentionis *non est sub revocationibus et aliis supradictis comprehendere immunitates et exemptiones eisdem S. R. E. Cardinalibus ratione dignitatis Cardinalatus* ».

. . . . . .

25. Ceterum iurisdictionem Cardinalium in suis Titulis, non solum admittit Benedictus XIV, sed *quasi-episcopalem* et in vigenti et actuali exercitio, dicens: « Romae existunt Ecclesiae, quae Cardinalium Tituli appellantur, et in quibus iurisdictionem quasi Episcopalem exercetis ».

. . . . . .

27. Pius VII, S. Mariam de Victoria in Titulum erigens, utramque iurisdictionem Titulis adnexam esse docet his verbis: « in Titulum Presbyteralem Cardinalitium creamus, erigimus, atque constituimus, *illiusque* bona, membra et iura, legibus eisdem, *ut in aliis huiusmodi Ecclesiis a praefato* Sixto aliisque Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris *in Titulum Cardinalitium usque adhuc erectis factum cognoscimus, de more subiicimus* ». Ex quibus etiam verbis, haec deduci possunt: 1. Titulos Cardinalitios, etiam saeculo XX, eisdem legibus Sixtinis quoad bona et membra subiectos esse, quibus Tituli Sixtini subiiciuntur; 2. leges ab aliis Romanis Pontificibus de Titulis, substantialiter non modificasse leges Sixtinas; secus verbum eisdem minus vigilanti calamo positum videretur; 3. denique eisdem legibus regi Titulos post Sixtum V erectos ac Tituli in Constitutione Sixtina erecti seu designati: unde Pius VII vult, ut, quoad bona et membra, novus S. Mariae de Victoria Titulus eisdem legibus regatur ac Tituli a Sixto V aliisque Rom. Pontificibus erecti.

28. Verba Gregorii XVI, quibus confertur Titulus SS. Andreae et Gregorii in Monte Coelio Cardinali Bianchi, utramque iurisdictionem confirmant: « Tibi Ecclesiam Sanctorum Andreae et Gregorii ad Clivum Scauri in Monte Coelio cum omnibus et quibuscumque domibus, membris, iuribus, obventionibus, iurisdictionibus et pertinentiis pro concessi Tibi honoris Cardinalatus denominatione, de simili consilio Auctoritate Apostolica concedimus et assignamus... Per Apostolica scripta mandamus... dilectis filiis Monasterio Monachorum Ordinis S. Benedicti Congregationis Camaldulensium praefatae Ecclesiae et aliis illius ratione Tibi subditis personis, ut pareant et obediant, et intendant ». Quae verba ad mere honorifica mereque benedictionalia restringere, idem esset ac ridicula facere Pontificis verba inaniaque mandata eius. Nec minus ridicula forent verba authentici testimonii captae possessionis Tituli, ubi dicitur: « Cardinalis Ambrosius Bianchi veram, realem, civilem, actualem, corporalemque possessionem denominationis seu Tituli sui Cardinalatus Sanctorum Andreae et Gregorii ad Clivum Scauri cum omnibus et

Digitized by Google

singulis annexis et connexis et pertinentiis universis, ad formam dictarum Litterarum Apostolicarum accepit et adeptus fuit ».

29. Haec ex pontificiis diplomatibus, tum ante, tum post Innocentium XII editis, deducta, evidenter comprobant constantem iurisdictionem Cardinalium in suis Titulis, et in spiritualibus et in temporalibus, eamque a Const. Innocentiana incolumem et in pleno suo vigore mansisse confirmant.

. . . . . .

42. Iam alibi posuimus varios textus bullarum collationis Tituli Cardinalitii Innocentio XII posteriorum, in quibus nec verbum quidem habetur de Const. Innocentiana; quod quidem iterum confirmat, praefatam Constitutionem Cardinales Titulares proprie tales nullatenus respicere, neque istos § *Postremo* indigere. Sed haec nostra allegatio luculenter comprobatur vera, ex aliis documentis pontificiis, in quibus cum agatur de personis in Const. Innocentiana comprehensis, expressis verbis urgetur eius observantia.

43. Sic Clemens XI an. 1712 amplissimam iurisdictionem, quam alii Pontifices et Ipse contulerant Archipresbyteris Basilicae Vaticanae, confert Cardinali Hannibali Albano; sed quia illos Archipresbyteros certo et expresse respiciebat Const. Innocentiana, addit Pontifex clausulam qua illius Constitutionis observantia urgetur: « servata *tamen forma* Constitutionis piae memoriae Innocentii Papae XII etiam Praedecessoris nostri, *super suppressione et abrogatione Tribunalium et Iudicum Particularium dictae Urbis ac reductione Privilegiorum et eorumdem Tribunalium ad ius commune, sive ad Iudices ordinarios Romanae Curiae, editae* ». Quibus verbis etiam confirmatur, praefatam Constitutionem Innocentianam: 1. sola tribunalia particularia solaque iudicialia respexisse; 2. Titulos Cardinalium proprie tales seu iurisdictionem Titularem neque modificasse neque tetigisse.

44. Benedictus XIV, similem clausulam inseruit Const. *Ad honorandam*, de iuribus et privilegiis Archipresbyteri, Capituli et Cleri Capituli Vaticani, qua Innocentianam legem a se confirmatam servandam declarat: « servata tamen forma Constitutionis piae mem. Innocentii PP. XII... *quam nos per aliam Nostram Constitutionem . . . expresse confirmavimus, atque innovavimus* ». Eodem modo procedit idem Benedictus XIV in collatione Archipresbyteratus Vaticani Henrico Magnae Britanniae Regis filio, similem scilicet clausulam inserit ad salvandam observantiam Const. Innocentianae a se confirmatae.

45. Si ergo Clemens XI an. 1712 et Benedictus XIV annis 1742 et 1751 clausulam urgentem legem Innocentianam posuerunt in suis diplomatibus quando agebatur de Archipresbyteris Basilicae Vaticanae, et eamdem clausulam omiserunt quando agebatur de Titulis proprie talibus, seu de collatione eorundem Titulorum; concludendum est, Constitutionem Innocentianam non respicere neque tangere Titulos proprie tales, neque modificasse iurisdictio-

Digitized by Google

nem Cardinalium Titularium; ideoque de Titulis improprie talibus seu de Protectoratibus seu aliis officiis secundariis intelligendum est vocabulum *Titulares*, quod promiscue cum verbo Protectoribus adhibetur in illa Constitutione.

46. Sed dato quod Const. Innocentiana et praesertim § *Postremo* respiciat Titulos proprie tales, integra tamen maneret Cardinalium Titularium iurisdictio non vere iudicialis, ut patet ex ipsius Constitutionis natura supra examinata.

47. Omissa tamen ulteriore disquisitione de conditione intrinseca eiusdem Constitutionis, nunc quasi per traditionem certam et tutam confirmabimus, intactam mansisse iurisdictionem Cardinalium in suis Titulis post Innocentianam legem. Et quidem primi praevii decreti in Const. substantialiter incorporati notitia habita est vix elapsis septem diebus a decreti editione, et publice iuris facta est in *Avvisi di Roma* sub data 6 Septembris; ... [ubi] res erat de solis iudicibus, de solis tribunalibus; idque Urbi notum erat. Nec verbum quidem de Titularium iurisdictione!

48. Annis 1701, 1702, 1703, Sacra Rota, nec minima quidem facta mentione de Const. Innocentiana an. 1692, ideoque nuper edita, integram immutatamque admittit iurisdictionem Cardinalium in suis Titulis, et suam facit doctrinam Cardinalis De Luca aliorumque Canonistarum melioris notae, qui episcopalem seu quasi-episcopalem iurisdictionem Cardinalium in suis Titulis et Diaconiis defendunt atque eruditis commentariis illustrant.

. . . . . .

52. Eruditissimus Canonista Berardi, qui suum opus canonicum edidit an. 1766, ubi agit de iurisdictione Card. Titularium, nihil habet quod Innocentianam restrictionem respiciat, et iura, traditionalia ut ita dicam, eorumdem Titularium admittit: «Hinc Cardinales in suis illis Ecclesiis utuntur pontificalibus insignibus, etiamsi episcopi non sint, et solemniter populo benedicunt, constitutiones etiam ferunt, populum et clerum sibi subiectum obligaturas; clericos illis ecclesiis addictos corrigunt, et, ubi opus sit, censuris coercent, more episcoporum visitationem peragunt, etc.».

53. Quae circa causas S. Petri ad Vincula, Sanctae Pudentianae, et decretorum an. 1902 apud S. Sedem tractatas, ex eruditis Consultoribus excerpenda censui, quin tamen omnia probem, veritatem canonicam et traditionem liturgicam et curialem Urbis de semper vigente iurisdictione Card. Titularium confirmant. Quam traditionem, praesertim coram laicis, etiam comprobant, et verba notissimi prof. Schiappoli an. 1902: «Le chiese di titolo cardinalizio in Roma assegnate ai singoli Cardinali sono altrettante diocesi con territorio separato da quello della diocesi romana, benchè da questa siano circondate...: le chiese di titolo cardinalizio non furono colpite dalla legge 19 giugno 1873,

Digitized by Google

quindi devono essere reintegrate nel pacifico possesso delle chiese, della casa annessa e di quella parte di beni, che può servire come dotazione al Titolo », et nonnullae ex allegationibus Consilii Status, quae legi possunt ..... cum hac conclusione: « E per queste considerazioni il Consiglio è stato di avviso che le disposizioni contenute negli articoli 4, 6, 7 e 9 della legge del 13 maggio 1871 detta delle guarentigie, lo spirito di essa legge e le disposizioni della legge del 19 giugno 1873 fanno ostacolo alla chiusura delle chiese di titolo cardinalizio canonicamente preesistenti alla legge 31 maggio 1871, e che rispetto alle chiese di S. Eusebio e di S. Lorenzo in Panisperna vogliosi tener presenti le sopratrascritte avvertenze ».

54. Igitur illa quae in collectis documentis et allegationibus habentur argumenta iurisdictionis Cardinalium Titularium in spiritualibus et temporalibus confirmativa, quaeque in hisce conclusionibus imperito et ob temporis defectum nimis currenti calamo deducenda censui, sententias illorum Canonistarum qui iurisdictionem Cardinalium Titularium ad honorifica tantum et benedictionalia restringunt, omni fundamento et valore destitutas esse suadent. Ceterum, etiamsi centum, etiamsi mille Canonistae contrarium docerent praevalent tamen allegationes ex documentis pontificiis, ex vera traditione Romanae Curiae, ex Rotalibus decisionibus, etc.: quae in hoc libro ad utilitatem studiosorum congestae sunt.

---

III. Quo ritu celebrandae sunt a Cardinalibus functiones in eorum Titulis in casu?

Nullimode ambigendum videtur, celebrante Cardinali in proprio titulo Missam pontificalem, ritu indubitanter romano, horam Tertiam, etiamsi Ecclesia concredita sit Regularibus ritus monastici, romano ritu esse prorsus decantandam; quod idem dicendum de eodem casu in Ecclesiis ritus hierosolymitani et graeci, cum Missae celebratio, quae fit per Cardinalem, sit in ritu romano. Circa assistentiam vero Cardinalis, notandum est, quod si fit in Missa, nullimode, saltem ordinarie, fit ad Horas; ideoque Regulares Horas omnes decantare valent iuxta proprium ritum, tanquam partem quae Cardinalem non respicit, quamvis immediate praecedant Missam, cui ipse adstabit. Et re sane vera:

*a*) Cardinales proprium ritum, qui est romanus, secum ferunt. Hic namque ritus et dignitati cardinalatus intime inhaeret, et ecclesiae titulari, quae omnino est una ex Romanis ecclesiis.

Digitized by Google

Insuper Cardinales, ait P. Berti (*Dissertaz. I*, t. VI. *Raccolta del Zacconi*), sunt quidem Cardinales illius aut alterius tituli, sed revera sunt Cardinales Romanae Ecclesiae. Hinc sequitur, Monachos et alios quoscumque Regulares, qui ritum sequuntur a romano diversum, ad Cardinalatus dignitatem elevatos, relinquere debere proprium ritum, et romanum assumere; eadem prorsus ratione, qua Regulares ad Episcopatum promoti debent Officium recitare iuxta ritum Ecclesiarum, *quibus sunt ligati*, prout statuit S. R. C., die 10 Iulii 1677, n. 1599, in *Cusentina*. Ex eo tamen quod Cardinales Orientales, etiam hodie, in privatis functionibus et in propriis Dioecesibus sequuntur proprium ritum, nihil deduci potest contra nostram thesim; primo quidem, sicut aiunt nonnulli, quia id fit ex Apostolica venia, ut erga Orientales Ecclesias propensior Romana Ecclesia sese ostendat; secundo autem (et est vera ratio) quia uti Episcopi in sua ecclesia, extra Romam ritum illius prorsus sequi debent.

Hinc Archiepiscopus Mediolanensis, licet Cardinalis, in sua dioecesi quatenus ecclesiae Ambrosianae praeses, illius sequitur ritum; cum vero Romae degit, uti Presbyter Romanae Ecclesiae, ritum sequitur Romanum.

*b*) Hoc admisso, quod Cardinales romanum ritum sequi debeant, alius non datur inveniri locus, in quo magis ac potiori ratione ad id teneantur, quam in propria Ecclesia titulari, in qua vera fruuntur auctoritate et iurisdictione, ut supra dictum est. Cardinalis titularis igitur nullimode valet ritu uti proprio Regularium, quorum curae tradita est ecclesia, sed debet omnino, tam in suis functionibus pontificalibus, quam si assistat ad thronum, ritum romanum sequi, et iubere.

*c*) Cardinales antiquitus, uti supra innuimus, ad residendum in propriis titulis tenebantur, in quibus procul dubio ritum romanum sequebantur. Serius, hac obligatione cessante, ecclesiae titulares Presbyteris saecularibus aut regularibus traditae sunt, manente tamen in Cardinalibus circa ipsas iurisdictione quasi-episcopali, quae tamen, in posterum, aliquatenus, de facto, nisi

Digitized by Google

de iure, limitata fuit. Nunc, si forte inter praedictos Regulares nonnulli inveniantur, qui ritum a romano diversum sequuntur, quisnam dicet, hanc esse causam, cur Cardinalis titularis, relicto proprio, alienum ritum amplecti valeat?

*d*) Si tandem ecclesiastica romana traditio de hoc requiratur, palam fiet, Cardinales titulares, semper in propriis titulis celebrasse aut adstitisse in ritu romano.

Huic quaestioni affinis est haec alia, an scilicet, assistente ad thronum Cardinali, valeant ritum romanum sequi Regulares, ritus a romano diversi; an potius Cardinalis assistere valeat Missae ab iis in proprio ritu celebratae; an demum, debeat Cardinalis Missam iubere stricto sensu romanam, et huic postremae quaestionis parti affirmative respondemus: patet quippe, minime conveniens esse, aut Cardinalem se ritui alieno aptare, aut Ministros alieni ritus ad alterum transire; eo vel magis, quod in casu assistentiae ad thronum, si agatur de Regularibus ritus orientalis, celebrata Missa in hoc ritu, Cardinalis latino ritu deberet benedictionem impertiri cum rituum permixtione, quae non permittitur: nisi quis vellet res ita componere, ut Cardinalis meram passivam praestaret assistentiam, quin ullo se actu Superiorem demonstraret.

Ad quaestionem autem quod attinet, an possint Regulares ritus non romani Cardinali adstare, romano ritu celebranti aut assistenti, reponunt nonnulli affirmative, duobus S. R. Congregationis decretis innixi. Primum est decretum *De usu linguae slavicae in sacra Liturgia*, d. d. 5 Augusti 1898, in quo S. C. statuit: « Si quis Sacerdos, addictus ecclesiae, ubi latina adhibetur lingua, alteri debeat ecclesiae inservire, quae palaeoslavici utitur idiomatis privilegio, Missam solemnem ibi celebrare, horasque canere tenebitur lingua palaeoslavica: attamen, illi fas erit, privatim Sacra peragere, et horas canonicas persolvere latina lingua. Idem vicissim dicatur de Sacerdote palaeoslavici idiomatis, ecclesiae adscripto, cui forte latinae ecclesiae deservire contigerit ». Hac praescriptione admittit S. R. C. implicite, Sacerdotes

Digitized by Google

linguae palaeoslavicae inservire posse in ecclesia latinae linguae, quamvis in ea relinquere debeant propriam linguam; et vice-versa. Decretum hocce casui nostro applicando, fautores huius affirmativae sententiae dicunt, Sacerdotes Regulares diversi ritus, posse ad thronum assistere Cardinali, romanum suscipientes ritum, qui tunc in titulo praevalet, eadem ratione, qua in ecclesia latina praevalet latina lingua super palaeoslavica.

Alterum, quod citant decretum, datum est a S. R. Congregatione, die 10 Ianuarii 1902, in una *Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum*, in quo S. C. ad quaestionem, an « Sacerdotes ritus romani, celebrantes aliqua vice Missam parochialem in ecclesia ritus ambrosiani, sequi debeant Kalendarium et ritum ambrosianum, aut Kalendarium et ritum romanum? » respondit: « Affirmative ad primam partem, negative ad secundam »; et, cum requireretur: « An hoc valeat etiam pro Regularibus, qui ex praecepto gravi Constitutionum tenentur ad ritum romanum? » respondit: « Affirmative ». Nunc vero ad casum nostrum hoc decretum applicantes, nil prohibet, ipsi dicunt, quod Regulares, ritus a romano diversi, ad thronum Cardinalem assistant, romanum ritum suscipientes. Id namque est notandum, Sacerdotes romani ritus in dioecesi mediolanensi, pro qua datum est decretum, numero considerato, inveniri, Sacerdotibus ritus ambrosiani comparati, in eadem conditione, qua Regulares diversi ritus Romae, Sacerdotibus ritus romani comparati.

Igitur si necessitatis causa, aliquis ex Orientalibus, et eo magis ex Regularibus latinis ritum a romano diversum habentibus, callens caeremonias romanas ac linguam et cantum, uti cantor, vel etiam in munere diaconi aut subdiaconi inserviret, latinis et romanis vestibus indutus, non esset improbandus. Ceterum norunt omnes, celeberrimum Cardinalem Bessarionem, in propria Cryptaeferratae Abbatia ritu graeco celebrasse, Romae vero, ac praesertim in propria Dioecesi Suburbicaria, romano ritu, iuxta quem et cardinalitio habitu ibidem induebatur.

Opportunum est hic animadvertisse, in Pontificalibus Summi



Digitized by Google

Pontificis, Diaconum et Subdiaconum ritus graeci, non adhiberi ad aliud ministerium quam ad Evangelium et Epistolam respective canenda, neque ad Communionem accedere, quod faciunt Ministri latini, ne praecise ritus commisceantur.

Attamen res est accipienda cum aliqua limitatione: cum agitur de Cardinalis simplici ad thronum assistentia, evidenter, Regulares qui illi adstare debent nullam profecto operam praestant ritui, qui romano more celebratur; atque ideo, cum agitur de Regularibus latini ritus, etiamsi non stricte romani, nullum dubium quod possint munere hoc fungi, sine rituum promiscuitate. Quod etiam verificari potest pro orientalibus, ut patet, si ipsi in choro propriis vestibus sacris induti tantummodo adsistant prout fit ab Episcopis orientalibus in pontificiis functionibus; oportet vero in casu, ut non pauci quoque adsint latini.

Concludimus igitur: 1. Die festo S. Titularis, Cardinalis, celebrans in propria ecclesia pontificaliter, tam ad Altare, quam ad thronum, Ministris circumdabitur romani stricto sensu ritus; Orientalibus, si qui sunt, admissis, praeter clerum latini ritus, indutis tamen sacris paramentis in choro adstantibus; 2. Eodem in casu, Cardinalis, assistens ad thronum, non permittet, Missam celebrari ritu a stricte romano diverso, et excludet a throno Orientales dumtaxat; 3. Etiam Hora tertia, quae Pontificalia Cardinalis praecedit, ut per se patet, cum sit eiusdem ritus pars integralis, cantabitur ritu stricte romano; 4. Pro ceteris functionibus, quibus Cardinalis aut celebrat aut assistit, res, ex dictis, nulla prorsus componentur difficultate; 5. Regulares latini, sed ritu utentes a romano diverso, Missam de Titulari conventualem antea celebrent in suo ritu; Missa enim conventualis est dignior pars divini officii, et omitti nequit; 6. Idem suo ritu agant Orientales, antequam Cardinalis Presbyter vel Diaconus Ecclesiam ingrediatur.

Quibus ex causis nescimus, cur Cardinalis Hassun sub Leone XIII, in pontificiis cappellis in habitu Orientali interesset, solo rubeo colore assumpto; dum card. Sembratowicz Graeco-Ruthenus latino intererat habitu. Episcopi quidem Orientales in

Digitized by Google

suis vestibus adsistunt Pontifici, quia tamquam *Episcopi* intersunt; Cardinales vero nonnisi tamquam *Presbyteri Romanae Ecclesiae* adsunt in pontificiis functionibus, ideoque et habitum prorsus latinum cardinalitium deferre debent, prouti, sicut iam diximus, Cardinalis Bessario faciebat, et eius imagines coaevae testantur.

Antiquitus etiam Cardinales latini ex Ordinibus regularibus assumpti, colorem Ordinis non servabant nisi in *veste subtana*, quoad vero manteletum et cappam, colorem purpureum adhibebant.

# Expositio Rubricarum.

## EXPOSITIO NOVISSIMA
### RUBRICARUM BREVIARII ROMANI

(*Continuatio.* V. num. 10, anni curr., pagg. 613-620).

Amalarius (*l. 4, c. 3*) docet standum esse dum Psalmos decantamus, quod hodie observant adhuc nonnulli Ordines religiosi. Meratus (*sect. 5, c. 8, n. XI*) habet: « Boherius, quamvis dixerit ex verbis regulae S. Benedicti colligi non posse, utrum standum vel sedendum sit, quando Psalmi canuntur, fatetur tamen in magnis monasteriis Sublacensi et Specus, fratres in Psalmis omnino non sedisse. Quod de Sublacensi Boherius, hoc de Cassinensi asserit Bernardus Cassinensis: *Usque hodie, inquit, in Psalmis canendis non sedent Fratres in Monte Casinensi, licet alibi videam sedentes alternatim per vices, quod et ego non vitupero: istud tamen, utpote magis consonum intentioni S. Patris nostri Benedicti magis laudo.* Idem Boherius adstruit pariter, in magnis Galliae coenobiis advertisse Fratres sedere dum Psalmi explentur, interdum tamen Fratrum medietatem in uno Psalmo sedisse, aliam alternatim in alio ».

Digitized by Google

Gavantus ad rem (*Sect. 10, c. 2, n. 6*) docet: « Dubitatio est de Psalmorum cantu, non varia est consuetudo; aliqui stant, et hi laudabilius; alii sedent: alii ad Psalmos Matutini et Laudum sedent, ad reliquos stant; alii ad eosdem Psalmos alternatim stant et sedent. Unusquisque abundet in sensu suo ». Sic quidem concludit Gavantus, nam Caeremoniale Episcoporum (*l. 2, c. 1, n. 7*) sedendum esse docet. Solummodo coram SS. Sacramento exposito (*l. 2, c. 33, n. 33*) dicit: *conveniens esset ut ob reverentiam tanti Sacramenti, tam Episcopus quam Canonici et omnes praesentes, et in choro assistentes, durante officio starent semper capite detecto, et numquam sederent.*

(734) *Psalmi in officio de Tempore per omnes Horas in Dominicis et Feriis dicuntur eo modo quo distributi sunt in Psalterio.*

Iuxta Radulphum (*prop. 10*) S. Hieronymus psalmos omnes per Dominicam et Ferias distribuit, et teste Baronio (*An. 360*) cum Romae tunc nihil fere ex Psalmis in templis legeretur, Damasus Papa decrevit iuxta hieronymianam distributionem recitari; scilicet, in Dominicis 18 Psalmos, 12 in matutinis ferialibus, et 9 in Matutinis festorum. Ad Horas Ambrosium secutus, distribuit idem S. Hieronymus in plures partes Ps. 118. Ceterum, extat decretum S. Gregorii Pp. VII (*de cons. dist. 5 In die*) in quo habetur: « Omnibus diebus per totum annum si festivitas est novem psalmos et novem Lectiones dicimus, exceptis Pascha et Pentecoste. Aliis autem diebus 12 Psalmos et 3 lectiones recitamus; in diebus Dominicis octodecim Psalmos et novem lectiones celebramus ».

Distributio Psalmorum, quam adhibent PP. Benedictini multum differt, ab ea qua in Breviario utitur Romana Ecclesia. Iam temporibus imperatoris Caroli Magni *Psalterium dispositum per hebdomadam* secundum Romanam consuetudinem, per omnes Francorum imperii ecclesias vulgatum erat; atque Amalarius (*De ordine Antiph. c. IV, 2: in* MIGNE, *P. L., c. V, 1252*) de eo loquitur. Radulphus Tungrensis (*de canon. observ. c. 10*),

Digitized by Google

Psalterium ipsum describens, dicit, illud in duas partes esse distributum: prima, quae desinit ad Ps. 109 *Dixit Dominus*, pro officio nocturno inservit, secunda, nempe a Ps. 109 usque ad finem pro officio diurno.

Haec eadem distributio, cum nonnullis tamen mutationibus in Cappella Papali inducta, statim Parisiis accepta fuit, in eademque ecclesia retenta ita, ut postea *parisiensis* vocata sit Eam Fratres Dominicani et Carmelitae antiquae observantiae acceperunt, et adhuc viget in eorum Breviariis (Cf. Bäumer I, p. 363).

Igitur aliqui Psalmi, in ritu Romano, dicuntur *matutinales* qui ante prandium in choro recitantur; alii *vespertinales* qui a prandio dicuntur. « Matutinales, ait Gavantus (*hoc loco, n.* 7) sunt 112, Vesperales 38, quamquam in Matutino de Sanctis et Dedicationis Ecclesiae aliquando cantantur Psalmi: *Cum invocarem* et *Qui habitat* qui sunt vespertini, et in completorio Psalmus *In te, Domine, speravi*, qui est *matutinalis*. Si dividis eosdem per Horas, ad Matutinum recitantur in tota hebdomada 91 Psalmos, ad Laudes 13, ad Vesperas 35, ad alias horas 11, qui faciunt summam 150 ». Ita Gavantus (*hoc loco, n.* 7), et recte si revera pauca essent festa Sanctorum, prout erant tempore ipsius Gavanti. Hodie autem ut pluries innuimus ob immodicum numerum festorum, et ob officia votiva, fere iidem psalmi semper dicuntur, ita ut optanda esset vel nova distributio psalmorum, vel aliqua imminutio festorum.

Ad rem optime scribit cl. Isoard Episcopus Aniciensis (*Le Sainte Brèv. 1900, p. 8*): « Breviarium hodie, non est amplius pro Sacerdotibus quamplurimis unica forma precum, quae caeterarum locum teneat, inquirunt enim formulas alias, aliosque modos ut piis desideriis cordis eorum satisfaciant. Quare hoc? Procul dubio in hodierna distributione Psalmorum, quorum solummodo viginti recitantur per hebdomadam, aliqui nonnisi rarissime per annum ». Imo nonnulli, nos addimus, uti ex. gr. psalmi feriales ad Vesperas dici nunquam possunt, exceptis iis qui in Sabbato in Albis semel dicuntur per annum.

Digitized by Google

«Adhuc hodie, sequitur idem Episcopus, supponitur, quod integrum Psalterium recitetur, quia in Breviario adhuc prostat per hebdomadam distributum, sed suppositio, re vera omni fundamento caret... Hoc grave est inconveniens, et gravius quam primo obtutu appareat; anima enim Sacerdotis sitit, indiget variarum precum ut varias gratias a Deo exquirat; in Psalterio quidem integro, quidquid anima desiderat continetur, sed Psalterium hodie a paucis cognoscitur». Amara quidem, sed non iniusta querimonia illius venerandi Episcopi!!

(735) *Nisi aliquando aliter in Proprio de Tempore signetur. In Festis autem dicuntur ut in propriis locis signantur: alioquin, ut in communi Sanctorum.* In Festis occurrentibus in parte Breviarii, quae *Temporalis* vocatur, uti ex. gr. in Nativitate, in Epiphania, per hebdomadam maiorem etc., nec non in Laudibus Officii Dominicarum a Septuagesima usque ad Pascha, Psalmi indicantur qui diversi sunt ab iis qui in Psalterio per hebdomadam habentur.

Et bene; nam festa quae in Proprio de Tempore inveniuntur, omnia instituta sunt (quinque exceptis Sanctorum qui per octavam Nativitatis recoluntur), ad mysteria vitae D. N. I. C. celebranda. Quoniam vero in psalmis, qui prophetici vocantur, multa inveniuntur quae attinent ad eadem Christi mysteria, opportunissime pro diversitate festi, psalmi quoque proprii proponuntur in Breviario.

Hoc tamen, dici nequit de festis Sanctorum, licet enim aliquis psalmus, accomodatitio sensu Sanctis Apostolis (Ps. *Domine, probasti me*), vel Martyribus (Ps. *Domine, in virtute*), aut Pontificibus (Ps. *Memento*) aptetur, nihilominus omnes ad Deum diriguntur; ideoque ne semper de Sanctis iidem psalmi recitentur, nil obstaret si per dies hebdomadae variarentur etiam in Sanctorum occurrentibus festis. Notat ad rem Gavantus (*hoc loco, n. 19*), usum eorumdem psalmorum in festis Sanctorum ad Matutinum eam causam habere, quia in eis «sunt plures et varii versus, qui pertinere commode possunt ad varia Festa, et sug-

Digitized by Google

gerunt varias et ad rem accomodatas Antiphonas, ut recte consideranti patebit»; quod etiam notavit Durandus (*l. 5, c. 2*).

## N. 2.

Psalmi ad Laudes de Dominica, cum cantico *Benedicite*, dicuntur in omnibus Festis per annum et in Feriis temporis Paschalis (736).

(736) Quum paucissima erant festa Sanctorum in Breviario, huiusmodi Rubrica rationem suam habebat. Cum enim Psalmi ad Laudes in Dominica iucundiores sint quam feriales, omnibus festis per annum, et officio etiam feriali tempore paschali, in quo iubilandum est, convenire aestimati sunt (*Cf.* Durandum *l. 5, c. 4*). Hodie tamen, ob multiplicatum festorum numerum, saltem in officiis Sanctorum, valde deceret, si psalmi ad Laudes feriarum numquam omitterentur; ita ut in quocumque Sanctorum festo, psalmi de feria occurrenti recitarentur.

## N. 3.

Psalmus *Confitemini* dicitur ad Primam cum aliis Psalmis in Psalterio assignatis, in omnibus Dominicis [quando Officium fit de Dominica ut in Psalterio (737), etiam in Dominicis quae occurrant infra Octavas Sanctorum] (738) a tertia Dominica post Pentecosten inclusive, usque ad Nativitatem Domini exclusive: et a secunda Dominica post Epiphaniam inclusive, usque ad Septuagesimam exclusive (739), a Septuagesima autem usque ad Pascha eius loco dicitur Psalmus *Dominus regnavit*, quia Psalmus *Confitemini*, tunc dicitur ad Laudes post Psalmum

Digitized by Google

*Miserere*, ut suo loco ponitur (740). In Dominicis vero temporis Paschalis, a Dominica in Albis inclusive usque ad Ascensionem exclusive, dicuntur tantum tres Psalmi sicut in Festis addito Symbolo S. Athanasii (741). Alii Psalmi per singulas Ferias distributi ad Primam, dicuntur singuli loco Psalmi *Confitemini*, in feriali tantum Officio, quando de Feria agitur extra tempus Paschale (742). In Feriis vero temporis Paschalis, in Festis per annum, et in Sabbato, sive de S. Maria sive de Feria fiat officium, dicuntur tantum tres Psalmi scilicet: *Deus, in nomine tuo; Beati immaculati*, et *Retribue* (743): etiam si Festum duplex celebretur in Dominica (744).

(737) *Psalmus* Confitemini, *dicitur ad Primam cum aliis Psalmis in Psalterio assignatis in omnibus Dominicis, quando officium fit de Dominica ut in Psalterio.* In Dominicis enim quae occurrunt infra octavas Epiphaniae, Ascensionis et Corporis Christi, licet officium fiat de Dominica, tamen non sumitur e Psalterio sed ab occurrenti octava; hinc Rubrica ait: *Psalmus* Confitemini *dicitur... in omnibus Dominicis quando officium fit de Dominica ut in Psalterio*, ut excludantur Dominicae in quibus non fit officium Psalterii. Ideo nos credimus quod in Dominicis, quae occurrunt infra octavas festorum Domini, puta Dedicationis Ecclesiae, SS. Cordis Iesu, Transfigurationis Domini, SS. Redemptoris, eadem lex observanda esset; scilicet in huiusmodi Dominicis officium de infra Octavam dici deberet cum lectionibus et Antiphonis ad *Magnificat* et ad *Benedictus* et capitulis de Dominica, ac proinde ad Primam Ps. *Confitemini* omittendus esset.

Ratio est, quia officium de infra octavam in casu, iam est

Digitized by Google

officium Domini, quod bene congruit cum occurrenti die Dominico; quae ratio si valet pro Octavis Epiphaniae, Ascensionis et Corporis Christi, valet et pro aliis festis Domini.

(738) ... *etiam in Dominicis quae occurrunt infra octavas Sanctorum.* Haec verba addita fuerunt in recognitione Breviarii sub Clemente VIII. Hoc loco sub nomine *Sanctorum* veniunt et octavae B. M. Virginis et Angelorum. Igitur infra octavas quae non sunt de festis Domini, cum Dominicarum officium sumatur e Psalterio, nulla causa restat ut Ps. *Confitemini* omittatur, dici porro debet in casu. Ratio est quia officium Dominicarum est officium Domini, ideoque mutari non potest cum officio de infra octavam Sanctorum, sed ex Psalterio sumendum. Quapropter si Ps. *Confitemini* in Dominicis infra octavas Sanctorum, ut hic praescribitur, non est omittendus, infra octavas quae Sanctorum non sunt, scilicet in Dominicis infra octavas Domini, dici non debet; ergo et officium Psalterii mutari deceret cum officio octavae occurrentis, quod confirmat opinionem nostram in praecedenti nota expositam.

Juxta Durandum (*l. 5, c. 5, n. 6*), dicitur in Dominicis Ps. *Confitemini* « ne aliquid de Psalterio praetermittatur quin totum in septimana dicatur; et quia ibi, praesertim in versu illo: *Haec dies quem fecit Dominus*, agitur de Resurrectione, ad quam dies Dominici pertinent ».

(739) *A tertia Dominica post Pentecosten inclusive, usque ad Nativitatem Domini exclusive: et a secunda Dominica post Epiphaniam inclusive, usque ad Septuagesimam exclusive.* Scilicet in quibuscumque Dominicis diebus, quae occurrunt per annum, exceptis Dominicis Septuagesimae, Sexagesimae, Quinquagesimae, I, II, III et IV Quadragesimae, Passionis et Palmarum, nec non Dominicis temporis Paschalis. In hac Rubrica nil dicitur de Dominica Trinitatis et de II Dominica post Pentecosten, eo quod Rubrica ipsa has duas Dominicas respicere nequibat, cum in eis officium non agatur ut in Psalterio, sed de Trinitate in prima, de octava Corporis Christi in secunda.

Digitized by Google

(740) *A Septuagesima autem usque ad Pascha eius loco dicitur Psalmus* Dominus regnavit, *quia Psalmus* Confitemini *tunc dicitur ad Laudes post Psalmum* Miserere, *ut suo loco ponitur.* Gavantus (*hoc loco, n. 10*) ad rem habet: « Psalmi mutatio unius in alium, ut pro *Confitemini* in Prima dominicali dicatur Ps. *Dominus regnavit,...* ideo decreta est ut in hebdomada, quoad fieri possit, expleatur Psalterium, neque Psalmus unus omittatur in officio totius hebdomadae; quod congruit cum Durando supra citato.

(741) *In Dominicis vero temporis Paschalis, a Dominica in Albis inclusive, usque ad Ascensionem exclusive, dicuntur tantum tres Psalmi sicut in festis, addito Symbolo S. Athanasii.* Tempore Paschali ob gaudium Resurrectionis officium brevius est et semper iucundius ut in festis, hinc, in Dominicis eo tempore occurrentibus, tres tantummodo Psalmi dicuntur, ut in festis, ommisso *Confitemini*; addito tamen Symbolo *Quicumque*, ne ommittatur professio fidei in SS. Trinitatem.

(742) *Alii Psalmi per singulas Ferias distributi ad Primam dicuntur singuli loco Psalmi* Confitemini, *in feriali tantum officio, quando de Feria agitur extra tempus Paschale.* Iuxta Bäumer (*I. p. 364*) antiquitus ad Primam Dominicae novem Psalmi dicebantur, illi, scilicet, qui hodie in Breviario S. Pii V, habentur, nec non et alii quinque, nempe 21, 22, 23, 24 et 25 qui postea ad Primam in Feriis per hebdomadam inducti sunt loco Ps. *Confitemini*; hoc est Ps. 23 in Feria II, 24, in III, 25 in IV, 22 in V, et 21 in VI.

In qua distributione hoc est adnotandum, quod non ex ordine Psalmi dispositi sunt; Psalmus enim 22, *Dominus regit me*, eucharisticus est ob versus *Parasti in conspectu meo mensam etc.*, et *calix meus inebrians etc.*, ideoque congruit cum Feria V, in qua SS. Sacramentum est institutum. Eadem ex causa, cum Ps. 21, *Deus, Deus meus, respice in me*, propheticus sit circa Domini passionem, apprime congruit cum Feria VI, in qua Dominus passus est.

Digitized by Google

Psalmi ergo praedicti ad Primam dicuntur singuli loco *Confitemini*, in feriis, quando officium agitur de Feria, extra tempus paschale, non vero quando in Feriis agitur de aliquo officio duplici vel semiduplici.

(743) *In Feriis vero temporis Paschalis, in Festis per annum et in Sabbato, sive de S. Maria, sive de Feria fiat officium, dicuntur tantum tres Psalmi, scilicet*: Deus, in nomine tuo, Beati immaculati, *et* Retribue. — Ob causam supradictam brevioris et incundioris officii tempore paschalis, sicut in Dominica omittitur Ps. *Confitemini*, ita et in Feriis omittuntur Psalmi 21, 22, 23, 24, et 25. Item ob analogicam causam fit in Festis quibuscumque per annum, ritu duplici vel semiduplici celebrandis; imo et in ipso feriali officio in Sabbato; ratio huius non est aliqua festivitas quae inveniatur in Sabbato, sed quia nullus alius superest Psalmus, qui per hebdomadam non dicatur in Psalterio. Antiquitus enim ut adnotavimus cum Bäumer, Ps. 21, 22, 23, 24, et 25, ad Primam dominici diei dicebantur; ne autem hora Prima in Dominicis longior esset, dicti Psalmi, ad Primam distributi sunt singuli in singulis feriis: et cum quinque tantummodo sint, nullus ad Primam Sabbati assignari potuit, ideoque tres Psalmi sicut in festis, in Sabbato habentur.

(744) *Etiam si festum duplex celebretur in Dominica*. Tunc enim non agitur officium Dominicae, ideoque Prima persolvitur de Festo Duplici, in cuius gratiam tres tantum Psalmi dicuntur.

## N. 4.

In Dominicis autem, quando officium fit de Dominica ut in Psalterio, post Psalmos additur semper Symbolum S. Athanasii *Quicumque*, ut infra in propria Rubrica dicitur (745).

(745) Inferius, titulo 33, agemus de Symbolo quod sub nomine venit S. Athanasii; illud numquam omittitur quando agitur officium de Dominica ut in Psalterio, uti in nota 737 explicavimus.

Digitized by Google

## N. 5.

Psalmi Horarum, scilicet ad Tertiam, Sextam, et Nonam et ad Completorium, numquam mutantur, ut in Psalterio, sive de Sanctis sive de Tempore fiat Officium (746).

(746) Rubrica haec per se patet. Vide tamen quae diximus in nota 734; optandum enim esset ut Psalmi horarum variarentur singulis diebus, prout aliquomodo fit ab utentibus Breviario monastico S. Benedicti.

## N. 6.

Psalmi de Dominica ad Vesperas, ut plurimum dicuntur in Vesperis Festorum, excepto ultimo, qui mutatur (747): cum vero aliter fieri debet, suis locis notatur (748). In Vesperis infra Octavam dicuntur Psalmi ut in secundis Vesperis Festi: sed in primis Vesperis diei Octavae dicuntur ut in primis Vesperis Festi, nisi aliter notetur (749).

(747) *Psalmi de Dominica ad Vesperas, ut plurimum dicuntur in Vesperis Festorum excepto ultimo qui mutatur.* Ratio huius est quia Vesperae, quae celebrantur in Festis quibuscumque, etiam Sanctorum, quamdam semper solemnitatem obtinent, licet ritu semiduplici recolantur, ideoque iam ante S. Pium V, Psalmi Vesperarum in Festis mutuabantur a Dominica, ne Psalmi feriales in Festis decantarentur. Id quidem, et bene, admitti poterat, quando festa rariora per annum erant, hodie vero, ex dispositione huius Rubricae et ex concessione

Digitized by Google

officiorum votivorum Psalmi vespertini feriarum numquam dici possunt!

Gavantus (*hoc loco, n. 20*) ait: « In Vesperis Festorum accidit mutatio ultimi Psalmi Dominicalium, ut sit conformior Festo, quam mutationem significat Radulphus prop. 10 ». Antiqua est igitur huiusmodi mutatio, quae procul dubio inducta est ne Vesperae Festorum nimis protraherentur cum Ps. *In exitu*; neque non ut per Ps. *Credidi*, qui magis convenit festis Martyrum, et Ps. *Memento* festis Pontificum, maior conformitas Festivitatibus, ut ait Gavantus, obtineretur.

(748) *Cum vero aliter fieri debet, suis locis notatur.* Nempe in festis B. Mariae Virginis, et in Communi Virginum, in quibus Psalmi proprii proponuntur in Breviario; item in II Vesperis Apostolorum, et in nonnullis aliis festivitatibus per annum.

(749) *In Vesperis infra Octavam dicuntur Psalmi ut in secundis Vesperis Festi; sed in primis Vesperis diei Octavae dicuntur ut in primis Vesperis Festi, nisi aliter notetur.* De Vesperis dierum infra octavas, an scilicet semper sint secundae Vesperae festi, vide quae fusius egimus in nota 556. Procul dubio Psalmi in primis Vesperis diei Octavae, sumendi sunt e primis Vesperis Festi; et quamquam in Rubrica dicitur, *nisi aliter notetur*, nescimus an in praxi aliquis detur casus in Romano Breviario, in quo aliter revera sit faciendum.

(*Continuabitur*).

Doct. PETRUS PIACENZA.

Digitized by Google

# Quaestiones Liturgicae.

## De influxu Duplicis integrum Officium ac Missam habentis atque in Missis Votivis ex Indulto celebrandis commemorati.

Clarissimus Anastasius Fourneretus, unus ex Academiae Liturgicae Romanae Censoribus, iterum quaestionem iam authentice resolutam movet, num in Votivis ex Indulto permissis, in quibus commemoratur Duplex integrum Officium ac Missam obtinens, addenda sit tertia de Tempore Oratio, quae in Semiduplicibus et Simplicibus alioquin exquisita dignoscitur.

Si ageretur de controversia libere inter Auctores liturgicos hucusque agitari permissa, rem alto silentio premeremus, satis contenti, ut peritiores iudicent inter ea, quae apud *Ephemerides Liturgicas* nos ad pag. 157-170 disseruimus, atque illa quae Confrater noster ad pag. 410-416 currentis anni XX (1906) in oppositum nititur, quo melius evincat tres adhuc in Missis votivis dicendas esse Orationes, etsi fiant ipsae Votivae cum commemoratione Duplicis eo die integrum Officium ac Missam consequentis.

Attamen, cum dubium omne sublatum fuerit ex Decreto Sacrae Rituum Congregationis sub die 12 Maii anni elapsi 1905 in una *Ordinis Fratrum Minorum* ad II et IV, quo eadem Auctoritas suum effecit, et subscriptione Eminentissimi Cardinalis Pro-Praefecti atque Reverendissimi Secretarii munitum, evulgari iussit in Decretumque converti Votum a Reverendissimo Protonotario editum et a Commissione Liturgica expensum ac probatum; nostrum esse credimus Fournereti argumenta refellere, quae aliquam vim prima quidem fronte habere videntur, at diligentius perpensa omne robur probantur amittere (1). Haec autem eo

(1) Adversarius clarissimus, qui totus est in responsione ad II impugnanda, nihil prorsus opponit editis ad reliqua octo Dubia responsis; sicque

Digitized by Google

lubentius aggredimur, quo fortius nobis insita mens est, inter diversa Sedis Apostolicae Decreta harmoniam potius esse quaerendam, quam supponendum in ipsis retinendumque dissidium. Non enim veri Liturgistae nomen is umquam merebitur, qui solum noverit editas quapiam in re decisiones; sed is unice tanto dignus titulo, qui rationes Decretorum sedulus investigarit, ex casibus resolutis normam pro solvendis navus eruerit, et ubi speciem contradictionis appareat, concordiam studiosus induxerit.

Itaque, ne magnificum Decretum sub die 12 Maii anno 1905 editum pluresque solvens magni momenti controversias, speciosis argumentis clarissimi oppositoris labefactetur, debitumque erga Sacrorum Rituum Congregationem dubia illa authentice dirimentem minuatur obsequium; videamus quibusnam Fourneretus argumentis utatur, ut contendat in Missis adhuc votivis, cum Duplicis eo die Officium ac Missam habentis commemoratione celebratis, tres adiungendas esse Orationes. Ad meliorem rei claritatem, brevi antea calamo comprehendamus rationes ab humanissimo adversario nostro fusius expositas; quae sunt:

I. Rubricae Missalis Romani supponunt Missam votivam privatam, in Duplicibus etiam cumque horum commemoratione celebrandam; prouti est Missa votiva pro Sponso et Sponsa, quae extra Dominicam diem et aliud Festum de praecepto, omnibus Feriis infra hebdomadam permittitur, « *etiamsi in iis occurrat Festum duplex maius vel minus* », sic disponente Rubrica peculiari ante Missam votivam pro iisdem Sponsis apposita. Quare Missis omnibus votivis privatis, quae celebrantur in Duplicibus cumque horum admissa commemoratione, applicari debet Rubrica generalis Missalis Romani sub tit. IX, ac num. 14, plures ut in Simplicibus Orationes reposcens pro Missis votivis, quae solemniter pro re gravi vel pro publica Ecclesiae causa minime celebrantur.

ferme videtur innuere, posse nova etiam Sacrae Rituum Congregationis Decreta partim in suis praescriptionibus admitti, ac partim pro lubito ob leviores causas retelli.

Digitized by Google

II. Decretum Sacrae Rituum Congregationis sub die 26 Ianuarii 1793 in una *Ordinis Minorum... Sancti Francisci Provinciae Sancti Antonii Bahien. in Brasilia* num. **2542** ad I, atque alterum sub die 12 Maii 1905 in una *Ordinis Fratrum Minorum* ad II evulgatum, quae nempe declarant duas tantum Orationes dicendas esse in Missis votivis, quae ex Indulto Apostolico in Duplicibus cumque eorumdem commemoratione dicantur, normam praebent pro sola Votiva Immaculatae Conceptionis ex privilegio singulis per annum Sabbatis apud Franciscanos indulta. Quocirca, ex duobus allatis Decretis, quae rationem Indulti obtinent, regula desumi nequit pro aliis Missis votivis, quae in diebus Officii duplicis cumque ipsius commemoratione iuxta Rubricas vel Decreta peragantur.

III. Sin vero Decreta mox relata rationem Indulti minime contineant, ipsa omnino abrogata fuerunt ex Decretis Generalibus quae sub die 28 Februarii et 3 Martii 1818, num. **2582**, et sub die 30 Iunii 1896 in § V, 2, ac § VI, sub num. **3922**, prodierunt; ubi nempe, sine ulla distinctione, tres dicendae praecipiuntur Orationes in Missa votiva pro Sponsis et in Missa Deiparae votiva, quae ex Indulto singulis per annum Sabbatis cantari solet. Quamobrem, si Decreta illa pro Missa votiva Immaculatae Conceptionis edita rationem Indulti non praeseferant, etiam Fratres Minores negligere debent normas sibi a Sacra Rituum Congregatione die 26 Ianuarii 1793 et die 12 Maii anno 1905 authentice datas; atque in eadem Missa votiva Immaculatae Conceptionis tres, quamvis commemorato Festo duplici, semper Orationes in posterum recitabunt, ut Fournereto aliisque Auctoribus morem gerant, nullam de Officio duplici in Missis votivis rationem habere volentibus!

IV. Sacra Rituum Congregatio in una *Marsorum* 12 Novembris 1831, num. **2682**, ad XXXV, ordinavit in Festo Sancti Marci et in triduo Rogationum, si fiat Processio, legendam esse Missam Rogationum, secus de Festo cum commemoratione earumdem; atque die 23 Maii 1846 in *Tuden.* num. **2915**, ad II, declaravit in Missa Rogationum faciendam esse, si habeatur Processio,

Digitized by Google

commemorationem Festi occurrentis cum sola tertia Oratione, quae secundo loco praescribitur in earumdem Missa Rogationum. Quapropter, cum Festum in Litaniis maioribus et minoribus occurrens possit ritu etiam duplici gaudere, et Sacra Rituum Congregatio nullimode distinguat; iam patet Officio duplici commemorato nullum esse influxum ad excludendam Orationem tertiam de Tempore a Missis, quae ferialem ritum, sicuti nempe Votivae pro privata causa vel re non gravi etiam solemniter celebrandae, sequantur.

V. Nefas est putare Sacram Rituum Congregationem aliquibus in Decretis distinctione usam semper non esse, atque non semper explicite in suis Oraculis omittendam iussisse tertiam de Tempore Orationem in Votivis, in quibus commemoretur Duplex eo die Officium ac Missam integre habens. Ideo, cum Legislator non distinxerit inter Missas celebratas in die ritus duplicis et Missas habitas in die ritus inferioris; neque nos distinguere debemus, ut omissam velimus tertiam de Tempore Orationem in Missis votivis ob Festum duplex in eis commemoratum.

VI. Ac demum, in eiusmodi Missis votivis privatis cum Duplicis occurrentis commemoratione peragendis, Auctores Liturgici hucusque docuerunt tres saltem admittendas esse Orationes. Propterea a doctrina per eos tradita recedendum non esse videtur, ut norma per Sacram Rituum Congregationem etiam novissime sub die 12 Maii anno 1905 ostensa teneatur.

Hae summatim sunt rationes, quibus clarissimus Fournerétus sententiam in Decreto diei 12 Maii anno 1905 confirmatam oppugnare pernititur. At quonam successu id egerit, nunc videamus, singula superius exposita argumenta ad trutinam serio revocantes.

Ad I. — Adversarius noster primo contendit, apud Rubricas Missalis Romani supponi casum de Missa votiva privata in diebus ritus Duplicis habenda; et ad probationem assertus affert exemplum de Missa votiva pro Sponsis, quae iuxta peculiarem Rubricam eiusdem initio Missae praepositam dici potest, etiamsi Duplex maius vel minus occurrat.



Digitized by Google

Nullimode in primis contra sententiam nostram adversarius clarissimus valuit allegare exemplum Missae votivae de Beata Maria Virgine Sacerdotibus visu laborantibus indultae, in qua nempe dicitur secunda iugiter Oratio de Spiritu Sancto ac tertia *Ecclesiae* vel pro Papa, etiamsi ipsa in Duplicibus quoque classicis habeatur; quoniam in ea Officium duplex occurrens nullum exercere valet influxum, utpote quod in illa omnem *per se* commemorationem semper amittat, prouti Sacra Rituum Congregatio die 16 Martii 1805 in *Oriolen.* num. **2560**, ad II, et 28 Aprilis 1866 in *Nolana* num. **3146**, ad IV, noscitur declarasse.

Attamen neque exemplum Missae votivae pro Sponsis ullatenus convincit: quoniam *Rubricarum* nomen aequivocum est, et vel significare potest integrum corpus Rubricarum generalium initio ipsius Missalis Romani exstantium, quae leges proprie constituunt; vel indicare privilegia sive exemptiones a legibus Rubricarum generalium communibus, quae alicui Missae per Apostolicam Sedem tribuantur ac specialibus verbis ante respectivam Missam reperiantur expressa. Qua posita distinctione, argumentum adversarii prolabitur.

Re sane vera, si Missa votiva pro Sponsis, quae licet ex Decreto Sacrae Rituum Congregationis sub die 28 Februarii et 3 Martii 1818 num. **2582**, declaretur uti Votiva privata etiamsi fiat in cantu, permittitur nihilominus in Duplicibus quoque maioribus haberi; hoc certe vi Rubricarum generalium Missalis Romani nullatenus approbatur, quum eaedem sub tit. IV, ac num. 3, expresse caveant: « *Omnes aliae Votivae, in Missis privatis dici possunt pro arbitrio Sacerdotum, quocumque die Officium non est* **Duplex**, *aut Dominica* ».

Itaque, cum Rubricae generales Missalis Romani Votivas in die ritus Duplicis privatas minime permittant, ipsae dum plures Orationes ut in Simplicibus sub tit. IX, ac num. 14, requirunt in Missa votiva privata, hanc nullatenus respicere umquam possunt veluti in die ritus duplicis celebrandam. Repugnat enim, ut eaedem Rubricae sub tit. IX, ac num. 14, determinent Oratio-

Digitized by Google

num numerum ipsius Missae votivae in die ritus duplicis habendae, quam sub tit. IV, ac num. 3, a die ritus duplicis exclusam omnino voluere.

Rem ita se habere, non solum e ratiocinio praemisso infertur, sed etiam ex Decreto Sacrae Rituum Congregationis die 3 Martii 1761 in *Aquen.* num. 4299, apud editionem tertiam Gardellinii relato, apertius ostenditur; ubi sequens Rubricarum generalium Missalis Romani authentica declaratio habetur: « Ad III. *Quotiescumque occurrit Officium duplex per annum, non potest dici Missa propria pro Sponso et Sponsa: est enim Missa votiva, quae prohibetur in diebus duplicibus a Rubrica generali Missalis num.* [sive tit.] *IV; sed debet celebrari Missa conformis Officio cum commemoratione pro Sponsis* ».

Quod si Sacra Rituum Congregatio, per Decretum Generale die 20 Decembris 1783 editum et a Summo Pontifice die 7 Ianuarii 1784 confirmatum, aliter statuit eamdem Missam votivam pro Sponsis dici etiam posse, extra Dominicam et feriatum Festum, in Duplicibus per annum maioribus et minoribus; exinde nullatenus infertur, Missam votivam privatam ex Rubricis generalibus Missalis Romani sub tit. IV, ac num. 3, in Duplicibus quandoque permitti, uti est Missa eadem pro Sponsis, de qua per Decretum Generale sub num. **2582**, die 28 Februarii et 3 Martii 1818 Sacra Rituum Congregatio « *declaravit (firma remanente dispositione praefati Decreti quoad designationem dierum, in quibus Missa votiva pro Sponso et Sponsa celebrari potest), eamdem esse* **Votivam privatam** ».

Itaque, Missa votiva pro Sponsis nonnisi ex privilegio seu dispensatione a Rubricis generalibus Missalis Romani sub tit. IV, ac num. 3, potest celebrari in diebus ritus duplicis per annum minoris et maioris; quod utique privilegium, in hodierna Rubrica peculiari ante Missam pro Sponsis exstanti clarissime expressum, subobscure in peculiari nunc abrogata Rubrica sic erat exclusum iuxta nonnullos Auctores liturgicos et iuxta alios comprehensum: « *Si benedictio Nuptiarum facienda sit die Dominica,* **vel alio die**

Digitized by Google

**Festo,** *dicatur Missa de Dominica, vel Festo... cum commemoratione sequentis Missae pro Sponso et Sponsa*». Ad amovendas ergo controversias super verbis «**vel alio die Festo**» exortas, utrum nempe Festa quaevis duplicia iis comprehenderentur an solum Festa feriationem habentia, prouti inferius exponemus; Decretum *Urbis et Orbis* die 20 Decembris 1783 et 7 Ianuarii 1784 editum fuit, et vel ex antiqua Rubrica peculiari vel potius ex nova concessione privilegium Missae votivae pro Sponsis declaratum seu noviter factum, seriori tempore ad celebrantium utilitatem in nova Missalis Romani Rubrica speciali ex Decreto sub num. **3103,** ad XIV, congruenter expressum (1), ut eadem in Duplicibus per

(1) Ipsius autem Decreti verba, die 27 Septembris 1860 in una *Urbis et Orbis*, num. **3103,** ubi tamen Inquirens sententiam quidem suam in propositione Dubii noscitur ut in similibus expressisse, ita sonant: «DUBIUM XIV. Ad omnem incertitudinem adimendam circa interpretationem Rubricae, quae legitur ante Missam pro Sponso et Sponsa, Sacra Rituum Congregatio Decreto *Urbis et Orbis*, approbante Summo Pontifice Pio VI, declaravit: *In celebratione Nuptiarum, quae fit extra diem Dominicum, vel alium diem Festum de praecepto, seu in quo occurrat Duplex primae vel secundae classis, etiam si fiat Officium et Missa de Festo duplici per annum sive maiori sive minori, dicendam esse Missam pro Sponso et Sponsa in fine Missalis post alias Votivas specialiter assignatam: in diebus vero Dominicis aliisque diebus Festis de praecepto ac Duplicibus primae et secundae classis, dicendam esse Missam de Festo cum commemoratione Missae pro Sponso et Sponsa.* Verum quum publice expediat, ut Decretum istud minime ignoretur a Parochis, aliisque Sacerdotibus ad Nuptiarum benedictionem legitime deputatis, quaeritur 1. An ex eodem Decreto nova Rubrica confici possit, quae apponatur in corpore Missalis ante Missam pro Sponso et Sponsa? Et quatenus negative, 2. An saltem Decretum ipsum apponi possit initio Missalis post Rubricas generales?» Et Sacra Rituum Congregatio respondendum censuit: «Ad 1. Affirmative, ad formam Decreti; ad 2. Provisum in primo». Eadem vero decisione non meram antiquae Rubricae interpretationem contineri, sed novam exprimi ampliativam ac restrictivam normam ex eo patet abunde, quod Missa pro Sponsis in Duplicibus etiam maioribus permittatur, in quibus antea prohibita fuerat ex Decreto in *Aquen.* mox relato; excludaturque ipsa Votiva in Duplicibus primae et secundae classis, in quibus feriationem non habentibus non clare inhibebatur per antiquam Rubricam peculiarem, ubi exceptus tantum fuerat dies Dominicus vel **alius**

Digitized by Google

annum minoribus et maioribus posset celebrari, quamvis uti privata vi Rubricarum generalium sub tit. IV, ac num. 3, in iisdem Duplicibus prohibita semper aestimetur, quemadmodum nempe de aliis Votivis ex Indulto permissis saepius contigisse novimus.

Neque ullatenus obest, quod Aloisius Gardellini adnotans Decretum Generale sub num. **2582**, ita ad pag. 166-167 in tom. IV novissimae Collectionis loquens inducatur de Missa votiva pro Sponsis: « *Ritus servandi sunt a Rubricis pro Votivarum celebratione praescripti; etiamsi legatur, vel* **ex declaratione Rubricae,** *vel* **ex speciali Indulto** *in diebus quoque ritus duplicis per annum maioris vel minoris, servata forma Decreti generalis 20 Decembris 1783* ». Et infra: « *Addendo vero, in reliquis servandam esse formam Decreti generalis anni 1783, declarasse, eamdem Missam legi posse in Duplicibus per annum, sive maioribus sive minoribus; sed per huiusmodi* **declarationem,** *aut, si vis,* **privilegium,** *non mutatur natura Missae votivae privatae.* Alibi etiam, adnotans Decretum diei 20 Aprilis 1822 in *Derthonen.*, num. **2619** ad V, haec ad pag. 222 ait de Oraculo 20 Decembris 1783 per Sacram Rituum Congregationem edito atque 7 Januarii 1784 per Summum Pontificem confirmato, ubi Missa pro Sponsis in Duplicibus per annum maioribus minoribusque noviter indulgetur: « *In primo,* **vel declaratum, vel indultum** *sancitumque est* ».

Si enim Decreto sub die 20 Decembris 1783 apertius declaratum foret privilegium, ex antiqua Rubrica peculiari ante Missam votivam pro Sponsis apposita, factum eidem Votivae, ut semper dici extra Dominicam et diem feriatum possit, etiam occurrentibus Duplicibus per annum minoribus et maioribus, quod tamen ex agnita Rubricae obscuritate plurimis Auctoribus ipsique Sacrae Rituum Congregationi die 3 Martii 1761, in *Aquen.*, ad III,

**dies festus** (Cfr. Cavalieri, tom. IV, cap. XV, Decr. V). Novum proinde ius seu privilegium, in Rubricis generalibus Missalis Romani minime contentum, Missa votiva pro Sponsis nunc obtinet, dum in Festis duplicibus per annum maioribus et minoribus iuxta Rubricam peculiarem novam celebratur, prouti melius in textu huiusce dissertationis evincitur.

Digitized by Google

minime concedi visum fuit; hoc nullatenus obesset opinioni nostrae, et significaret tantummodo, Missam votivam pro Sponsis, vel ante annum 1783, opportuno ex Rubrica peculiari adauctam esse Indulto, ut possit celebrari quamquam privata etiam in Duplicibus minoribus et maioribus, etsi Rubricae generales sub tit. IV, ac num. 3, Missam quamlibet votivam privatam in diebus ritus duplicis prorsus excludant.

Attamen nos, in Decreto 20 Decembris 1783 novum Missae votivae pro Sponsis attributum esse privilegium arbitramur, ne eadem nempe Missa, aucto sensim Duplicium numero, saepe infra Hebdomadam impediretur; eo vel magis, postquam Sacra Rituum Congregatio die 3 Martii 1761, in *Aquen.*, ad III, ut vidimus, Missam votivam pro Sponsis in Duplicibus per annum omnino prohibitam declaraverit, non obstante antiqua Rubrica peculiari certam normam minime indicante.

Haec autem suadent aperte, Missam votivam pro Sponsis permitti in Duplicibus maioribus et minoribus, non vi Rubricarum generalium Missalis Romani, at solum privilegii specialis vigore, quod ipsam Votivam quamvis privatam a Rubricarum generalium lege exceptam reddit.

Audiantur enim ea, quae Aloisius Bragalia in opere « ANNOTATIONUM IN REM LITURGICAM RITUUMQUE SACRORUM BREVIS COLLECTIO » Faventiae anno 1788 edito, ad pag. 175 in vol. I scribit: « *Inter Missas votivas locum habet Missa quoque pro Sponso et Sponsa. Huic Missae* **peculiare** *factum fuit* **privilegium**, *ut celebrari possit adhuc in Festis duplicibus minoribus vel etiam maioribus, extra tamen diem Dominicum aut alium diem Festum de praecepto* ».

Huic etiam concinit idem clarissimus Aloisius Gardellini, qui adnotans Decretum sub num. 2597, ad I, prouti in omnium utilitatem ad pag. 188 in tom. IV novissimae Collectionis refertur, ita nos edocet: « *Equidem,* **si spectetur Rubrica,** *nequeunt in die Dominico* [*et in Duplicibus ritus etiam minoris*] *Missae votivae celebrari, nisi solemnes sint et pro publico Ecclesiae bono...; quod*

Digitized by Google

*adeo verum est, ut Sacra Rituum Congregatio, quamvis* **indulserit** *Missam votivam pro Sponso et Sponsa, etiam occurrente Festo ritus duplicis, quod non sit primae vel secundae classis; excepit tamen dies Dominicos, vel alios de praecepto servandos, eo quia Missa votiva pro Sponso et Sponsa non est pro re gravi publicoque Ecclesiae bono, sed privatis adnumeratur. Verumtamen, quod dispositione Iuris non admittitur, quandoque fit* **ex privilegio** ». Insuper, I. B. Falise in opere « LITURGIAE PRACTICAE COMPENDIUM » Ratisbonae edito anno 1876, in part. II, sect. II, cap. I, § V, num. 8, haec de Missa votiva pro Sponsis edocet: « *Notandum tamen, hanc Missam, licet solemnem, non obstantibus* **suis privilegiis,** *haberi uti Votivam privatam* ». Ac denique, cun Van Der Stappen aliisque, Pater Victorius ab Appeltern apud « MANUALE LITURGICUM », tom. I, part. I, cap. II, sect. II, art. II, agens de Missis votivis **privilegiatis,** B. *in specie,* II, Quaest. 62, inter eas collocat: « 7°. *Missam pro Sponsis* ».

Hinc, si Missa votiva pro Sponsis ex privilegio dicitur in Duplicibus, et privilegium in exemptione a legibus consistit: iam patet ex eadem Votiva nullimode argui posse in Rubricis generalibus Missalis Romani casum, quo ulla Votiva privata in diebus ritus duplicis iuxta communes Rubricarum normas permittatur.

Neque ullatenus obest, quod privilegium Missae votivae pro Sponsis attributum peculiari nunc vel etiam olim Rubrica ante eamdem Votivam apud Missale Romanum exprimatur; nam privilegia pro transferendis Officiis Sanctissimi Nominis Iesu, Purificationis, Sancti Ioseph, Annuntiationis, utriusque Septem Dolorum Festi, Sacratissimi Cordis et Pretiosissimi Sanguinis data, talia esse non desinunt et exceptionem a Rubricis generalibus semper important, quamvis Rubricis specialibus ante respectivum Festum ipsa indicentur.

Ac proinde soluta aequivocatione, quae in *Rubricarum* nomine dupliciter sumpto reperitur, firmum inconcussumque manet, in Rubricis generalibus Missalis Romani nullimode supponi celebrationem Missae votivae privatae in diebus ritus duplicis, ipsamque proin Votivam pro Sponsis privilegiatam esse atque ab earum-

Digitized by Google

dem rigore Rubricarum nominatim exemptam; ideoque ternarium Orationum numerum in Votivis ex Indulto dicendis ex earumdem Rubricarum generalium tit. IX, ac num. 14, legitime erui numquam posse.

Ad II. — Adversarius noster secundo affirmat, Decreta sub die 26 Ianuarii 1793 ad I atque 12 Maii 1905 ad II edita, rationem Indulti continere; neque ideo normam ex iis datam pro aliis Votivis sumendam esse, quae item in Festis duplicibus cumque horum commemoratione celebrentur. Ast hoc merum esse desiderium oppositoris, qui nimio amore in antiquas parumque solidas opiniones fertur, equidem primo cognoscitur obtutu.

Indultum namque tunc dabatur, quum Missa votiva Immaculatae Conceptionis etiam in Duplicibus maioris minorisque ritus fuit indulta; non autem privilegium ullum indulgebatur, quando quaesitum fuit quanam ratione privilegium eiusmodi conciliari posset cum Rubricis generalibus Missalis Romani, quae talem Votivam utpote privatam nullimode in diebus ritus duplicis supposuisse noscuntur.

Ac sane, qui dubia super obtento movet favore, nullum noviter Indultum petere aestimandus est a legitima Auctoritate; neque haec, controversias exsolvens propositas modumque indicans conciliandi privilegium cum legibus Rubricarum generalium, ullam insuper gratiam impertiri. In priori reapse Decreto, dubium ita proponitur: « I. *An in tali Missa votiva solemni tres Orationes dici* **debeant,** *vel* **una** *tantum...?* » Dum inquiritur quotnam Orationes dici **debeant,** nullum certe privilegium imploratur ab ea legitima Auctoritate, quae veluti authentica Iuris communis Interpres aditur. In posteriori autem Oraculo, controversia talis enodanda expetitur: « II. *An in Missa votiva, etiam Vigiliae respondente, dicenda, in qua commemoratur Duplex eo die integrum Officium ac Missam habens,* **debeat ratione Duplicis** *omitti Oratio tertia de Tempore: immo et Collectae ad omnem Votivam, si commemoratio Duplicis primae classis habeatur; et si memoria fiat Duplicis secundae classis, Collectae debeant in Missa votiva cantata*

Digitized by Google

*reticeri, et in privatis ad libitum Celebrantis permitti?* » Dum exposcitur quotnam Orationes sint dicendae, si commemoretur Duplex maius vel minus in Missa votiva, solamque ob rationem Duplicis occurrentis; atque petitur quaenam ratio de Collectis imperatis sit habenda, dum commemoratur in eisdem Votivis Duplex primae vel secundae classis: nullus sanae mentis sibi persuadere potest, privilegium aliquod ab ea legitima Auctoritate concedi, quae invocatur Interpres in conciliando alias dato privilegio cum Rubricis generalibus Missalis Romani, ubi tale Indultum et certa in eiusdem usu norma nullimode supponitur.

Neque magis effugium ab oppositore excogitatum iuvat, privilegium nempe ex eo argui, quod Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Decretum sub die 12 Maii 1905 editum ideo poposcerit evulgandum: « *Quo facilius uniformitas habeatur in celebranda Missa votiva Immaculatae Conceptionis ex Indulto Apostolico Ordini Fratrum Minorum in Duplicibus etiam permissa* ». Optata namque uniformitas, non solum ex impetratione novi privilegii, sed etiam et melius ex authentica declaratione obtinetur Rubricarum generalium; qua scilicet, inter diversa opinantes, modus indicatur componendi Indultum cum earumdem Rubricarum normis, in quibus Missa votiva privata etiam solemnis in Duplicibus nullatenus admittitur. Si autem Collectio authentica Decretorum Sacrae Rituum Congregationis inspiciatur, plura reperire est Oracula, quae expostulata sunt ad uniformitatem inducendam; neque ullus Auctor, ex causa ista occasionali, sibi in animum induxit, veram in Decretis respectivis rationem Indulti contineri, et eorum resolutiones idcirco in similibus applicari non posse.

Nullum ideo revera privilegium Ordo Fratrum Minorum quaesivit, qui talia dubia exsolvenda proposuit Apostolicae Sedi; nullumque Indultum eadem legitima Auctoritas dedit, quando illas Rubricarum generalium leges super Orationum numero et qualitate declaravit, quae servandae sint dum Missa votiva privata etiam solemnis in Festis duplicibus cumque horum commemoratione peragitur.

Digitized by Google

Rubricarum ergo generalium legem, et nullam ab eis dispensationem intendit Sacra Rituum Congregatio, quum die 26 Ianuarii 1793, num. **2542** respondit: « *Ad I. Affirmative, ad primam partem, iuxta modum*; **scilicet**: *in Feriis, Simplicibus et Semiduplicibus tres dicendas esse Orationes; in* **Duplicibus** *duas* ». Revera enim, responsum illud « *iuxta Votum Caeremoniarum Magistri* » dabatur, quod tunc communiter non solebat exquiri, nisi cum ageretur de Rubricis interpretandis. Ratio eiusdem responsi nequit insuper esse privilegium sive Indultum: 1° Quia tunc duarum vel unius Orationis numerus absolute et sine ullo respectu ad ritum currentis Officii foret admissus; 2° Quia nequit in Orationem tertiam de Tempore influere cantus, qui non magis in Festo duplici quam in Officio ritus inferioris ad Votivam in casu canendam admittitur; 3° Quia in Decreto posteriori diei 12 Maii 1905, in quo prius illud Decretum citatur, expresse dicitur omittenda esse tertia Oratio de Tempore et aliquando etiam Collecta, non aliquod ob privilegium, sed **ratione Duplicis** eo die occurrentis et in Missis votivis commemorati.

Neque alia est Auctorum sententia, qui Decretum illud et alia similia in suis Operibus adhibuerunt. Enimvero, aliis hic omissis: 1° « Caeremoniale Ordinis Praedicatorum, sicuti inspeximus in altera dissertatione, exclusionem tertiae Orationis de Tempore ad Votivam Sanctissimi Rosarii in Duplicibus ex Indulto habendam, ex **ritu votivo** non ex privilegio sic repetit: " *Missa* Salve Radix **semper** *debet celebrari* **ritu votivo**... **Unde** *diebus Festis simplicibus et infra, in hac Missa semper tres Orationes recitentur, quarum prima erit Oratio Missae Rosarii, secunda erit Oratio Officii diei, et tertia, nisi sint Memoriae, erit ea quae pro votivis Missis a Rubrica designatur; diebus vero Festis* **duplicibus** *et supra,* **non erunt aliae Orationes,** *nisi Oratio Missae Rosarii, Oratio Officii diei et Memoriae* ". 2° Aloisius Adone in Opere " Synopsis Canonico-Liturgica ", prouti etiam vidimus in eadem dissertatione, omissionem tertiae Orationis de Tempore, non solum Missae de Immaculata Conceptione, sed aliis etiam Dei-

Digitized by Google

parae Votivis ex Indulto celebratis, nulloque inter Votivam cantatam et planam facto discrimine, sic extendendam monet: " *Quoad Missas votivas Beatae Mariae quolibet Sabbato* **celebrandas,** *in Feriis, Simplicibus et Semiduplicibus tres dicendae sunt Orationes,* **in Duplicibus** *duae* ". 3° Franciscus Lohbauer, in Opere " RITUALE ECCLESIASTICUM ", veluti in ipsa dissertatione conspeximus, praetermissionem tertiae Orationis ad Votivas cum occurrentis utique Duplicis commemoratione ex Indulto peractas ex Rubricis sic eruit: " *In tali casu Orationes dicendae sunt* **a Rubricis** *praescriptae, duae* **in Duplicibus,** *tres in Semiduplicibus* ". Ac demum, 4° " CAEREMONIALE FRATRUM MINORUM CONVENTUALIUM " a Sacra Rituum Congregatione die 10 Augusti 1904 approbatum, uti in citata retulimus dissertatione, influxum Duplicis classici ita omnibus Votivis applicandum tenet: " **In Missis votivis,** *quae ex privilegio in Duplicibus primae vel secundae classis celebrantur, Collectae in die primae classis non dicuntur; in die autem secundae classis in Missis cantatis et conventualibus lectis non dicuntur, in privatis sunt ad libitum* " ».

Ast si qua dubitatio remaneat, ipsa sublata omnino reperitur in Indice authentico Decretorum, a Sacra Rituum Congregatione approbato.

Authenticum sane dicimus Indicem Decretorum, non modo quia occupat volumen V simul cum aliis quatuor tomis iussu Sacrae Rituum Congregationis a Commissionis Liturgicae Membris editum ac revisum ac publici iuris effectum, sed insuper quia, ut in Prologo advertitur: « *Neque vero nisi Sodalium simul recognitione probatum, prelo denique commissum est; ne ab integrae Collectionis indole ac ratione* **vel minimum** *abludere videretur* ». Immo, ubi Decreta nonnulla contradictionis speciem praeseferebant, opportunis explicationibus eadem authentice conciliantur, cum inibi dicatur: « *Hisce vero haud pluribus mendis, antitheseos speciem prae se ferentibus, numquam non consuluit satisque fecit Indicis Auctor, opportunas afferens adnotationes et explicationes; quas, recognitas a Liturgicae Commissionis Sodalibus, Sacra ipsa Rituum Congregatio*

Digitized by Google

**probavit** *atque* **vulgari** *concessit*». Hisce itaque de causis, nos Indicem Decreta subsequentem vocamus authenticum, quin immoremur in praefiniendo huiusce authentiae gradu, ut inutiles controversias cum oppositoribus excludamus.

Apud ipsum ergo Indicem, uti videre est in tom. V novissimae Decretorum Collectionis ad pag. 307, haec leguntur: « *Votiva de Conceptione in singulis Sabbatis Franciscanis concessa, celebranda est... cum Orationibus a* **Rubricis** *pro Missis votivis praescriptis.* **2503**, *ad III*; **scilicet**: *in Feriis, Simplicibus et Semiduplicibus tres dicendae sunt Orationes, duae* **in Duplicibus... 2542**, *ad I*».

Si etenim in tali Missa votiva dicendae sunt Orationes per Rubricas in aliis Votivis praescriptae, scilicet duae in Duplicibus: iam abunde patet, exclusionem tertiae de Tempore Orationis non ex privilegio aliquo dependere, sed ex Rubricarum generalium legibus provenire; et apud Rubricas nullam exceptionem fieri pro Missa votiva Immaculatae Conceptionis, in qua dicendae sunt Orationes per easdem Rubricas in aliis Votivis praescriptae. Praeterea, hoc melius etiam firmatur ex Decreto 12 Maii 1905 ad VII, in quo inquiritur de Symbolo in Votivis pariter Sanctorum addendo, quando pro iisdem sumitur Missa currentis illorum Officii duplicis ad ritum simplicem redacti; unde et eruitur, reliquis dubiis omnes generatim Missas votivas attingi, in quibus commemoretur Duplex eo die integrum Officium et Missam habens.

Ac proinde, illa norma, ob quam in Missis votivis duae tantum propter commemoratum in eis Duplex occurrens Orationes dicuntur, iuxta Decreta Sacrae Rituum Congregationis die 26 Ianuarii 1793 et 12 Maii 1905 edita, non privilegium sive Indultum aliquod importat; sed est consectarium Rubricarum generalium Missalis Romani, sub tit. IX, ac num. 1, sic aientium: « *In Festis duplicibus dicitur una tantum Oratio, nisi facienda sit aliqua Commemoratio*». Haec siquidem norma, Sacra Rituum Congregatione authentice Rubricas explicante, etiam de Festis duplicibus eo die integrum Officium ac Missam consecutis urget, etsi per accidens

Digitized by Google

haec in Missis votivis ex privilegio celebrandis solam commemorationem asserverent, quemadmodum ex aliis etiam factis, in altera dissertatione nostra ostensis, clarius approbatur.

(*Continuabitur*).

Fr. Paschalis Brugnani O. F. M.
ex Academiae Liturgicae Romanae Censoribus.

# Consultationes.

## Dubiorum liturgicorum solutio.

### Pro Abbatia Cavensi.

Concurrente festo translato Transfigurationis D. N. I. C. cum festo Exaltationis S. Crucis, Vesperae integrae dicuntur de praecedenti festo utpote primario eiusdem ritus, *cum commemoratione sequentis* ob diversitatem mysterii (Cfr. Decr. S. R. C., 3 Iulii 1896, n. 3924 ad 4).

### Pro Bononia.

In sepulcro altaris consecrandi Reliquiae *plurium* sanctorum Martyrum includendae sunt (cfr. *Ephem. Liturg.* a. curr., pag. 205); in Litaniis autem, iuxta Pontificalis Romani rubricas, bis respectivo ordine invocandi sunt sancti Martyres, quorum Reliquiae in ipso altari reponuntur, *si eorum nomina innotescant* (S. R. C., 17 Maii 1890, n. 3729 ad 6). Si vero sub altari, non autem una cum Reliquiis in consecratione adhibendis, collocandum sit corpus alius Sancti, huius delatio extra functionem consecrationis facienda est, ut patet.

Digitized by Google

PRO SENOGALLIA.

1. Toleranda non videtur consuetudo dicendi publice, immediate ante benedictionem cum SS. Sacramento et post orationem *Deus qui nobis*, versiculum « *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis* »; in functionibus enim liturgicis, prouti sunt quae describuntur in Rituali Romano et Caeremoniali Episcoporum, nihil ex privata auctoritate addi potest. Cfr. *Ephem. Liturg.*, anno curr., pag. 428, atque *Il Monitore Ecclesiastico,* anno curr., pag. 375.

2. Pro Matrimonii celebratione Sacerdos, si immediate est celebraturus, induere debet albam, stolam et planetam (S. R. C., 31 Aug. 1867, n. 3158 ad III), non autem manipulum, qui absoluta Matrimonii celebratione accipitur, antequam Missa inchoetur. Cfr. De Herdt, *S. Liturg. Prax.*, tom. III, n. 272.

# Bibliographia.

## Opera ad nostram Directionem transmissa.

TROMBETTA ALOYSIUS. **De iuribus et Privilegiis Praelatorum Romanae Curiae.** — Surrenti, T. D'Onofrio, 1906, L. 5.

Huiusmodi opus commendandum esse duximus, ob suam perspicuitatem et accuratam dicendi rationem.

In quatuor partes divisa est opella; in prima agit de *Protonotariis*, in secunda de *Praelatis domesticis*, in tertia de *Cubicullariis* et in quarta de *Cappellanis* Summi Pontificis. Primam partem distribuit auctor iuxta methodum quam adhibuit Riganti in suo excellenti opere de *Protonotariis*. Cl. Auctor prae oculis habuit *Motu proprio* SS. D. N. Pii Pp. X., 21 Febr. 1905, et perbelle de iuribus, privilegiis et insigniis Protonotariorum agit, iuxta classes in quas hodie dividuntur.

Digitized by Google

Nonnulla habet quidem quae undequaque praecisa nobis non videntur; nihilominus, haec parvi momenti sunt, et parum detrahunt operis praestantiae. Ex. gr. (*pag. 31*) locum in Cappella pontificia auctor minus recte designat; (*pag. 34*) docet, Vicarium generalem posse Protonotariis concedere licentiam Missae in pontificalibus celebrandae; (*pag. 56*) explicationem caudae in Feria VI in Parasceve admittit, citans Caeremoniale Episcoporum et Martinucci, qui in casu ad rem non faciunt; (*pag. 98*) omittit lauream in S. Scriptura, quae utique hodie sufficit pro obtinendo gradu Protonotariatus titularis.

Qui ergo opus cl. Trombetta sibi comparaverit, compendium habebit eorum quae de Protonotariis *Ephemerides Liturgicae* egerunt in Commentario super *Motu proprio* Pii Pp. X, et insuper alias opportunas notiones circa Cubicularios et Cappellanos Domus Pontificiae.

Dr. A. Schmid. **Cäremoniale** für Priester, Leviten, Ministranten und Sänger. Mit 150 Abbildungen. Dritte, vermehrte Auflage. — Kempten und München, Jos. Kösel, 1906.

**A bas la Calotte!** — Vol. in-12 (pag. 581) cum illustrationibus. H. et L. Casterman, Libr. Editor. — Tournai, 1906, L. 3.50.

Cl. Iulius de Arbonnoise, auctor operis « *Leurs Crimes* », sub hoc novo titulo « *A bas la Calotte!* », fructum suarum investigationum exponit circa verum sensum, originem ac finem huiusmodi impii clamoris.

Per praefatum opus insidias inimicorum ostendit, armaque praebet legitime certantibus. Documenta, revelationes mordaces, notitiae ineditae, biographiae, ideae novae ac profundae, stylus clarus, vibratus, concisus, omnium trahunt animos ad hanc tractationem historico-politicam legendam.

Digitized by Google

# Chronica.

*Die 21 Augusti 1906:* E.mi et R.mi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi omnibus sedulo perpensis rescribendum censuerunt, esse signandam Commissionem Introductionis Causae Venerabilis Servae Dei PAULAE FRASSINETTI, fundatricis Instituti Sororum a S. Dorothea nuncupati, nec non aliam, introductionis Causae praefatae Venerabilis Servae Dei CATHARINAE DE FRANCHEVILLE, fundatricis Congregationis Filiarum Beatae Mariae Virginis a Recessu Venetensi, si Sanctissimo placuerit.

*Die vero 22,* eisd. mense et anno, facta de his SS. D. N. Pio Papae X per E.mum D. Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatione, Sanctitas Sua Rescriptum eiusdem Sacri Consilii ratum habit et confirmavit, propriaque manu signare dignata est utramque Commissionem.

*Sacrae Congregationi Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae* SS.mus D. N. PIUS PP. X facultatem fecit tribuendi potestatem singulis petentibus benedicendi, unico Crucis signo, de consensu Ordinarii loci in quo haec facultas exercetur, Coronas B. Mariae Virg. ad SS.mi Rosarii recitationem destinatas, eisque adnectendi Indulgentias, quae a *Patribus Crucigeris* nuncupari solent. Rescriptum traditur *ad quinquennium* valiturum.

Preces porrigendae sunt *Secretariae* praefatae S. Congregationis hac formula:

*Beatissime Pater,*

(Nomen, Cognomen, Dioecesis vel Ordo vel Congregatio Reg.) *ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humillime petit facultatem benedicendi Coronas a SS.mo Rosario B. Mariae Virg., eisque applicandi Indulgentias, quae a* Patribus Crucigeris *vulgo nuncupantur.*

*Et Deus etc.*

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR.
Fr. Albertus Lepidi O. P., S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR.
† Iosephus Ceppetelli Patr. Constant., Vicesgerens.

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée, Lefebvre et Soc. Romae, *Sponsor.*

Ex Off. typ. Soc. S. Ioannis Ev. - Tornaci in Belgio.

Digitized by Google

# Acta Sanctae Sedis
## sacram Liturgiam spectantia.

## SS. RITUUM CONGREGATIO

**De lectionibus I nocturni et de Missa exequiali.**

TARBIEN.

R.mus D.nus Franciscus Xaverius Schoepfer, Episcopus Tarbiensis, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem reverenter expostulavit; nimirum:

I. Decreto n. 3923, diei 30 Iunii 1896, *Plurium Dioecesium*, praecipiente lectiones de Scriptura occurrente in duplicibus infra 2^am^ classem, excipiuntur tamen lectiones, quae « approbatae iam fuerint, vel in Breviario habentur pro duplicibus seu maioribus, seu etiam minoribus». *Quaeritur*: Utrum ea exceptione comprehendantur non tantum eae peculiares lectiones, quae certis quibusdam Sanctis assignantur et integre inseruntur in Breviario sicut et in Proprio dioecesano, sed etiam eae omnes, quae assignantur de Communi, et in praedictis Breviario et Proprio tantummodo indicantur, rubrica ad eas remittente; sicut v. g. in Festo S. Dominici, die 4ª Augusti, indicantur pro 1° nocturno lectiones *Beatus vir* etc. de Communi Conf. non Pontif. 2° loco; sicut etiam v. g. in Festo



Digitized by Google

S. Fausti (in Proprio Prov. auxitanae, ad 28^am^ Septembris) remittitur, pro clero Tarbiensi, ad Lectiones *Fidelis sermo*?

II. Utrum feria IV Cinerum, in Ecclesiis parochialibus, ubi unicus est Sacerdos, celebrari possit Missa exequialis?

Et Sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, respondendum censuit:

Ad I et II *Affirmative.*

Atque ita rescripsit, die 5 Iulii 1901.

L. ✠ S. D. Card. FERRATA, *Praef.*
† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

## Commentarium.

Ad II. In generali Decreto S. R. C., d. 2 Decembris 1891, n. 3755, ubi enumerantur dies Missam exequialem excludentes, nihil dicitur de Feria IV Cinerum, qua die Parochus ad Missam pro populo applicandam non tenetur. Hinc *per se* in praefata Feria privilegiata, etiam in ecclesiis parochialibus, ubi una tantum Missa celebratur, potest cantari Missa de requie pro die obitus.

Nihilominus, si in iisdem ecclesiis publica Cinerum benedictio peragatur, eam immediate sequi debet Missa de occurrenti Feria iuxta rubricas; ideo hoc in casu, *per accidens* excluditur Missa exequialis. Cfr. *Ephem. Liturg.*, vol. XIV, pag. 46, et vol. XIX, pag. 549.

Digitized by Google

## Ad *Motu-proprio* de Protonotariis Apostolicis Commentarium.

(*Continuatio.* V. num. 11, anni curr., pagg. 644-651).

62. Pariter, qui Vicarii Generalis aut etiam Capitularis munere fungitur, hoc munere dumtaxat perdurante, erit Protonotarius Titularis; hinc, si Dignitate aut Canonicatu in Cathedrali non gaudeat, quando choro interesse velit, habitu Protonotarii praelatitio, qui infra describitur, iure utetur (193).

63. Protonotarii Apostolici Titulares sunt Praelati extra Urbem (194), qui tamen subiecti omnino manent locorum Ordinariis (195), Praelatorum Domus Pontificiae honoribus non gaudent neque inter Summi Pontificis Familiares adnumerantur (196).

64. Extra Urbem, dummodo Summus Pontifex eo loci non adsit (197), in sacris functionibus rite utuntur habitu praelatitio, nigri ex integro coloris, idest veste talari, etiam, si libeat, cum cauda (numquam tamen explicanda), zona serica cum duobus flocculis a laeva pendentibus, roccheto, mantelleto et bireto, absque ulla horum omnino parte, subsuto aut ornamento alterius coloris (198).

65. Extra Urbem, praesente Summo Pontifice, descripto habitu indui possunt, si hic tamquam chorale insigne concessus sit, vel si quis uti Vicarius adfuerit (199).

66. Habitu praelatitio induti, omnibus Clericis, Presbyteris, etiam Canonicis, singulatim sumptis, prae-

Digitized by Google

ferantur, non vero Canonicis, etiam Collegiatarum, collegialiter convenientibus (200), neque Vicariis Generalibus et Capitularibus, aut Superioribus Generalibus Ordinum Regularium, et Abbatibus, ac Praelatis Romanae Curiae (201); non genuflectunt ad Crucem vel ad Episcopum, sed tantum se inclinant, ac duplici ductu thurificantur (202).

67. Super habitu quotidiano, occasione solemnis conventus, audientiae et similium, etiam Romae et coram Summo Pontifice, zonam tantum sericam nigram, cum laciniis item nigris, gestare poterunt, cum pileo chordula ac floccis nigris ornato (203).

68. Propriis insignibus, seu stemmatibus, pileum imponere valeant, sed nigrum tantummodo, cum lemniscis et sex hinc sex inde flocculis pendentibus, item ex integro nigris (204).

69. Si quis Protonotarius Titularis, Canonicatus aut Dignitatis ratione, choro intersit, circa habitum se gerat iuxta normas Protonotariis *ad instar* constitutas, num. 52, vestis colore excepto (205).

70. Sacris operantes, a simplicibus Sacerdotibus minime differant (206); attamen extra Urbem (207) in Missis et Vesperis solemnibus pariterque in Missis lectis aliisque functionibus solemnius aliquando celebrandis, Palmatoria tantum ipsis utenda conceditur, excluso Canone aliave pontificali supellectili (208).

71. Quod pertinet ad acta in causis Beatificationis et Canonizationis, et ad passivam electionem in Conservatores ac cetera, iisdem iuribus gaudent, quibus

Digitized by Google

fruuntur Protonotarii Supranumerarii, uti nn. 23 et 24 supra dictum est (209).

72. Beneficia eorum qui, tamquam privatae personae, Protonotariatum Titularem assequuti sunt, non vero qui ratione Vicariatus, Canonicatus sive Dignitatis eodem gaudent, ab Apostolica tantum Sede conferantur (210).

(193) In archivo Collegii Protonotariorum Participantium, ut nobis olim retulit Rev. Zeno Ulpiani, eiusdem Collegii Secretarius, quoddam extat documentum, ex quo eruitur Vicariis generalibus iura communiter tributa fuisse, quibus gaudebant Protonotarii Titulares, cum usu roccheti et mantelleti. Hinc est, aiebat ille, quod Vicarii generales adhuc hodie extra Urbem titulo praelatorum proprio (vulgo *Monsignore*) appellantur, quamvis Praelati pontificii non sint, quia sunt quodammodo Protonotarii nati.

Itaque facile intelligitur S. R. C. Decretum d. d. 20 Iunii 1629, sub n. 510, quod in Indice Decretorum (*p. 504*) ita inscribitur: *Vicario generali in habitu canonicali nulla debetur praerogativa; secus autem si assistat in habitu Protonotarii.* Videtur ergo quod revera Vicariis generalibus habitus competeret Protonotarii. Et ideo multis in locis, praesertim Italiae superioris, licet extaret aliud S. R. C. decretum n. 1845 declarans: « Vicarialem habitum esse subtanam cum mantello talari et bireto », Vicarii generales in functionis sacris intererant cum roccheto et nigro mantelleto.

Opportunissime itaque SS. D. N. Pius Pp. X Vicariis generalibus ac Capitularibus, *hoc munere dumtaxat perdurante*, concessit ut iuribus et vestibus utantur Protonotariorum Titularium. Primo quidem, quia decet omnino, ut qui Vicarii Episcopalis dignitate et honore pollet in dioecesi, convenienti quoque habitu inter clericos distinguatur; secundo autem, quia, cum ex pluribus S. R. C. decretis 105, 127, 427, 589, 1077 et 2937, Vicarius generalis praecedat Dignitates et Canonicos non paratos in choro, in Pro-

Digitized by Google

cessionibus et in sessionibus, incongruum prorsus videbatur, ecclesiasticum, in habitu communi, cum mantello (*ferraiolo*) viatorio et absque superpelliceo, in sacris functionibus adsistere cum canonicis.

Idem dicendum venit de Vicario Capitulari, qui ex S. R. C. Decreto n. 1057 in choro et in processionibus incedere debet a sinistris primae Dignitatis, repraesentantis Capitulum, cuius vices gerit ipse Vicarius.

Hodie igitur, ex gratia regnantis Pontificis, qui et ipse fuit olim Vicarius capitularis, huiusmodi praelati dioecesani, nempe Vicarii generales et capitulares coram populo et clero subiecto, convenienti habitu praelatitio decorati sunt, quae dispositio communi omnium consensu, ubique per ecclesiam universam, uti apparet ex ephemeridibus ecclesiasticis, cum plausu excepta fuit.

Sunt qui putant hoc privilegium extendi quoque ad Pro-vicarium generalem, sed nos id non admittimus, quia Pro-vicarius idem non est ac Vicarius, ideoque sicut in praxi illi non datur titulus vulgo *Monsignore*, ita non omnes honores Vicarii generalis tribuuntur. Hoc dicimus et tenemus pro solis Pro-vicariis, non pro Vicariis veris ac legitimis ubi plures habeantur simul uti in Gallia. Nihilominus, si alicubi Vicarius Generalis, eo quod sit dioecesanus non vero alienigena, nomen accipiat Pro-vicarii, ut in iure praescribitur, licet in praxi communiter amplius non observetur, tunc procul dubio omnia Vicarii habet, ideoque et hoc privilegium.

(194) Nonnulli aliquando dubitaverunt an Protonotarii Titulares essent necne Praelati; quoniam vero illi titulo praelatorum proprio (vulgo *Monsignore*) iugiter appellati sunt (Trombetta, *de iur. et privil. Praelat., p. 97*), procul dubio Praelatos fuisse et esse dicendum est; *extra Urbem tamen Praelati* sunt, ut declarat hoc loco Summus Pontifex, et optime; nam: 1° In constitutione Pii Pp. VII, anni 1818 (§ *1*) habitu praelatitio donantur. 2° (§ *5*) Canonicis singulatim sumptis praeferuntur. 3° (§ *7*) Quando adstant ad Sacra, non genuflectunt ad Crucem

Digitized by Google

et ad Episcopum, sed caput tantum inclinant, quod iuxta Missalis Rubricas (*Tit. 17, n. 5*) proprium est Praelatorum. 4° (§ *9*) Rite eligi possunt in Iudices et Commissarios Apostolicos, ipsi enim, ait Riganti (*de Protonot. Apost. diss. 3, n. 89*) sunt vere in ecclesiastica dignitate constituti. 5° (§ *10*) Eorum beneficia nonnisi ab Apostolica Sede conferri possunt, sicut maiores Dignitates post Pontificalem in Cathedralibus, et principales in insignibus Collegiatis, quia expresse recensentur inter S. Sedis officiales, ut docet idem Riganti (*Reg. Cancell., t. IV, 46*). Recte igitur ac toto iure Praelatos eos declaravit Pius Pp. X, licet honore et vocamine praelatitio (vulgo *Monsignore*) fruantur tantummodo extra Urbem.

(195) De legitima Ordinariis locorum subiectione vide quae diximus in nota 39.

(196) Cum Protonotarii Titulares sint extra Urbem Praelati, procul dubio, nec antistites Urbani, seu domus Pontificiae, nec Summi Pontifices familiares esse minime possunt; quod item iam declaraverat Pius Pp. VII in citata Constitutione (§ *13*).

(197). Supra, Protonotarii Titulares declarantur esse *Praelati extra Urbem*, ergo Romae seu in Romana Curia tales non sunt; ergo nec habitum praelatitium gestare, uti iam decreverat Pius VII (§ 1). Quoniam vero ubicumque degit Romanus Pontifex, ibi habetur Romana Curia, ideoque opportune hic dicitur, *dummodo eo loci Summus Pontifex non adsit*; etenim eo in casu Protonotarii Titulares nihil possunt et nihil sunt, ideoque nec habitu praelatio illis indui fas erit.

(198) Habitus Protonotarii Titularis, prout hic traditur, quoad formam idem ipse est quo ceteri praelati utuntur, et illum iam descripsimus in notis 43 et 44; color tamen niger est omnino, ideoque neque subsutum, neque reflexus, neque ocelli et orbiculi, neque orae textus, coloris violacei esse possunt; itemque neque caligae nec collare nec vitta in pileo, nec flocculus in bireto.

Quapropter Protonotarii in casu in nihilo differunt ab Episcopis, imo et ab Eminentissimis Cardinalibus ex Ordinibus

Digitized by Google

S. Benedicti vel S. Augustini assumptis, qui habitum deferunt praelatitium, ex integro nigri coloris, si demas biretum et pileolum, aut ornamentum pilei; id quoque distincte praescripsit Pius VII (§ *3*).

Nihil dicitur de annulo, quia Protonotarius Titularis, saltem uti Doctor in Theologia aut in Iure aut in S. Scriptura, bene illum deferre potest, non tamen in Missae celebratione; primo quidem quia S. R. C. pluries id prohibuit, itemque Pius VII (§ *6*), secundo autem quia in hoc ipso *Motu proprio*, n. 70, dicitur quod Protonotarii Titulares *sacris operantes a simplicibus Sacerdotibus minime differant*, ergo ab usu annuli in Missa vere prohibentur.

Itaque hodie non amplius appellari potest ad S. R. C. decretum, a Gavanto, Pitonio et Ferraris citatum (*verb.* Proton. Titul. *n. 15*) in quo statuebatur: « Possunt Missam celebrare cum annulo aureo et de rigore uti, sed sine gemma, et sine aliqua effigie ».

Clara igitur est hodierna disciplina circa usum annuli. In Missa privata eo utuntur Cardinales, Episcopi, Protonotarii Participantes; in solemni pontificali etiam Protonotarii supranumerarii et *ad instar*, nec non Canonici ad hoc privilegiati. Ceteri omnes nec in solemni nec in privata unquam annulo uti possunt.

In functionibus ergo sacris habitu praelatitio indui possunt Protonotarii Titulares, et etiam ex S. R. C. decreto n. 776, dum in ecclesiis concionantur, quo in casu, et stolam adhibere possunt. In administratione vero Sacramentorum mantelletum dimittant (*S. R. C., n. 1529*) et cottam assumant.

(199) Ut intelligatur huiusmodi dispositio, sciendum est, quod accedente Summo Pontifice ad aliquam civitatem, si clerus loci ei obviam exit, suis insignibus certo erit decoratus. Atqui, si forte aliquis coetus canonicorum habeatur, cuius habitus choralis sit habitus praelatitius Protonotarii, bene poterit eo indutus Pontifici obviam ire. Item dicatur de Vicario Generali aut de

Digitized by Google

Capitulari, qui congruenter in habitu vicariali coram Pontifice stare oportet, ut a suo clero discernatur. Ratio differentiae in hoc sita est, quod Canonici in casu et Vicarius ante Papam accedunt, non uti Protonotarii, sed tamquam Canonici et Vicarius, Protonotarii vero simpliciter suo habitu uti nequeunt, quia in curia Romana non computantur.

(200) Etiam Canonicis, *singulatim sumptis*, praeferuntur Protonotarii Titulares, non vero collegialiter convenientibus, hinc quando Protonotarius, habitu praelatitio indutus, ss. functionibus adsistit, post omnes canonicos sedet vel procedit (*S. R. C., decr. 413, 844*); in ecclesiis autem ubi deest capitulum, post Rectorem Ecclesiae et semper post officiantem (*S. R. C., decr. 1129*).

(201) Cum autem Vicariis Generalibus ac Capitularibus, et Ordinum Regularium Superioribus, Abbatibus et Praelatis Urbanis non praeferantur Protonotarii Titulares, hic erit ordo sequendus in congregationibus Cleri:

Post Episcopos quoscumque, 1° Sedent Protonotarii Apostolici Participantes; 2° Vicarius generalis dioecesis, nisi ipse conventui praesideat; 3° Abbates; 4° Protonotarii Supranumerarii; 5° Protonotarii *ad instar*; 6° Superiores Ordinum Regularium; 7° Antistites seu Praelati pontificii seu Urbani; 8° Protonotarii Titulares; 9° Dignitates Cathedralis; 10° Dignitates Collegiatarum; 11° Canonici Cathedralis; 12° Canonici Collegiatarum; 13° Vicarii foranei; 14° Parochi civitatis; 15° Parochi dioecesis; 16° Beneficiati minores; 17° Sacerdotes non beneficiati; 18° Diaconi etc.

In sacris vero functionibus, scilicet in choro, in Processionibus et in Sessionibus Synodalibus, idem ordo sequendus est, nisi quod Canonici collegialiter tunc conveniunt, ideoque Cathedralis Canonici antecedunt Protonotariis non participantibus, et Canonici Collegiatarum etiam Titularibus.

(202) Salutatio ad Crucem et ad Episcopum Ordinarium, per inclinationem, non vero per genuflexionem, est proprium Praelatorum, et Canonicorum Cathedralium, qui cum Episcopo

Digitized by Google

unum corpus efficiunt. Hinc S. R. C. (*decr. 456*) decrevit, Canonicos Collegiatae, etiam in habitu sacro, genuflectere debere ad Episcopum. Quoniam vero Protonotarii Titulares, ut iam vidimus, sunt extra Urbem Praelati, decet omnino ut more Praelatorum Episcopo caput inclinent. Ideoque ad Confessionem, in Missis solemnibus et ad benedictionem, ad mentem Missalis Rubricae (*Tit. 17, n. 5*) stare debent, et thurificari duplici ductu (*Pius VII*, § 7).

(203) Zonam nigri coloris gestare utique possunt super habitu quotidiano, non quasi id privilegium seu insigne sit Protonotariis, nulla enim lege prohibentur ecclesiastici saeculares, zona lumbos suos praecingere, quod et Regularibus et Seminarii alumnis non vetatur, uti in nota 46 declaravimus; sed potius ad innuendum quod in Urbe, et coram Summo Pontifice habitu clericali simplici, et nonnisi *nigri coloris*, excluso quocunque alio, zona, quae serica esse potest, exornatus Protonotarius compareret vale.

(204) De usu pilei in stemmate cum lemniscis et flocculis vide notam 55. Pius VII (§ 3) hunc usum Protonotariis Titularibus recognovit, de eo enim iam, uti legitimo, loquuntur Barbosa et Pitonius apud Ferraris (*voce* Proton. Titul., *n. 13*).

(205) Vide notas 56, 57, 58, 59 et 60.

(206) Vide quod docuimus in nota 166.

(207) *Extra Urbem* hic concedit benignitas regnantis Pontificis Pii X, usum palmatoriae, non ergo Romae et in locis ubi resideat Papa; ubi enim cessant nomen et iura Protonotariatus, cessant et externi honores.

(208) Concessio usus palmatoriae, Protonotariis Titularibus facta, opportune respondet appellationi Praelati extra Urbem. Palmatoria tamen, non Canone, neque Urceo et pelvi, quae a Caeremoniarum magistris, inter pontificales supellectiles numerantur, uti poterint Protonotarius Titularis in Missis cum aliqua solemnitate celebrandis, de quibus egimus in notis 26 et 110, et ipse habitu suo praelatitio nigri coloris indutus esse deberet, item in Vesperis solemniter ab ipso decantandis.

Digitized by Google

(209) Quoad passivam electionem in Conservatores et Iudices, et ad acta perficienda in causis Beatificationis vide notas 72, 73, 74, 75 et 76.

(210) De reservatione Beneficiorum Protonotarii Titularis vide quae diximus in nota 148.

(*Continuabitur*).

Doct. PETRUS PIACENZA.

# Acta Academiae Liturgicae Romanae.

I.

*Die 30 Maii 1906*, in S. Aede Congregationis Missionis prope Curiam Innocentianam, habitus est Conventus academicus, in quo Rev. D. AUGUSTUS FIDECICCHI quaestionem enodavit:

## De quadam Missa votiva Deiparae occurrente duplici.

Post Censorum animadversiones et placita, alter ex illis epitomen resolutionum fecit, quam excepit pia collatio de ecclesiasticis officiis.

### Quaestionis propositio.

Florentius Sacerdos, qui officium iuxta ritum suae Ecclesiae recitavit de B. Maria sub Titulo Gratiarum, Missam celebrare intendit in Ecclesia Fratrum S. Augustini Genestani, in qua quotidie dici solet Missa votiva B. M. Boni Consilii, dummodo non occurrat aliquod festum eiusdem B. M. Virginis. Ea die tamen in

Digitized by Google

dicta Ecclesia fit officium duplex de B. Stephano Bellesini. Celebrans ergo ad altare B. M. Boni Consilii, Missam legit non votivam, sed illam quae officio a se recitato respondet, nempe de B. Maria Titulo Gratiarum. *Quaeritur:*

1. *Quibus ex causis Missas votivas in aliquibus Sanctuariis celebrandas Apostolica Sedes concedat?*

2. *Quid intendat et desideret Ecclesia, quando Missas huiusmodi concedit?*

3. *Utrum Florentius in casu Missam legere debuerit votivam Boni Consilii, an propriam Tituli Gratiarum?*

**Solutio.**

I. Quibus ex causis Missas votivas in aliquibus Sanctuariis celebrandas Apostolica Sedes concedat?

Missa votiva, uti notum est, illa dicitur, quae, non modo ex voto seu voluntate celebrantis aut offerentis, ad aliquem determinatum finem applicatur, sed et in parte sua extrinseca, precum scilicet et interdum adhuc paramentorum, ex voto item celebrantis sive offerentis, cum Officio diei non convenit. Prioribus Ecclesiae saeculis, iam novimus in usum fuisse Missas votivas, quae praecise tunc initium sumpserunt, cum privatae Missae celebrari coeperunt, in quibus ex privatorum voto, adhiberi consueverunt propriae formulae, dum in Liturgia publica et solemni fixis uti necesse erat. Missa pro Defunctis est inter votivas antiquior. De ea iam Tertullianus et Cyprianus loquuntur, et Ss. Augustini et Ambrosii aevo communis erat. S. Augustinus, cuiusdam Missae meminit, ad domum a diabolo obsessam liberandam. Habentur in Sacramentario Leoniano Missae votivae contra obloquia reproborum, de siccitate..., et saeculo IX etiam contra malos Episcopos; Tempore eodem, dici consueverunt Missae vo-

Digitized by Google

tivae Sanctorum. Sed Missarum celebratio ad libitum diu perseverare non poterat, et Calendariis pro singulis Ecclesiis ordinatis, statuti sunt dies, in quibus Missae votivae celebrari possent, extra quos nonnisi ex Apostolico privilegio haberi valerent. Cum vero cuperent, sive Religiosae Familiae, sive principaliores Ecclesiae et Sanctuaria, uti vocant, aut Missarum propria formularia, aut frequentius, quam Calendaria locorum paterentur, eas legendi vel canendi potestatem, hinc factum est, ut Apostolica Sedes iisdem petentibus Missarum votivarum concesserit largiorem usum, interdum etiam quotidianum. Celeberrimum est indultum, quo gaudet Altare inferius Basilicae S. Laurentii extra muros, quotidie, non exceptis maioribus solemnitatibus, Missam pro defunctis, cum suo proprio formulario scilicet, et in paramentis nigris, celebrandi. Concessum est interdum, Missas, in celeberrimis Sanctuariis quibusdam, votivas, iuxta significationem quam exposuimus, celebrari posse tanquam festivas; uti recens indultum est Sanctuario Pompeiano, pro Missis de B. Virginis Mariae Rosario, cum relativo Introitu: *Gaudeamus... diem festum celebrantes.*

II. Quid intendat et desideret Ecclesia, quando Missas huiusmodi concedit?

Intendit et desiderat Ecclesia hisce in casibus, Dei et Sanctorum maiorem glorificationem, Sacerdotum et christiani populi maiorem spiritualem profectum. Valde quippe opportunum est, in locis, in quibus specialia Mysteria vel Sancti coluntur, haec peculiarius exaltare, Missarum votivarum celebratione. Neque minus opportune tot Sacerdotum et fidelium ad Sanctuaria accurrentium devotioni providetur, Missis votivis abundantius permissis, qui ita pietatis augmentum persentiunt, et apud ceteros, ad sua reversi, divinarum benedictionum dulcedines, per easdem Missas comparatas, exaltant. Intendit insuper Ecclesia offerentium obtemperare desiderio, qui cum Missas petunt in honorem Mysterii aut Sancti cuiusdam, cupiunt profecto illa et exteriori cultu, seu precum et paramentorum apparatu, honorari. Desiderat autem,

Digitized by Google

ut, ubi onus adest Missarum Conventualis vel parochialis celebrandi, non omittatur relativae Missae, prout fert dies, celebratio; id quinimo saepius, et semper nostra aetate, expresse praecipit.

Ut autem excludatur omnis in Dei et Sanctorum cultu aequivocatio, sapienter praecipit Ecclesia, ut, si quando occurrit festum aliquod relativum Personae, quae per votivam Missam optatur honorari, nullimode in casu suffragetur indultum; quamvis enim facile intelligitur, non esse celebrandas Missas votivas eiusdem Personae, in festo quod Missam habet, votivae, quae concessa est, conformem, a nonnullis tamen putatum fuit, posse, v. g. in festo B. M. V. sub uno titulo, Missam votivam eiusdem Beatae sub alio celebrari, quod plane Ecclesia non sinit, ne ut diximus inconvenientia circa cultum personae soboriantur.

III. Utrum Florentius in casu Missam legere debuerit votivam Boni Consili, an propriam Tituli Gratiarum?

Ex S. Rituum Congregationis decreto, d. d. 9 Iulii et confirm. d. 9 Decemb. 1895, n. 3862, Sacerdos quilibet, in aliena celebrans Ecclesia, se conformare tenetur Calendario Ecclesiae istius, sed si ritus Ecclesiae est duplici inferior non privilegiatus, potest etiam suo proprio conformari, vel Missam votivam agere. In Ecclesia, in qua celebrat Florentius noster, ritus duplex occurrit, sed ex privilegio celebrari valet et Missa de B. M. V. a Bono Consilio; dummodo non occurrat aliquod festum B. M. V. Hinc ille forte cogitat: Hic Missa permittitur de B. M. a Bono Consilio sub praefata conditione; sed mihi occurrit Missa de alio festo B. M. V., ergo illa ab hac impeditur, quam consequenter celebrare possum. Ast quia considerari non debet, iuxta notatum decretum, Calendarium proprium Sacerdotis celebrantis, sed *proprium Ecclesiae*, ratiocinium Florentii vitio laborat. Poterat igitur ipse indubie Missam celebrare de Bono Consilio ex indulto Ecclesiae Augustinensium Genestanensi dato, quamvis Officium recitasset de alio B. M. V. festo, de quo ceterum celebrare nequibat, occurrente duplici in eadem Ecclesia.

Digitized by Google

II.

*Die 4 Iulii 1906*, in S. Aede Congregationis Missionis prope Curiam Innocentianam, habitus est alter Conventus academicus, in quo Rev. D. Leo Gromier quaestionem enodavit:

## De Hora Prima ante Matutinum et Completorio post anticipatum Matutinum.

Post Censorum animadversiones et placita, alter ex illis, R.mus D. Petrus Piacenza Protonotarius Apostolicus, epitomen resolutionum fecit, quam excepit pia collatio de ecclesiasticis officiis.

**Quaestionis propositio.**

Gelasius Episcopus facultatem facit Clericis omnibus suae Dioecesis, qui *in sacris* sunt, non tamen choro adstricti, ut quotidie *Primam* recitent statim ac e lectulo surrexerint, licet Matutinum ac Laudes nondum recitaverint, itemque, ut *Completorium* dicant dum cubitum eunt, etsi Matutinum sequentis diei post Vesperas recitaverint. Ait enim, oportet ut Clerici preces matutinas et vespertinas Deo persolvant formulis ecclesiasticis, non autem more fidelium laicorum. Insuper *Prima* et *Completorium* antiquitus non erant partes officii divini publici, valde autem congruit ut et hodie debitis horis privatim recitentur. *Quaeritur:*

1. *Quando et a quo inductae fuerint Prima et Completorium in officio dici?*

2. *Utrum rationabiliter Prima ac Completorium uti privatae, non canonicae preces considerari possint, ita ut suis horis propriis recitari queant?*

Digitized by Google

3. *An Episcopus aliquid possit determinare quoad officium?*

4. *Utrum in casu Gelasius bene se gesserit, et suae valeant rationes?*

**Solutio.**

I. Quando et a quo inductae fuerint Prima et Completorium in officio diei?

Horae canonicae suam agnoscunt originem in vigiliis, scilicet in Officio nocturuo Dominicarum, et paulo post, anniversariorum Ss. Martyrum ac Stationum. Ex aliquibus veterum scriptorum locis admitti valet, vigiliam tres in partes fuisse divisam: prima post solis occasum incipiebat, secunda post mediam noctem, tertia autem protrahebatur post auroram. Saeculo IV, in Oriente, quaedam societates, ex utroque sexu piorum fidelium, qui postea mundo valedixerunt et monachi facti sunt, coeperunt, non modo vigilias quotidie celebrare, sed et dietim psallere, horis Tertia, Sexta et Nona.

Maioris tum habebantur momenti, prior et tertia pars vigiliarum, ex quo constitutum est Officium vesperale, et Laudes matutinales. Vesperae sunt sola vespertina oratio, sub occasum; Laudes sola matutina precatio, in aurora. Saeculo VI, clerus alio nondum utebatur officio, quam serotino, nocturno et matutino. Sub finem IV saeculi, monachi facti sunt autonomi, et dum ex iis nonnulli Tertiam, Sextam et Nonam retinuerant, alii e contrario dimiserant. Quaedam tamen Palaestinae communitates, iam omnibus psallebant horis, prout nunc fit.

En porro *Primae* origo: Monachi, post transactam maiorem noctis partem in nocturno Officio, ad Laudes cum pervenissent, iam lucescebat dies, quo tempore necessitate profecto urgebantur, aliquantulum quiescendi, antequam ad manualia opera transirent. Post brevem igitur somnum, decebat omnino, ut dies inciperet ab oratione: conveniebant autem iterum, ut trium psalmorum

Digitized by Google

Officium recitarent, quod *Prima* vocatum fuit, ut relationem ad *Tertiam* diceret.

Et quia matutinale Officium Laudum cum monastico diei initio non conveniebat, similiter accidit, ut Vesperae, aliquanto anticipatae, non conveniret amplius cum fine, eo quod postea haberetur coena. Antequam igitur ad cubandum iretur, Deum adprecari necesse erat, ut et gratiarum actiones ei redderentur, et de iugi protectione rogaretur. Huiusmodi precatio, quae fuit primitus omnino privata et personalis, in communi fieri incoepit, et Officium psalmodiae facta est. In occidente primus omnium eam introduxit S. Benedictus, in horarum decursu, eamque Completorium vocavit; hinc habetur iste Sanctus communiter huius Horae institutor.

*Prima* itaque et *Completorium* a monachis invectae sunt, quod et earum compositio evidenter demonstrat: ita v. gr. *Prima*, a *Benedicamus Domino* usque ad finem, exercitium mere monasticum continet, videlicet Capitulum. Initium pariter Completorii, ex monasticis moribus ortum habuit. Diu equidem mansit mos iste apud monachos, usque ad nonum et forte ad decimum saeculum. Quod autem ad saeculares clericos transierit, exinde factum est, quod monachi principaliores romanas Basilicas administrarunt, et potissimum quod Benedictinorum Ordo ubique maximam adeptus est auctoritatem.

*Prima* igitur et *Completorium* sunt recentiores inter Horas; institutae sunt tanquam privata oratio matutina et vespertina, prout evidenter conspicitur ex iis partibus, quae illis peculiariter sunt propriae, ex Oratione, quae nunquam variatur, ex versiculis precum et Confessione.

II. Utrum rationabiliter Prima ac Completorium uti privatae, non canonicae preces considerari possint, ita ut suis horis propriis recitari queant?

Ex privatis, publicae factae sunt, praedictae horae, et pars canonici Officii, obligationem pro monachis inducentes, usque dum romana Ecclesia eas in canonicum Officium introduxit, quod prae-



Digitized by Google

ceptive clero saeculari imposuit, non modo in chorali recitatione, sed et in privata cuiusque clerici in Sacris recitatione; id accidit circa saeculum duodecimum.

At si *Prima* et *Completorium* nequeunt amplius dici preces privatae, quoad eas recitandi obligationem, poteruntne tanquam privatae considerari, quoad ordinem recitationis? A morali quaestione abstrahendo, rem sub liturgico respectu considerabimus. Si clericus proprii Officii recitationem ita distribuere valet, ut *Completorium* recitet parum antequam ad cubandum se recipiat, et *Primam*, parum postquam surrexerit, optime se geret; at si ad hunc finem assequendum nullimode curat, ut tempus sibi suppetat, ad Matutinum cum Laudibus post Completorium et ante Primam recitandum, et consequenter Horarum ordinem invertit, praetexens, *Completorium* et *Primam* esse preces privatas, male quidem agit.

Utraque sane haec Hora nequit nunc privata oratio nuncupari; modus enim quo praesertim in Breviarii reformatione exhibita est, nullam relinquit dubitandi rationem. Ecclesia Romana, eadem auctoritate, qua reliquum Officium praeceperat, et primam et ultimam diei horam praecepit, publicas et canonicas eas constituens.

Nec aliquid valet nunc distinctio inter privatam et publicam recitationem, quia clericus ad Horas canonicas obligatus semper Ecclesiae nomine id facit, atque ideo id praestare debet iisdem modo et ratione, quibus ab eadem Ecclesia praecipitur. Quod si dicatur, permisisse Ecclesiam, canonicas Horas non amplius recitari suis respective horis diei, respondemus statim, id revera Ecclesiam indulsisse, non vero arbitrariam, quae praetenditur, inversionem.

Si vero, ut multi optarent cum R.mo Isoard Episcopo Aunicensi (*Nouvelles observations sur le Breviaire*, 1901, pag. 10), ab Apostolica Sede exquireretur indultum persolvendi *privatim* Primam statim ac e lectulo surgimus, et Completorium dum cubitum imus, absque relatione ad ceteras horas canonicas, id optimum

Digitized by Google

esset, nec harmonia generalis officii divini iacturam aliquam pateretnr, et Ecclesiastici suas preces matutinas et vespertinas more suo funderet Deo.

III. An Episcopus aliquid possit determinare quoad officium?

Gelasius Episcopus suam putavit auctoritatem ampliorem, qua reipsa gauderet. Episcoporum potestas, quoad Officium, maxime coarctatur; Liturgia equidem Ecclesiae sub supremi Pastoris tutela unice collocata est; cum Rubricae sint leges universales, particulari Episcoporum auctoritati non subsunt; quibus nulla alia est potestas, seu potius onus, earum observantiam curandi. Nequibat proinde Gelasius facultatem concedere clericis, ut in casu; neque ad modum consilii ita se gerere poterat; nihili prorsus valent rationes quibus permotus fuit.

IV. Utrum in casu Gelasius bene se gesserit, et suae valeant rationes?

Optima quidem sententia, oportere clericos preces Deo formulis ecclesiasticis persolvere, sed minime improbare debebat Gelasius, clericos fundere etiam preces more laicorum. Exinde tamen concludi nequit, formulas liturgicas, cum praesertim obligatio accedit illas recitandi, arbitrio assumi posse, sed potius iis utendum propriis ratione et ordine, quibus ab Ecclesia praescribuntur. Antiquus usus minime hodiernos clericos eximit a praeceptorum vigentium observantia. Zelus ut *Prima* et *Completorium* debitis horis persolvantur, extendi quidem debet ad debitum quoque ordinem in toto Officio servandum. Commendandum potius clericis, ut non modo *Completorium* et *Primam* statis recitent horis, sed et *Matutinum* cum *Laudibus* inter eas opportune persolvant.

Digitized by Google

# Expositio Rubricarum.

## EXPOSITIO NOVISSIMA
### RUBRICARUM BREVIARII ROMANI

(*Continuatio.* V. num. 10, anni curr., pagg. 675-685).

## N. 7.

In fine Psalmorum semper dicitur *Gloria Patri* (750), praeterquam in Psalmo *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo,* et in Psalmo *Laudate Dominum de coelis,* qui coniunguntur cum aliis Psalmis, et in fine tantum dicitur *Gloria Patri,* ut suis locis notatur (751). Praeterea non dicitur in triduo maioris hebdomadae ante Pascha, nec in officio Defunctorum (752), cuius loco pro Defunctis dicitur: *Requiem aeternam dona eis, Domine,* etiamsi fiat Officium pro uno tantum (753).

(750) *In fine Psalmorum semper dicitur* Gloria Patri. Sicuti iam innuimus, ubi egimus de doxologia in fine hymnorum, habetur maior et minor doxologia. Prima est *Gloria in excelsis,* alia est *Gloria Patri.*

Huiusmodi formula laudis in honorem SS. Trinitatis, repetenda est a formula ipsa baptismatis (*Matth. 28, 19*). Iuxta Card. Bona (*Div. Psalm. c. 16, § 6*): certissimum est quod hymnus glorificationis ab Apostolis compositus,a Patribus Nicaenis auctus ab universa Ecclesia receptus est; ideo errarunt qui innixi aucto-

Digitized by Google

ritati Socratis (*Hist. Eccl. l. 6, c. 8 apud* Migne *P. G. 67, 691*) Monachum Flavianum Antiochenum eius faciunt auctorem. Meratus docet (*Sect. V, c. 4, n. 3*): « Modus exprimendi primam huius hymni partem varius fuit et multiplex; primo, *Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto*; secundo, ex S. Basilio (*lib. de Spir. S., c.* 27): *Gloria Patri et Filio et cum Spiritu Sancto*; tertio, *Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto*, ita legitur in vita S. Eugeniae, quae sub Commodo Imperatore floruit; quarto, Ariani his verbis ad suae haeresis patrocinium abutentes, ita dicebant: *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto*, ut colligitur ex Theodoreto (*ibid.*); quinto, Vigilius Papa (*Epist. 1*) reprehendit errorem quorumdam, qui subducta una coniunctiva syllaba, perfectum SS. Trinitatis vocabulum minuere conabantur dicentes: *Gloria Patri et Filio Spiritui Sancto.*

Quod autem tradit Walafridus (*de Reb. Eccl. c. 25* apud Migne, *P. L.* 114, 955) ubi asserit, a Concilio Nicaeno doxologiam *Gloria Patri* compositam fuisse, intelligendum est de sola illa appendice: *Sicut erat etc.* quam revera in dicto Concilio additam fuisse probat Card. Bona (*loc. cit.*), ad obstruendum sacrilegum os Arianorum iniqua loquentium, et asserentium fuisse tempus cum Filius non erat cum Patre. In illo enim Concilio haec sanctio edita est: « Quia non solum in Sede Apostolica, sed etiam per totum Orientem, et totam Africam vel Italiam, propter haereticorum astutiam, qua Dei Filium non semper cum Patre fuisse, sed a tempore fuisse, blasphemant, in omnibus clausulis, post *Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto*; *Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen* dicitur: etiam nos hoc ita dicendum decernimus ».

Notat tamen Meratus (*loc. cit.*), quod verba *per totum Orientem* addita fuisse existimandum est, nam Walafridus (*loc. cit.*) testatur Graecos non dicere: *Sicut erat in principio*, sed hoc modo: *et nunc, et semper et in saecula saeculorum.*

Cl. D. Bäumer (*T. 1, p. 177*) citat S. Amphilocum qui, in epistola in fine Synodi Iconiensis (*in* Migne, *P. G. 39, 96*) ait

Digitized by Google

« Non accepimus praeceptum solummodo baptizandi, sed et docendi et Deum laudandi; ideoque glorificare debemus Patrem et Filium et Spiritum Sanctum in canticis laudationis (δοξολογίαις) ». Item cum Probst tenet ex locis pluribus Epistolarum Apostolicarum, S. Clementis Romani, Tertulliani, Clementis Alexandrini, S. Polycarpi, S. Ignatii, Origenis et S. Basilii, huiusmodi doxologiam minorem, cum aliquibus variationibus, iam in aetate Apostolorum in usu Christianorum fuisse.

Meratus (*hoc loco*) citat Cassianum (*De inst. coenob. lib. 2, c. 8 in* Migne, *P. L. 49, 94*) qui ad rem nostram habet: « ... in provincia (Gallia) vidimus, ut uno cantante in clausula psalmi, omnes adstantes concinant cum clamore *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto*, nusquam per omnem Orientem vidimus; sed cum omnium silentio, ab eo, qui cantat, finito psalmo, orationem succedere; hac vero glorificatione Trinitatis tantummodo solere Antiphonam terminari ».

Valde igitur antiquus est usus concludendi psalmos cum *Gloria Patri.*

(751) *Praeterquam in Psalmo* Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo, *et in Psalmo* Laudate Dominum de coelis, *qui coniunguntur cum aliis Psalmis, et in fine ultimi tantum dicitur* Gloria Patri, *ut suis locis notatur.* Hisce enim in casibus, Psalmi 62 et 66, necnon Psalmi 148, 149 et 150, considerantur quasi unus Psalmus, ideoque doxologia in fine ultimi ponitur. Ex adverso in Horis minoribus, in Romano ritu Ps. 118 dividitur in undecim partes, quae accipiuntur quasi totidem Psalmi, ideoque in fine cuiusque partis ponitur *Gloria Patri.*

(752) *Praeterea non dicitur in Triduo maioris hebdomadae ante Pascha nec in officio Defunctorum.* Ob causam pluries allatam; scilicet *Gloria in excelsis* et *Gloria Patri* non tantum laudis sed et laetitiae sensum redolent, ideoque in signum moestitiae omittuntur in triduo mortis Domini, et in officio Defunctorum.

(753) *Cuius loco pro Defunctis dicitur* Requiem aeternam dona eis, Domine, *etiamsi fiat Officium pro uno.* Iuxta Ga-

Digitized by Google

vantum (*Sect. 9, c. 2, n. 3*) *Requiem aeternam etc.* habetur in Sacramentario Gregoriano; et licet sit unus tantum Versus, attamen in fine Psalmorum dividitur, quasi duo essent; ita ut tam in Officio Defunctorum Breviarii post Ps. *Dilexi* in Vesperis, quam Ritualis Romanis (*Tit. 6, c. 4, n. 1*), ita dividatur cum asterisco: *Requiem aeternam* * *dona eis, Domine*; et postea: *Et lux perpetua* * *luceat eis.*

In Responsoriis vero, sicut et in Missa integer dicitur ulla sine divisione.

Rubrica hoc loco expresse indicat, non esse variandum *dona eis, et luceat eis*, etiamsi fiat Officium pro uno. Quod congruit cum Rubrica Ritualis (*loc. cit.*) quae ait: *in fine Psalmorum dicitur* Requiem aeternam dona eis, Domine. Et lux perpetua luceat eis, *etiamsi pro uno tantum fiat Officium.* Iterum de hoc dicemus in expositione Rubricarum Officii Defunctorum.

## N. 8.

**Ut sacrae Vulgatae editionis puritas inconfusa et illibata servetur, etiam quoad interpunctionem et distinctiones in sacris Bibliis appositas, additus est Asteriscus*, ut sit nota musicae partitionis in medio versu (754).**

(754) Haec Rubrica addita est in editione Breviarii sub Urbano VIII, et ad rem notat Gavantus (*hoc loco n. 21*): « In postrema Breviarii recognitione visum est Asterisco interpungere Psalmorum versus, ut eorumdem lectio, etiam quod puncta, et commata, esset eadem, quae in vulgata editione Sacrorum Bibliorum emendatione Vaticana ultima, Anni 1598 ».

Urbanus VIII ipse in sua Constitutione d. d. 25 Ianuarii 1631, quae in principio Breviarii invenitur, ait: « Restituta in Psalmis et Canticis interpunctio editionis vulgatae, et canentium com-

Digitized by Google

modidati, ob quam eadem interpunctio mutata in interdum fuerat, additis Asteriscis consultum ».

Asteriscus enim, ut notat Rubrica, inductus est, *ut sit nota musicae partitionis in medio versu*; quod congruit cum speciali Rubrica, ante primum Psalmum ad Matutinum Dominicae posita, quae dicit: *Asteriscus* * *notat pausam cantus in choro.* Et bene, ut omnes canentes Deo, facile sciant ubi pausa unanimiter sit facienda.

## TITULUS XXIII. — De Canticis.

### N. 1.

### Cantica dicuntur in Officio de Tempore, tam de Dominicis, quam de Feriis, ad Laudes Vesperas et Completorium, ut in Psalterio distribuuntur (755).

(755) *Canticum*, iuxta Glossarium Du Cange, ex Ruffino Aquileiensi (*in Psalm.* 75) *est, cum cantantium chorus libertate sua utens, neque in consonum organi astrictus obsequium, hymno canorae vocis tantum exultat*; scilicet, sicut Psalmus ita dicitur, quia est carmen cum instrumento psalterii; canticum sic vocatur quia est vox cantantis ore solo prolata.

Cantica in divino officio saeculo IV inducta fuere, ait Bäumer (*I, 179*), et S. Ioannes Chrysostomus inter psalmos a monachis decantatos notat etiam *Canticum Isaiae.*

Decem sunt cantica in Breviario Romano, septem ex antiquo, tres ex novo testamento; in Breviario autem monastico plura habentur, quia in tertio nocturno quatuor cantica, non vero Psalmos monachi dicunt.

Digitized by Google

Ad Laudes semper quarto loco, scilicet ante ultimum Psalmum *Laudate Dominum de coelis*, quotidie dicitur unum ex Canticis antiqui testamenti, scilicet:

In Dominica Canticum trium puerorum *Benedicite omnia opera Domini, Dominum*, ex Daniele (c. III).

Feria II. Canticum Isaiae, *Confitebor tibi, Domine, quoniam iratuses mihi* (c. XII).

Feria III. Canticum Ezechiae: *Ego dixi in dimidio dierum meorum*, ex Isaia (XXXVIII).

Feria IV. Canticum Annae: *Exultavit cor meum in Domino*, ex libro Regum (I, c. II).

Feria V. Canticum Moysis: *Cantemus Domino*, ex Exodo (c. XV).

Feria VI. Canticum Habacuc: *Domine, audivi auditionem tuam, et timui* (c. III).

Sabbato aliud Canticum Moysis: *Audite, coeli, quae loquor*, ex Deuteronomio (c. XXXII).

Tria Cantica vero novi testamenti, dicuntur quotidie.

In fine Laudum, Canticum Zachariae, *Benedictus Dominus Deus Israel*, ex Evangelio S. Lucae (c. I).

In fine Vesperarum, Canticum B. Mariae Virginis: *Magnificat anima mea Dominum* (ib.).

In fine Completorii, Canticum Simeonis: *Nunc dimittis servum tnum, Domine* (ib. c. II).

## N. 2.

In festis et tempore Paschali ad Laudes semper dicitur Canticum *Benedicite*, ut in Dominica (756); et in fine eius non dicitur *Gloria Patri*, sicut in aliis Canticis dicitur, nec respondetur *Amen* (757). Alia Cantica ferialia ut in

Digitized by Google

Psalterio ad Laudes non dicuntur, nisi quando fit officium de Feria extra tempus Paschale (758).

(756) *In festis et tempore Paschali ad Laudes semper dicitur Canticum* Benedicite, *ut in Dominica.* Canticum trium puerorum, ait Gavantus (*hoc loco, n. 4*) « est festivus, et ideo in omnibus Festis dicitur; reliqua tantum in ferialibus ».

Vera tamen ratio et magis adaequata haec est; quia in omnibus festis cuiuscumque ritus, et toto tempore Paschali etiam inferiis, psalmi ad Laudes sumuntur, ex Dominica, ut supra dictum est, non ex feria occurrenti; igitur necessario et Canticum *Benedicite* non erat variandum in casu.

(757) *Et in fine eius non dicitur* Gloria Patri, *sicut in aliis canticis dicitur, nec respondetur* Amen.

Ratio huius est, quia Cantico trium puerorum additi suut duo versiculi in fine, scilicet *Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu*; laudemus et superexaltemus eum in saecula*; et hic bene locum tenet *Gloria Patri,* et est vera doxologia; ultimus autem versus, *Benedictus es, Domine, in firmamento coeli*: et laudabilis et gloriosis et superexaltatus in saecula,* sumptus est ex ipso Cantico. In libro enim Danielis huiusmodi Canticum incipit a versu 52, et desinit ad versum 88; ideoque constat versibus triginta-sex, ex quibus primi quinque dicuntur in Missa sabbati quatuor temporum, alii vero, nempe a versu 57 usque ad 88, constituunt Canticum quod dicitur in Laudibus. Omittitur ergo *Gloria Patri,* quia doxologia additur Cantico aliis verbis; non dicitur autem *Amen,* qua voce concluditur *Gloria Patri,* quia, ut nos arbitramur, eius loco suffectus est in fine Cantici praedictus versus, *Benedictus es, Domine,* quo confirmatur et rata habetur laus et glorificatio: *Benedicamus Patrem et Filium cum S. Spiritu* etc.

(758) *Alia Cantica ferialia ut in Psalterio ad Laudes non dicuntur, nisi quando fit officium de Feria extra tempus Pa-*

Digitized by Google

*schale.* Cum enim Psalmi qui ponuntur ad Laudes in singulis feriis non dicantur, nisi quando fit officium de feria, extra tempus Paschale, etiam Cantica in eis nunquam dici possunt nisi in ipsis feriis. Excipiendum est tamen ab hac lege Sabbatum Sanctum, in quo Psalmi ad Laudes non sunt de Sabbato ut in Psalterio, sicut in Feriis V et VI praecedentibus, sed proprii ponuntur; ideoque et Canticum. Nam pro Sabbato in Psalterio habetur Canticum Moysis *Audite, coeli,* in Sabbato Sancto autem dicitur aliud Canticum Moysis *Cantemus Domino.*

## N. 3.

### Canticum *Benedictus, Magnificat* et *Nunc dimittis* semper dicuntur suo loco ut in Psalterio (759).

(759) Scilicet quotidie dicuntur, et nunquam variantur. Cantica huiusmodi *Evangelia* vocabantur ab antiquioribus, in Romanis Ordinibus, quia sunt pars textus S. Evangelii, et ideo stant omnes in choro dum haec cantica dicuntur, ut fit in Missa ad Evangelium. Opportune notat Gavantus (*hoc loco* n. 6): « Plurimi initio Cantici (evangelici) formant sibi crucem in fronte ad pectus, ex Beletho, *capite 40,* quia est Evangelium: et placet, tum quia hoc praescribitur ad initium Cantici *Magnificat* in Caeremoniali Episcoporum (*lib. 2, c. 1*), tum quia idem signum, Crucis adhibentur in Missa, initio Evangelii, licet diverso modo ».

Hac super re S. R. C. (*Decr. 3127*) declaravit, *Crucis signum ad* Magnificat, *et* Benedictus, *ab omnibus faciendum esse tam in Choro quam extra*; ideoque per analogiam etiam ad *Nunc dimittis.*

(*Continuabitur*).

Doct. PETRUS PIACENZA.

Digitized by Google

# Quaestiones Liturgicae.

## De influxu Duplicis integrum Officium ac Missam habentis atque in Missis Votivis ex Indulto celebrandis commemorati.

(*Continuatio.* V. num. 11, anni curr., pagg. 686–701).

Ad III. – Adversarius noster, optime praesentiens hypothesim Indulti in Decretis 26 Ianuarii 1793 ac 12 Maii 1905 excogitatam sustineri non posse, tertio asserit confidentius Decreta mox adducta omnino censenda esse veluti abrogata, si privilegium non importent; idque vi Decretorum Generalium, quae sub die 28 Februarii et 3 Martii anno 1818, num. **2582**, et sub die 30 Iunii anno 1896, num. **3922**, § V, 2, ac § VI, prodierunt, tresque Orationes indiscriminatim etiam in Votivis ex Indulto dicendis assignasse cernuntur. Attamen, totus nisus adversarii corruit, dum priora Decreta optime cum posterioribus possint conciliari, prouti abunde probavimus; et argumenta per oppositorem allegata sophismatibus implicari, si vel leviter inspiciantur, omnibus apparent.

Enimvero, clarissimus Fourneretus perperam adducit Decretum *Urbis et Orbis* die 16 Februarii anno 1898 editum, quo nova Decretorum Collectio approbatur his expressim verbis: « *Sanctissimus Dominus Noster... statuit, Decreta* **hucusque evulgata** *in iis, quae a Decretis* **in hac Collectione** *insertis* **dissonant,** *veluti abrogata esse censenda, exceptis tantum quae pro particularibus Ecclesiis Indulti seu privilegii rationem habeant* ».

Hinc sane duae conditiones exiguntur, ut aliquod Decretum, reapse dissonans a Decisionibus apud novissimam Collectionem insertis, veluti abrogatum ex Decreto *Urbis et Orbis* 16 Februarii 1898 possit ac debeat aestimari; nempe: 1° Ut Decretum extra eamdem Collectionem positum inveniatur; quemadmodum sunt plura Decreta, quae a Gavanto, Merato, Cavalerio aliisque

Digitized by Google

Auctoribus allegantur, atque vel ne in Gardellinianis quidem editionibus eorumque Appendicibus reperiuntur, vel a novissima Decretorum Collectione exsularunt. Nam cum abrogentur Decreta « *in iis, quae a Decretis in* **hac Collectione** *insertis dissonant* »; hinc patet non agi de Decretis, quae in ipsa Collectione apponuntur; 2° Ut Decretum antecedat novissimam Collectionem, cuius quidem tomus V et ultimus anno 1901 in lucem edebatur. Etenim, cum abrogentur « *Decreta* **hucusque** *evulgata* »; inde eruitur sermonem non esse de iis Decretis, quae post annum 1901 publici iuris sint effecta, in quibus nempe Sacra Rituum Congregatio sensum antiquarum Decisionum authentice aperiat, vel melius explicet, vel si congruum videatur, aptiores normas indigitet et ab antiquis etiam diversas.

Prima autem conditio nullimode verificatur quoad Decretum sub die 26 Ianuarii 1793 editum; quoniam hoc reperitur insertum in novissima Collectione sub num. **2542**, ad I, atque in Indice Decretorum ad pag. 307 resumptum. Altera demum conditio nullatenus habetur quoad Oraculum sub die 12 Maii anno 1905 evulgatum; quoniam hoc annis quatuor novissima Collectione est recentius.

Neque magis difficultatem creant verba, quibus Decretum generale *De Missis votivis* sub die 30 Iunii anno 1896 editum et in novissima Collectione sub num. **3922** appositum, sic absolvitur: « *Non obstantibus Decretis quibuscumque* **particularibus** *in contrarium facientibus, quae per hoc Generale Decretum uti revocata ac nullius roboris habenda esse Sacra Rituum Congregatio declarat* ». Ipsius enim Decreti vis, uti considerantibus patet, ea Decreta solum particularia respicere potest, quae usque ad annum 1896 in contrarium edita reperiantur, et vel extra ipsam Collectionem remaneant, vel in ea tamquam abrogata per Indicem authenticum declarentur.

Advertendum insuper est, in eodem Decreto sub num. **3922**, reperiri clausulam: « *Non obstantibus Decretis quibuscumque* **particularibus** *in contrarium facientibus* »; qua utique non comprehen-

Digitized by Google

duntur **Decreta Generalia**, etiamsi aequivalenter talia sint, utpote Rubricas generales authentice interpretantia. De quibus utique Oraculis, audiendus est Franciscus Stella, ita omnium Liturgistarum sententiam exprimens apud Opus « INSTITUTIONES LITURGICAE » in Praeliminaribus, § III, num. 2: « *Nisi tamen Rubricas pro obiecto habeant, tunc enim earumdem naturam induunt; eoque in casu, quamvis ista Decreta particularia nuncupentur, tamen* **aequivalenter, ut Generalia** *habenda sunt, atque ut regulae universam Ecclesiam spectantes* ». Hinc Decreta sub num. **2542**, ad I, **2597**, ad II, et 12 Maii 1905, ad II et IV, dum interpretantur Rubricas generales Missalis Romani super numero et qualitate Orationum, quae in Missis votivis cum commemoratione Duplicis occurrentis celebratis sunt addendae iuxta earumdem Rubricarum titulum IV, VII, et IX, Generalia semper sunt; neque ideo, licet forent contraria, veluti abrogata censeri possunt ex Decreto Generali sub num. **3922**, quod tantum Decreta particularia in contrarium facientia atque extra novissimam Collectionem posita abolet. Rem vero in illis Decretis agi de Rubricarum interpretatione, ita innuit Index authenticus in tom. V, ad pag. 307: « *Votiva... celebranda est... cum Orationibus* **a Rubricis** *pro Missis votivis praescriptis...*; **scilicet**: *In Feriis, Simplicibus et Semiduplicibus tres dicendae sunt Orationes,* **duae in Duplicibus** ».

Mirum sane est quam in logicam is peccet, qui ex Decretis anterioribus anno 1818, 1896 et 1898 editis, censuerit abrogatum esse Decretum recentius anno 1905 evulgatum: quasi nempe Sacra Rituum Congregatio, Collectionem authenticam publici iuris faciens, perpetuo ligatas sibi manus in posterum voluerit; adeo quidem, ut Decreta ipsius Collectionis nequeat melius explicare, pressius definire, eorum vim iustis succurrentibus causis restringere, et novas etiam ac diversas normas imponere!

Itaque, etiam hoc dato et non concesso, quod Decretum die 12 Maii anno 1905 editum contrariam ab iis normam exhiberet, quae in anterioribus Decretis apud novissimam Collectionem insertis exponuntur; novissimi semper Oraculi legibus, non anti-

Digitized by Google

quiorum praescriptis Decisionum inhaerendum foret, iuxta iuris principia, quae indicant posteriore lege priorem abrogari, ubi invicem nequeant ambae componi.

Rem iuvat uno tantum exemplo confirmari, quod circa Versum *Ora pro nobis* aptissime recurrit. Sacra Rituum Congregatio, die 18 Decembris anno 1694 in una *Ordinis Discalceatorum Sanctissimae Trinitatis Congregationis Gallicanae ad I*, prouti videre est apud novissimam Collectionem sub num. **1918**, declaravit, ipsum Versiculum *Ora* bis in eadem Officii parte utpote identicum adhiberi non posse, iussitque hinc retinendum Versum *Ora* pro Deiparae Suffragio atque pro Officio recurrente sumendum alterum Versum e Communi Sanctorum. Nihilominus, eadem Sacra Rituum Congregatio die 14 Iunii anno 1901 in una *Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Americanae Cassinensis ad VI*, mutato iudicio, declaravit eumdem Versum *Ora* pluries in eadem Officii parte posse recitari, tam pro Officio occurrente quam pro Deiparae Suffragio. Si Fourneretiano Canoni obediendum foret, Decretum 14 Iunii 1901 nullius roboris esset, utpote contradicens Decretis apud novissimam Collectionem insertis, in qua sub num. **1918**, Oraculum contraria penitus iubens reperitur!

Manifestum est ergo, omnem vim tribuendam esse novissimo Decreto, quod in Votivis cum commemoratione Duplicis occurrentis habendis tertiam de Tempore excludit Orationem et interdum etiam Collectas, quamvis contraria prorsus iuberet et ab antiquiorum praescripto Decretorum apud novissimam Collectionem exstantium aliena; quoniam, cum lex prior abrogetur posteriori, Decreta antiquiora forent abolita per Decretum sub die 12 Maii 1905 editum, quo et tota vis asservatur aliis sub die 26 Ianuarii 1793 num. **2542**, ad I, et 15 Maii 1819, num. **2597**, ad II, apud novissimam editionem retentis.

(*Continuabitur*).

Fr. PASCHALIS BRUGNANI O. F. M.
ex Academiae Liturgicae Romanae Censoribus.

Digitized by Google

# Consultationes.

## Dubiorum liturgicorum solutio.

E Rochester.

**Dub.** – Episcopi extranei vel titulares possuntne, absque speciali Ordinarii loci licentia, uti baculo pastorali in Sacramentis Baptismi, Confirmationis Matrimoniique administrandis?

**Resp.** – In Caeremoniali Episcoporum (lib. I, cap. XVII, n. 5) haec legimus: « Utitur Episcopus baculo pastorali in sua tantum civitate vel dioecesi, et etiam alibi *ex permissione loci Ordinarii*, et ubi consecrationes, aut ordinationes, vel benedictiones personales facere, ipsi Apostolicá auctoritate conceditur ».

S. R. Congregatio die 1 Sept. 1607, in *Bracharen.*, n. 236, declaravit, Episcopum Suffraganeum pontificali ritu celebrantem « non debere uti baculo pastorali, nisi quando tenuerit ordinationes vel alias functiones fecerit, in quibus, iuxta regulas libri Pontificalis, *eo uti debet et necesse est* ». Eadem S. R. Congregatio die 6 Sept. 1895, n. 3873, ad dubium IV: « Anne Episcopi Suffraganei et Titulares in aliena dioecesi baculum pastoralem deferre valeant », rescribendum censuit: « *Affirmative* ex permissione Archiepiscopi vel Episcopi Ordinarii loci; et quando tenuerint Ordinationes, consecrationes aliasque functiones, in quibus iuxta regulas libri Pontificalis *baculo pastorali uti debent et necesse est*, iuxta Caeremoniale Episcoporum (Lib. I, C. 17) et Decretum *Bracharen.* diei 1 Septembris 1607 ».

Itaque Episcopi extranei vel Titulares baculum pastoralem adhibere solummodo valent, quandocumque aut specialem eius licentiam ab Episcopo loci ordinario obtinuerint, aut licite aliquam functionem peragant, in qua usus baculi ex rubrica *requiratur*, uti in consecratione ecclesiarum. Cfr. etiam Decretum S. R. C. 4 Nov. 1905, apud *Ephem. Liturg.*, vol. XIX, pag. 705.

Digitized by Google

Iamvero in Sacramentis Baptismi, Confirmationis vel Matrimonii administrandis, rubricae praescribuntne usum baculi?

Ad Baptismum quod attinet, legitur in Rituali Romano (tit. II, cap. VI) ritus servandus cum Episcopus baptizat; ibi autem (loc. cit., n. 3), quamvis explicite paramenta ab Episcopo induenda, haud excepta mitra, assignentur, nihil dicitur de baculo pastorali. Nihilominus in Appendice ad Pontificale Romanum (*Ritus pro Baptismo parvulorum, aut adultorum*) aliquoties mentio fit de baculo pastorali.

Quoad sacramentum Confirmationis, Pontificale Romanum (Parte I, *de Confirmandis*) praescribit, ut Episcopus baculum pastoralem in sinistra teneat, dum populum coram se stantem admonet, quod nullus alius, nisi solus Episcopus, Confirmationis ordinarius minister est; in Appendice autem ad idem Pontificale (*Confirmatio uni tantum conferenda*) additur, Episcopum tenere baculum pastoralem etiam ad verba *N. signo te etc.* nec non ad verba *Benedicat te Dominus etc.* Nihilominus, ut legitur in eadem Appendice, Episcopus potest hoc sacramentum minus solemniter conferre, idest cum stola et mitra, sine tamen pluviali, quo in casu usus baculi omitti potest, uti auctores docent (De Herdt, *Prax. pontif.*, tom. III, n. 350, § II).

Tandem ritus, qui in Appendice ad Pontificale Romanum extat pro celebrando Matrimonii sacramento, non absolute baculi usum praescribit, sed tantum iubet, ut paretur baculus pastoralis, « *si eo* (*Episcopus*) *utatur* ».

Ergo clarum est, in Matrimonii sacramento administrando Episcopos extraneos vel titulares speciali indigere facultate, ut baculum pastoralem adhibere valeant, neque ad hoc sufficere licentiam nuptiis benedicendi.

Idem quoque dicendum est prorsus quoad sacramenta Baptismi et Confirmationis; neve excipiatur admonitio, quae ab Episcopo fieri solet, antequam Confirmationis sacramentum administretur, quia, licet cum baculo fiat, hoc tamen intelligi debet de solo Episcopo Ordinario; extraneo enim applicari nequit, cum



Digitized by Google

praedicatio numquam comprehensa fuerit inter functiones quae usum pastoralis exigunt, uti sunt Consecrationes Episcoporum vel Ecclesiarum.

Neque valet opponere *Appendicem* Pontificalis, rubricae enim in *Appendice* Pontificalis Romani inscriptae, indicant in casu, Episcopos *Ordinarios posse* quidem, non autem debere uti baculo; quia si eius usus esset *de praecepto*, omissus non fuisset neque in Rituali, quoad Baptismum, neque in corpore Pontificalis, quoad Confirmationem. Quapropter rubricae dictae Appendicis vim obligandi non habent, nisi aliunde, v. gr. ex Decretis S. R. C. vel ex aliis rubricis quae in *corpore* ipsius Pontificalis Romani leguntur, obligationem desumant (Cfr. *Ephem. Liturg.*, vol. XIII, pag. 248, et Decretum S. R. C., n. 3832 ad VI).

Concludendum igitur est, Episcopum extraneum vel titularem uti non posse baculo in Baptismi, Confirmationis Matrimoniique Sacramentis administrandis, nisi permittente Episcopo loci Ordinario; sede autem vacante, Vicarius Capitularis, ad mentem citati decreti 4 Nov. 1901, concedere nequit usum baculi, qui cum in casu non sit de praecepto ritus, adhiberi non potest.

### Pro Civitate Conimbrica.

Quamvis festum SS. Cordis Iesu, attento speciali privilegio, in Regno Lusitaniae sit *per accidens* primarium (S. R. C., 10 Maii 1895, n. 3855 ad 5), nihilominus festum praecipui Patroni loci, iuxta Rubricas et Decreta, tam in occurrentia quam in concurrentia non cedit nisi festis *solemnioribus* universalis Ecclesiae, quae indicantur in § I Catalogi festorum primariorum a S. R. C. approbati per Decretum generale d. 27 Aug. 1893, n. 3810. Cfr. *Ephem. Liturg.*, vol. XII, pag. 444, et vol. XIII, pag. 80.

### Pro Hispania.

Cum ex Apostolico privilegio omnibus Hispaniae ecclesiis iampridem concesso addi possit in omnibus Missis Collecta *Et famulos tuos* tam post primas Orationes quam post Secretas et

Digitized by Google

Postcommuniones, nihil obstat, quominus Episcopus loci Ordinarius eamdem Collectam iisdem in casibus recitandam praecipiat.

PRO ARIANO APULICO.

Tabernaculum, in quo SS. Sacramentum asservatur, etiamsi argento, auro vel alia pretiosa materia confectum sit, iuxta Rituale Romanum ac S. R. C. Decreta, conopaeo tegendum est; huius tamen *forma* non praescribitur, et communiter hoc ad instar tentorii conficitur (cfr. *Ephem. Liturg.*, vol. III, pagg. 671 et 764, vol. IV, pag. 384, ac vol. VI, pag. 27). In anteriori autem parte conopaeum ita disponi potest, ut ostiolum tabernaculi detectum appareat, quemadmodum in pluribus ecclesiis etiam Urbis cernitur.

# Palaestra liturgica.

## SOLUTIO QUAESTIONIS pro mense Iulio 1906 propositae.

### De occurrentia perpetua festorum.

**Quaestio.** – Si duo festa eiusdem ritus ac dignitatis, alterum universale, alterum particulare, simul perpetuo occurrant in eamdem diem similiter propriam, estne praeferendum festum universalis Ecclesiae, iuxta Decretum S. R. C., n. 2682 ad 37? An potius praecedentia competit semper festo particulari, iuxta Decreta S. R. C., n. 1663 ad 1, n. 2319, reliq. dub. ad 1, et n. 2598 ad 1?

**Solutio.** – Iurgium non leve inter Rubricistas exortum est circa praeferentiam festis calendarii particularis et universalis simul

Digitized by Google

occurrentibus exhibendam. Alii particularia universalibus anteponebant, alii vero universalia particularibus. Unde multum discolor agendi ratio per singulas vagabatur ecclesias.

Sed quid dicam? Hodie eadem causa nobis proponitur, quasi adhuc sub iudice ob quamdam apparentem decretorum dissonantiam. Quam immerito, videbimus infra! Prius autem fas nobis sit nonnulla praenotare ad nodum difficultatis clare statuendum.

Duo festa supponuntur eiusdem ritus. Ambo sunt primaria; occurrunt enim in diem similiter *propriam*, idest, sive in ipsam diem *natalitiam*, qua Sancti vitam ingressi sunt aeternam, sive in *quasi-natalitiam*, quam S. Sedes extra natalitiam fixe elegit ad liturgica eorum festa quotannis recolenda, et omnes norunt diem, sive natalitiam, sive quasi-natalitiam, non esse nisi primariam (S. R. C., 22 Aug. 1893, n. 3810, *De festis primariis*, § IV; 21 Nov. 1893, n. 3811, ad V). Ambo pariter dicuntur eiusdem dignitatis, et certe deinceps stabilem sedem habent in aliqua die mensis determinata, quoniam perpetuo simul occurrere notantur. Unde iam resultat, haec omnia, utpote in utroque festo paria, ad solutionem inservire non posse.

Sed gressum faciamus. Quid sibi vult unum festum *universale*, et unum festum *particulare?* An ambo idem sonant quam festum *magis proprium*, et festum *minus proprium?* Hic iacet tota solutio difficultatis. Si enim alterutrum est magis proprium, habemus Rubricam tit. X, n. 6, pro coronide dicentem: « denique ceteris paribus, fiat de magis proprio prae minus proprio », et si neutrum est magis proprium, superest ut iuxta decretum generale 21 Nov. 1893, n. 3811, ad I, de antiquo fiat prae recentiori. Hinc maximi momenti est exactam dare notionem utriusque festi.

Non immorabimur super definitione festi universalis; illud est quod celebratur in universali Ecclesia et inscribitur in Calendario Breviarii Romani. Ad festum autem particulare quod attinet, modo habetur pro festo magis proprio, modo habetur pro festo simpliciter alicubi concesso.

Digitized by Google

Priorem sensum habet, quando praeter suam inscriptionem in Calendario unius Regionis, Dioecesis, Ordinis, vel Ecclesiae particularis, gaudet insuper peculiari relatione ad locum et personas, ubi et a quibus celebrandum est. Huius speciei sunt videlicet: Sanctus, cuius corpus vel insignis reliquia asservatur in parochiali ecclesia; Titulus vel Patronus ecclesiae propriae; sanctus Fundator Ordinis relate ad suam Congregationem; aliquis sanctus Episcopus relate ad suam Dioecesim, et similia. (Cf. *Ephem. Lit.*, vol. 16, p. 98).

Retinet autem solummodo posteriorem sensum, quando quidem alicui Dioecesi vel Ordini per Indultum conceditur, sed nullam dicit attinentiam ad personas et locum, ubi et a quibus recolendum est. Huius generis sunt festa Maternitatis ac Puritatis B. M. V., festa sanctorum Summorum Pontificum, extra Urbem per indultum passim concessa, et similia.

Ex quibus dictis concludimus: ceteris paribus, festum particulare, in primo sensu, semper festo universali anteponi debebit; sed contra, in secundo sensu, festum particulare, nisi sit antiquius, semper festo universali gressum cedere debebit. Et sic abit in fumum omnis dissonantia, quae primo aspectu inter plura decreta existere videbatur.

In cuius confirmationem, reliquum est, cum principiis memoratis conferamus varia decreta, de quibus hic litigatur. Primum est decretum n. 2682 ad 37.

Hic supponitur unum Officium, quod, die fixa celebratur in aliqua Dioecesi, per Sedem Apostolicam ad aliam Dioecesim extendi, et quaeritur. Potestne aut debet celebrari eadem die, amoto Officio Ecclesiae universalis? Et in casu negativo, quid faciendum si talis amotio ab annis iam facta fuerit?

Vide nunc sapientiam S. R. Congregationis rescribentis: « Negative, ad primam partem; iterum supplicandum, quoad secundam ». In hypothesi, duo Officia simul perpetuo occurrentia, unum universale, alterum particulare, reputantur prorsus paria. Quum autem festum Dioecesi concessum per indultum nihil

Digitized by Google

proprii habeat relate ad eamdem titulo ortus, vel miraculorum, vel occubitus etc., tunc aequum iudicatur, ut non exturbetur festum ecclesiae universalis, iuxta axiomata « *Melior est conditio possidentis* », et adhuc « *Qui prior est tempore, potior est iure* ».

In secundo decreto n. 1663 ad 1, ubi e contra festum proprii Ordinis occurrit cum festo Ecclesiae universalis, S. R. C. respondet: « Transferendum Officium de Calendario, et recitandum Officium Sancti *proprii*... ». Quare haec differentia solutionis? Quia hic agitur de Officio peculiarem attinentiam habente cum Ordine, cui conceditur; mutato autem casu, mutatur et decisio, quin adsit contradictio. Quoad clausulam « *dummodo sit antiquior* », quae limitare videtur declarationem S. Congregationis, de illa ratio non videtur esse habenda, nisi ad mentem generalis decreti n. 3811, ad I, ut antea notavimus.

Doctrina, quam tuemur, a tertio decreto n. 2319, *reliq. dub.* ad 1, uberem accipit confirmationem. Illud enim non solum affirmat praelationem Sanctorum *propriorum* super festis Ecclesiae universalis, sed et ordinem praelationis sequendum declarat, quando omnia, iam prorsus paria, sunt quoque plus minusve *propria* respectu loci et personarum, ubi et a quibus sunt celebranda, et expresse dicit S. Congregatio: « Primum locum habebit Officium Ecclesiae particularis, 2. Ordinis seu Religionis, 3. Dioecesis, 4. Nationis, 5. Ecclesiae universalis ». Hinc, festa quae magis sunt propria et particularia, aliis, quae magis universalia sunt, praeferuntur, ita ut festa Ecclesiae universalis novissimum locum teneant (cfr. Cavalieri, tom. I, cap. 26, dec. X).

Superest ultimum decretum n. 2598 ad 1. Capitulum cathedralis Pisaurensis ab Apostolica Sede concessionem obtinuerat festorum sub ritu dupl. Sanctorum Romanorum Pontificum. Unde necessitas reformandi Calendarium huius Ecclesiae, quatenus alia festa aequalis vel superioris ritus iampridem occupabant dies in Martyrologio notatos ad eorum liturgicam celebrationem. Calendarista autem reliquit in sua sede propria, seu 25 Maii, Officium S. Gregorii PP. VII Conf. iam in universali Ecclesia celebratum

Digitized by Google

sub ritu dupl., et amandavit illud S. Urbani PP. Mart., cuius tanquam simplicis dicta die 25 colebatur memoria, ad diem 28 eiusdem mensis sub suo novo ritu dupl. Paulo post, idem Calendarii Moderator mutat sententiam et, translato ad diem 28 Maii festo S. Gregorii, reducit S. Urbanum ad diem 25, et merito. Si quidem, ait Gardellini in notis super hoc decreto, longe priusquam de S. Gregorio festum die 25 Maii celebraretur, universalis Ecclesia S. Urbanum, licet ritu simplici, venerabatur, et adhuc venerari non cessat cum S. Gregorio, faciens de uno Officium, de altero simplicem Commemorationem. Sed in casu, ubi aequali ritu uterque colitur, cuinam aliam adsignare sedem? Illi certe qui, licet potior in ritu fuerit, posterior tamen est in veneratione et cultu; ac, utpote Confessor, in paritate cedere debet Martyri, qui longe prius propriam habebat sedem in die 25 Maii, licet ritu simplici gauderet; ergo cum modo par sit utriusque ritus, a propria sede S. Urbanus exturbandus non est, proptereaque transferendus S. Gregorius ad primam diem non impeditam. Debet enim praevalere ut antiquior, qui vere antiquior est antiquitate cultus, prout scilicet memoria illius instituta fuit ante festum alterius (cfr. Vol. IV Decretorum, pag. 190, et Cavalieri, tom. II, cap. 26, dec. 2).

Quum tamen dubitari posset utrum necne id praestari valeat ab Ordinario, et an conveniens sit et rationabile, res S. Congregationi defertur, nempe: An in casu Ordinarius possit transferre S. Gregorium a die 25 ad diem 28, et S. Urbanum a die 28 ad diem 25; et an rationabile sit quod fiat? Porro, quaenam fuit responsio? « Affirmative, in casu, de quo agitur, quoad utramque dubii partem; et Officium S. Gregorii VII transferendum esse non in diem 28, in quo incidit festum S. Bonifacii Papae et Conf., sed in diem 29 iuxta Proprium Sanctorum Summorum Pontificum ».

Numquid vero ex his concludere oporteat, Officia alicui Dioecesi concessa praevalere super aliis Ecclesiae universalis? Minime gentium, quoniam in casu nullam cum praefata Dioecesi habent

Digitized by Google

relationem. Sed decretum probat alteram partem nostrae assertionis principalis, nempe festa ex indulto aliquibus concessa, posse per exceptionem praevalere in diebus tamen iam praeoccupatis, quando ceteris paribus sunt antiquiora, et ita nulla est dissonantia, re mature perpensa, inter decreta proposita.

Ceterum praefatum decretum n. 2598 ad 1 non amplius servatur; nam tum in Proprio Pisaurensi, tum in Proprio Cleri Romani a S. R. C. approbato, die 25 Maii nunc assignatur festum S. Gregorii VII, die 28 festum S. Urbani I, ac die 29 eiusdem mensis festum S. Bonifacii IV; decretum autem S. R. C. diei 18 Dec. 1877, in *Senen.* ad VI, quo illud confirmabatur, e nova decretorum collectione expunctum est.

A. FOURNERET
ex Acad. Liturg. Rom. Censoribus.

## QUAESTIO A CONSOCIATIS SOLVENDA pro mense Februario 1907.

### De festo Dedicationis propriae ecclesiae.

Ob rationabiles causas quidam Episcopus statuit consecrare ecclesiam in die festo Titularis eiusdem, et in ipso consecrationis actu decernere, ut anniversarium Dedicationis in posterum celebretur die iam hic et nunc elapso.

Quaeritur: Quomodo se geret Rector dictae ecclesiae quoad Officium et Missam tum Titularis tum Dedicationis sive in ipsa die, sive per octavam, currenti anno?

Digitized by Google

# Ius Liturgicum.

(*Continuatio.* V. num. 10, anni curr., pagg. 630–633).

322. Romani mensem computabant a tribus his statis diebus, quorum appellationis haec est origo: *Kalendae*, a καλέω (voco), ex antiquo more, quo prima die mensis, Pontifex iunior, facto sacrificio, populum convocabat, ut illi annuntiaret dies sacros Iunoni, qui computabantur a Kalendis usque ad Nonas. *Nonae* erant nonus dies ante idus. *Idus*, ex archaico hetrusco verbo *iduare* (dividere), indicabant mensis medietatem, quamvis non mathematicam.

323. En prospectus, memoriae iuvandae gratia, synchronicorum mensium, ad Nonas, Idus et Kalendas designandas:

*Martio, Maio, Iulio, Octobri* (artificiose: Mar-ma-iul-o):
NONAE die 7: hinc secunda mensis dicetur *Sexto Nonas*:
IDUS die 15: hinc octava mensis dicetur *Octavo Idus*:
Ceteris mensibus:
NONAE die 5: hinc secunda mensis dicetur *Quarto Nonas*:
IDUS die 13: hinc sexta mensis dicetur *Octavo Idus.*

Post Idus statim incipiunt nominari Kalendae tot ante diebus quot hoc in prospectu:

*Februario*: XVI°.
*Martio* aliisque, ut sup.: XVII°.
*Aprili, Iunio, Septembri, Novembri* (qui dies numerant triginta): XVIII°.
*Ianuario, Augusto, Decembri* (qui dies numerant 31, praeter supra notatos): XIX°.

324. Scitu Calendaristae ecclesiastico necessarium est, quibusnam diebus anni incidant *dies dominici*, atque hisce cognitis, quibus et ceteri hebdomadae (1). Id obtineri potest ope septem priorum

(1) Reiectis profanis appellationibus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, Ecclesia dies hebdomadae distinxit ordine feriarum, post *Dominicam:*

Digitized by Google

alphabeti Litterarum, quae ab initio Calendarii usque ad anni finem suo ordine describuntur; quarum una, quadam methodo adhibita, de qua inferius, cum fuerit regulariter delecta, iugiter Dominicam designabit: exinde orta denominatio *Litterarum Dominicalium*. Annis tamen bissextilibus, eo quod dies unus additur mensi februario, ne cyclus immutetur Litterarum harum, additur alia littera, seu potius repetitur littera *f*, quae respondet diei 24, ut inserviat quoque pro 25; sed consequenter, eo anno Littera Dominicalis immutanda est, diebus sequentibus diem 24; quia si *f* die 24 significat v. gr. Sabbatum, die 25 significabit evidenter Dominicam. Unde in bissextilibus duae habentur Litterae Dominicales: altera quae inserviat usque ad diem 24 Februarii, altera quae inserviat a die 25 eiusdem, usque ad anni finem. Erit autem haec Littera praecedens, quia Litterarum successio retardatur, ut in casu allato; si enim *f* significabat Sabbatum, ab anni initio, *g* significabat Dominicam; nunc vero erit *f* significatura Dominicam. Communiter haec mutatio fit die 1ª Martii.

325. Cum dicitur Dominica prima mensis, si agitur de periodo hebdomadarum ad S. Scripturam legendam, ut in Breviario Romano ante Dominicam Iam Augusti, ea intelligitur quae est in Kalendis, aut proximior Kalendis mensis indicati; si de festis, intelligitur quae est in Kalendis, vel post Kalendas.

326. Quomodo Littera Dominicalis inveniri queat, dicemus Art. III, nn. 359-363. Item quomodo sciri possit dies hebdomadae, cuilibet dato diei mensis respondens, dicemus in Appendice Articuli III, nn. 371-378, quando de Littera Dominicali invenienda edocti fuerimus.

*Feria II, III, IV, V, VI*, retento septima die hebraeo nomine *Sabbati*. Ad divina Officia celebranda dies computatur a Vesperis (pridie) ad Vesperas (diei curr.). Ad diem natalem Sanctorum statuendum, ad praeceptum feriationis implendum, ad ieiunium servandum, ad Indulgentias lucrandas (nisi aliter pro hoc ultimo casu statuatur), a media nocte ad media noctem. Iuverit meminisse, tempus medium Romae, antecedere tempus verum, momentis primis 10 et secundis 4.

Digitized by Google

327. Scitu adhuc necessarium est, quando occurrat *Dominica prima Adventus*, quae est anni ecclesiastici initium (1). Cum hoc initium Dominica proximiori festo S. Andreae, nisi hoc ipsum in Dominicam incidat, fieri statutum sit, a Littera Dominicali simpliciter dependet; nulla hic difficultas.

328. Item novisse oportet, quando incidant *Quatuor* anni *Tempora* ieiuniorum, quae statutum est celebrari: 1° post Dominicam III Adventus; 2° post Dominicam I Quadragesimae; 3° post Dominicam Pentecostes; 4° post festum Exaltationis S. Crucis. Primum et quartum a Littera Dominicali dependent, nulloque labore inveniuntur; secundum et tertium a Paschate: de his in Articulo III agemus.

329. Interest insuper scire, quibusnam temporibus *solemnes Nuptiae* prohibeantur, iuxta Concilii Tridentini praescriptum (Sess. XXIV, cap. X, De Ref. Matr.). Et cum tempus vetitum decurrat: *a*) a Dominica I Adventus usque ad Epiphaniam, hoc pendet a Littera Dominicali; *b*) a Feria IV cinerum usque ad octavam Paschatis, hoc pendet a Paschate.

(*Continuabitur*). Ios. M.

(1) Initium quoad principalia mysteria ordine quodam recolenda; quia v. gr. non datur translatio festorum post diem 31 Decembris, bene vero ab antecedentibus mensibus ad Decembrem. In Brevibus Pontificiis scribendis, anno initium datur a Nativitate Domini; in Bullis ab Incarnatione.

Digitized by Google

# Chronica.

*Die 13 Novembris 1906*, in Palatio Apostolico Vaticano, habita fuit Congregatio Ss. Rituum Generalis coram SS.mo, in Causa *Neapolitana*, Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Ianuarii Mariae Sarnelli, Sacerdotis professi e Congregatione SS. Redemptoris, super dubio: « An constet de virtutibus Theologalibus, nec non de Cardinalibus earumque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur? » Interfuerunt autem, et suffragium tulerunt, R.mi Patres Consultores Theologi, Praelati Officiales, et E.mi ac R.mi PP., sacris tuendis Ritibus praepositi, quo suffragio *constare* censuerunt Dominica porro 1ª Adventus, die scilicet 2 Decembris, SS. D. N. hanc sententiam solemniter confirmavit. Decretumque hac de re vulgari iussit.

*Die 20 Novembris 1906*, in eodem Palatio Apostolico, habita fuit Congregatio Ss. Rituum *Specialis-Rotalis*, in qua infrascriptae causae Relatae sunt: 1. *Guastallen.*, Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Laurentii a Zibello, Sacerdotis Professi ex Ord. Minorum S. Francisci Capuccinorum, super dubio: « An constet de validitate Processuum, testes sint rite ac recte examinati, ac iura producta legitime compulsata? » E.mo et R.mo D. Card. V. Vannutelli, ponente; 2. *Parisien.*, Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Theresiae a S. Augustino, Monialis Professae Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, super dubio: « An constet de validitate et de relevantia Processuum, testes sint rite ac recte examinati, et iura producta legitime compulsata? » E.mo et R.mo D. Card. Ferrata, ponente; 3. *Lincien.*, Beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Francisci Iosephi Rudigier, Episcopi Lincien., super dubio: « An sententia Iudicis delegati ab Ill.mo ac R.mo D. Episcopo Lincien., super cultu praefato Ven. Servo Dei nunquam exhibito, sit confirmanda? »

Digitized by Google

E.mo et R.mo D. Card. Ferrata, ponente; 4. *Lucen.*, Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei CAESARIS FRANCIOTTI, Sacerdotis Professi Congregationis Clericorum Regularium Matris Dei, super dubio: « An constet de validitate et de relevantia Processuum, testes sint rite ac recte examinati, et iura producta legitime compulsata? » E.mo ac R.mo D. Card. Martinelli, ponente.

*Die 27 Novembris 1906*, in Aedibus E.mi ac R.mi Domini Card. Ferrata, Relatoris, habita fuit Sacrorum Rituum Congregatio Antepraeparatoria, in Causa *Romana* seu *Parisien.*, Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Sor. MAGDALENAE SOPHIAE BARAT., Fundatricis Societatis Sororum a S. Corde Iesu, super dubio: « An, et de quibus Miraculis constet, in casu et ad effectum de quo agitur? » Interfuerunt autem, et suffragium tulerunt R.mi Patres Consultores Theologi, et Praelati Officiales.

Digitized by Google

# Nuncia.

Hoc numero expletur volumen XX nostrarum *Ephemeridum Liturgicarum*; quamprimum, Deo auxiliante, redigetur Index alphabeticus rerum notabilium, quae in XX voluminibus iam editis continentur; et cum publici iuris fiet, nostris lectoribus annuntiabimus.

Interim eos omnes, qui venturo quoque anno 1907 easdem *Ephemerides* recipere cupiunt, enixe exoramus, ut consociationis pretium cito tansmittere dignentur, cum claro proprii nominis locique indicio: (All' Amministrazione dell'*Ephem. Liturg.*, Desclée, Lefebvre et Soc., Piazza Grazioli, Palazzo Doria - ROMA).

Quod autem attinet sive ad dubia resolvenda sive ad articulos inserendos, Directioni mittatur: (Alla Direzione dell' *Ephem. Liturg.*, via della Missione, n. 2 – Roma).

Tandem ovantes monemus venerabiles Consociatos nostros, quibus et omnia fausta adprecamur, quod nonnulli viri, in re liturgica valde periti, inter quos Cl.mi Can. Alexander Grospellier et P. Mathias Federici Oratorianus, *Ephemerides* nostras sapientibus suis elucubrationibus deinceps exornabunt.

Digitized by Google

# Index

## Capitum et Articulorum cuiusque materiae huius XX Tomi.

### Decreta SS. Romanarum Congregat.

### E S. Rituum Congregatione.


*Ordinis Minorum Capuccinorum Prov Rheginensis.* 22 Aug. 1905. De Patroni festo a Regularibus celebrando . . . . . Pag 5

*Buscoducen.* 24 Nov. 1905. De diebus Missam exequialem impedientibus . . . . . 7

*Dubiorum.* 24 Nov. 1905. De paramentis nigris ac palla calicis 10

*Tergestina et Iustinopolitana.* 3 Iun. 1904. De benedictione in articulo mortis, ac de recitatione divini Officii in lingua vernacula; de quibusdam abusibus in Missis canendis . . . . 65

*Rhemen.* 1 Dec. 1905. De festis exequias defunctorum impedientibus . . . . . 68

*Ord. Carmelitarum Antiquae Observantiae.* 1 Dec. 1905. De Officio S. Familiae atque Lectionibus I Noct. iuxta ritum carmeliticum . . . . . 70

*Ord. Min. Capuccinorum.* 9 Sept. 1905. De officiis et suffragiis Titularium recitandis a Regularibus dispersis . . . . . 129

*Ord. S. Benedicti.* 26 Ian. 1906. Indultum quoad translationem festorum dupl. 1ae vel 2ae cl. 130

Declaratio circa editionem et approbationem librorum cantum liturgicum gregorianum contitinentium. 14 Febr. 1906 Pag. 132

*Ord. Fratrum Minorum.* 12 Maii 1905. Solvuntur plura dubia super celebrandis Missis votivis ac praesertim Imm. Conc. B. M. V. . . . . 193

*Ord. Fr. Minorum. Prov. Apuliae.* 19 Ian. 1906. De collectis ab Ordinario imperatis, de Missa conventuali lecta, de administratione Sacrae Communionis, ac de processione pro indulgentia Portiunculae . . . . 199

*Vilnen.* 16 Febr. 1906 De Missa votiva « Rorate », de Pyxidis expositione, ac de Reliquiis in altaris sepulcro includendis . 203

*Societatis Salesianae.* 16 Febr. 1906. De ritibus servandis in expositione SS. Sacramenti . . . 206

*Ord Fr. Minorum Prov. S. Leopoldi.* 22 Dec. 1905. De colore stolae in absolutione generali impertienda . . . . . 257

Declaratio super Motu-proprio de Protonotariis Apostol.. 14 Mart. 1906 . . . . . 258

Decretum de Clerico loco Subdiaconi vel Cappellani in Missa inserviente. 14 Mart. 1906 . . 265

Animadversiones in dictum Decretum, commentarium . . . 336

*Ord. Fr. Minorum.* 14 Mart. 1906. Approbantur propria Officia cum Missis de Mysteriis Viae


Digitized by Google

Dolorosae D. N. I. C. atque de septem Gaudiis B. M. V. Pag. 271
*Ord. Fr. Min. Prov. Apuliae.* 16 Febr. 1906. De Officiis recitandis a Regularibus . . . . . 321
Commentarium . . . . . 387
*Samogitien.* 17 Mart. 1906. De Absolutione ad tumulum . . 325
*Lincien.* 2 Apr. 1906. De pio Legato servando . . . . . 326
*Ord. S. Benedicti.* 9 Maii 1906. Additio Martyrologio Ord. S. Benedicti inserenda quinto Idus Iulii . . . . . 328
*Ord. Min. Capuccinorum.* 22 Ian. 1906. Conceditur Tertiariis Regularibus Ord. Min. Capuccinorum adhaerentibus usus Calendarii, Missalis ac Martyrologii Capuccinorum . . . . 385
*Ord. Min. Capuccinorum.* 25 Maii 1906. De privilegio celebrandi Missam votivam Immac. Conc. B. M. V. . . . . 513
*Piscien.* 21 Iul. 1906. De Canonicis honorariis quoad usum insignium. . . . . 577
*Aversana.* 8 Aug. 1906. Quo loco in processionibus incedere debeant laici aliquo catholico signo exhornati . . . . . 578
*Ordinis Cisterciensis.* 8 Nov. 1905. De variationibus in Calendario Cisterciensi peragendis . . . 641
*Tarbien.* 5 Iul. 1901. De lectionibus I noct. et de Missa exequiali . . . . . 705

## E S. Congregatione Indulgentiarum et Reliquiarum

Breve quo pium opus a praeservatione fidei pluribus indulgentiis ac privilegiis ditatur . . 13
Sanantur receptiones hucusque invalide peracta ad Confr. B. M. V. de Monte Carmelo . . 18
*Patavina.* De indulgentiis pluries lucrandis et de Ecclesia parochiali visitanda. . . . Pag. 74
Indulgentiae conceduntur recitantibus quandam precem in fine divini Officii vel Officii B. M. V. 75
Conceditur indulgentia 300 dierum recitantibus Orationem ad S. Ioseph, pro dierum festorum sanctificatione . . . . 133
Conceditur indulgentia 300 dierum recitantibus quasdam iaculatorias preces . . . . . 135
Conceditur indulgentia 300 dierum recitantibus precationem pro bona morte impetranda . 136
Conceditur indulgentia 200 dierum recitantibus orationem ad B. V. Dolorosam . . . . . 212
Indulgentia 200 dierum conceditur recitantibus iaculatoriam precem ad Nostram Dominam Captivorum Liberatricem . . . 214
Indulgentia 300 dierum conceditur recitantibus orationem ad Iesum defunctum . . . . . 215
Privilegium conceditur fidelibus Sacram Communionem quotidie sumentibus . . . . . 217
Conceditur indulgentia fidelibus pro Neerlandiae conversione orantibus . . . . . 275
Indulgentia 300 dierum conceditur fidelibus quandam precem recitantibus . . . . . 329
Indulgentia 300 dierum conceditur quandam iaculatoriam precem recitantibus . . . . . 330
Privilegium Sacerdotibus Congr. Missionis conceditur quoad impositionem Scapularium. . . 393
Indulgentia 300 dierum conceditur recitantibus quandam precem ad S. Ioachim . . . . 394
Indulgentia plenaria conceditur fidelibus renovantibus promis-

Digitized by Google

siones in suscipiendo Baptismate emissas . . . . . Pag. 457
Indulgentiae concedutnur fidelibus quasdam invocationes seu preces recitantibus . . . . . 458
Indulgentiae conceduntur fidelibus quasdam preces recitantibus vel aliud pium opus agentibus . 514
Absolutio generalis ac plenaria indulgentia conceduntur pro festis Mysteriorum Viae Dolorosae et Septem Gaudiorum B. M. V. . . . . 579
De Religiosis votorum simplicium ad saeculum redeuntibus . . 580
Dubia solvuntur quoad indulgentias Tertiariis concessas . . . 581
De Numismate S. Benedicti . . 583
Indulgentiae conceduntur pro pio exercitio mensis SSmo Iesu Cordi dicati . . . . . 584
Preces quotannis recitandae indicuntur in festo SSmi Cordi Iesu . . . . . 586
De corona septem gaudiorum B. M. V. . . . . 642

## E S. Concilii Congregatione.

De norma servanda in causis, quae apud S. C. Concilii agitantur 123
De quotidiana SS. Eucharistiae sumptione . . . . . 183
De Seminariorum alumnis . . 188
De iuribus Capellanorum Confraternitatum quoad Missas cantatas, funera defunctorum, triduanas ac novendiales preces . 452
De alienatione publicarum versurarum . . . . . 507
Super eleemosynis Missarum . 508

## E S. Congr. Episcoporum et Regularium.

De dispositione reddituum mutanda a Moniali simpliciter professa . . . . . 446

## E Sacra Congregatione Indicis.

Damnantur opera a *Lizzocci* et *Maggioni* edita . . . . Pag. 126
Damnantur opera a *Viollet*, *Laberthonnière* et *Fogazzaro* edita 318

## E Sacra Congr. S. Officii.

Brevis forma determinatur pro administranda Extrema Unctione in casu necessitatis . . . . 449
De ieiunii et abstinentiae lege . 634

## E Commissione Biblica.

De Mosaica authentia Pentateuchi . . . . . 509

## Brevia, Epistolae, Litterae Apostolicae, Motu Proprio SS. D. N. Pii PP. X.

Constitutio Gregorii PP. XIII, qua Rubricae Breviarii Romani magnopere illustrantur. 30 Dec. 1573 . . . . . 521
Litterae Apostolicae de ratione studiorum S. Scripturae in Seminariis Clericorum servanda . 377
Privilegia conceduntur Collegio S. Thomae Aquinatis de Urbe 381
Litterae Apostolicae quibus universa Germania subiicitur Legi Tridentinae de matrimonii clandestinitate . . . . . 440
Motu proprio de examinibus ordinandorum Regularium in Italia et in Insulis eiusdem ditioni subiectis . . . . . 443
Motu proprio de Sacris Congregationibus super disciplina Regulari et de Statu Regularium Ordinum extinguendis . . . 445
Motu proprio de novis religiosorum sodalitatibus instituendis . 573



Digitized by Google

## Acta Academiae Liturgicae Romanae.

I. De festo S. Malachiae Prophetae instituto ab Ecclesiae Rectore . . . . . Pag. 24
II. De patena pro communione fidelium illiusque abstersione 88
III. De modo in chorum eundi et redeundi in Missa et Vesperis pontificalibus . . . . . 141
IV. De Praefatione in quadam Missa votiva . . . . . 222
V. De Missa privata Episcopi in solemnibus festis . . . . . 282
VI. De Missa Simplicis occurrentis die infra octavam semiduplici . . . . . 339
VII. De Hora Tertia vel Nona ante Missam in Beatificationibus . . . . . 469
VIII. De usu Caputii pro Bireto in Regularibus . . . . . 543
IX. De Officio et Missa propriis pro Regularibus . . . . . 599
X. De ritu a Cardinalibus servando in Ecclesiis Titularibus diversi ritus . . . . . 652
XI. De quadam Missa votiva Deiparae occurrente duplici . . 715
XII. De Hora Prima ante Matutinum et Completorio post anticipatum Matutinum. . . . 719

## Consultationes

—#—

### Dubiorum liturgicorum solutio.

Pro Urbe . . . . . 46
Pro Dioecesi N. . . . . 47
Pro Philadelphia . . . . . 48
Pro Urbe . . . . . 109
Pro Augusta Taurinorum. . . 111
Pro Monte Regali . . . . . *ibi*
Pro Aletio . . . . . Pag. 170
Pro Missione Verapolitana . . *ibi*
Pro Gallia . . . . . 171
Pro Parma . . . . . *ibi*
Pro Civitate S. . . . . 243
Pro Civitate S. . . . . 301
Pro Verona. . . . . *ibi*
Pro Hispania . . . . . 360
Pro Placentia . . . . . 363
Pro Urbe. De partibus Officiorum propriis reponendis . . 416
Pro Lusitania . . . . . 420
Pro Rochester. . . . . 487
Pro Vienna . . . . . 488
Pro Augusta Taurinorum. . . *ibi*
Pro pluribus locis . . . . . 489
Pro pluribus locis. De iure funerandi . . . . . 528
Pro Calari . . . . . 620
Pro Dioecesi Ebroicensi . . . 621
Pro pluribus locis. De Hora Nona Missae votivae pontificali praemittenda . . . . . *ibi*
Pro Abbatia Cavensi . . . . 701
Pro Bononia . . . . . *ibi*
Pro Senogallia . . . . . 702
Pro Rochester. . . . . 728

### Breviora responsa.

Pro Gallia . . . . . 243
Pro Pisis . . . . . 244
Pro Belgio . . . . . *ibi*
Pro dioecesi Namurcensi . . . 303
Pro Augusta Taurfnorum . . *ibi*
Pro Hispania . . . . . 304
Pro Parisiis . . . . . 364
Pro Belgio . . . . . 421
Pro Rochester . . . . . *ibi*
Pro dioecesi Namurcensi . . . 422
Pro pluribus locis . . . . . 562
Pro Civitate Conimbrica . . . 730
Pro Hispania . . . . . *ibi*
Pro Ariano Apulico. . . . . 731

Digitized by Google

## Expositio novissima Rubricarum Breviarii Romani.

Tit. XIX. De Invitatorio . Pag. 99
Tit. XX. De hymnis . . . . 106
Continuatio . . . . . 149
Continuatio . . . . . 230
Syllabus hymnorum cum auctorum nominibus. . . . . 232
Continuatio . . . . . 291
Continuatio. De hymnorum doxologia . . . . . 348
Tit. XXI. De Antiphonis. . . 403
Continuatio . . . . . 475
Tit. XXII. De Psalmis. . . . 613
Continuatio . . . . . 675
Continuatio . . . . . 724
Tit. XXIII. De Canticis . . 728

## Ius Liturgicum.

Cap. I. - Art. III. Sacrae Liturgiae obiectum . . . . . 112
Art. IV. Sacrae Liturgiae divisio . . . . . 120
Cap. II. De historia S. Liturgiae evolutione . . . . . 311
Art. I. Sacrae Liturgiae origo *ibi*
Art. II. Sacrae Liturgiae progressus . . . . . 313
Art. III. De Sacrae Liturgiae fontibus . . . . . 317
Continuatio . . . . . 370
Cap. III. De iure liturgico speculative sumpto . . . . . 375
Art. I. A quo sit ius liturgicum . . . . . *ibi*
Continuatio . . . . . 430
Art. II. Ius liturgicum in Ecclesia vigens . . . . . 434
Continuatio . . . . . 497
Art III. Per quos sit ius liturgicum . . . . . 564
Pars II. Cap. I. De computo ecclesiastico. Praenotanda. . . 630
Art. I. De anno et eius partibus . . . . . 631
Continuatio . . . . . 745

## Ad Motu Proprio de Protonotariis Apostolicis Commentarium.

II. De Protonotariis Apostolicis Supranumerariis . . . Pag. 18
Continuatio . . . . . 77
Continuatio . . . . . 137
Continuatio . . . . . 218
Continuatio . . . . . 276
Continuatio . . . . . 331
Continuatio . . . . . 395
Continuatio . . . . . 462
III. Protonotarii Apostolici ad instar . . . . . 466
Continuatio . . . . . 588
IV. Protonotarii Apostolici Titulares seu Honorarii . . . . 644
Continuatio . . . . . 707

## Palaestra Liturgica. Quaestiones liturgicae.

De doxologiae hymnorum mutatione. . . . . 42
De Festo Annuntiationis B. M. V. 50
De Luna pronuntianda sub littera Martyrologii quando Numerus Aureus est I . . . . . 153
De influxu duplicis vel semid. integrum Officium habentis atque in Missis quibuslibet votivis commemorati . . . . . 157
De plurium Titularium Officio . 179
De occurrentia festorum eiusdem ritus . . . . . 238
De Anniversariis late sumptis . 297
De Officiis ad libitum . . . . 305
De Missa votiva pro gratiarum actione . . . . . 365
De Orationum numero in Missis votivis. . . . . 410
De cantu *Benedictus* etc. in Missa solemni et de cantibus in lingua vernacula ad benedictionem cum SS. Sacramento. . 423

Digitized by Google

De commemoratione diei infra octavam . . . . . Pag. 490
De Altari Sepulcri . . . . . 622
De influxu Duplicis integrum Officium ac Missam habentis atque in Missis votivis ex Indulto celebrandis commemorati . . . 686
Continuatio . . . . . 724
De occurrentia perpetua festorum 731

## Argumenta varia.

Epistola Emi D. Cardinalis a Publicis Negotiis Secretarii de Kyrialis gregoriani Vaticana Editione . . . . . 142
Specimen Calendarii Universalis Eccl. pro anno Dni 1907. Pag. 245

## Bibliographia.

Pag. 60, 127, 254, 319, 382, 447, 575, 511, 638.

## Chronica.

Pag. 62, 127, 191, 255, 320, 384, 448, 575, 512, 704, 737, 745.

## Nuncia.

Pag. 192, 256, 320, 739, 747.

Digitized by Google

# Index Alphabeticus

## rerum notabilium quae in hoc XX Tomo continentur.

(NB. Numerus lectorem ad paginam remittit).

## A

**Ablutio digitorum** in Missa ubinam facienda sit, 48.
**Absolutio ad tumulum** quando fieri possit, 325.
**Abstinentia** a carnibus quoad presbyteros saeculares Hispaniae, 634. — V. *Ieiunium.*
**Alienatio** publicarum versurarum, 507.
**Altare,** V. *Incensatio, Sepulcrum.*
**Anniversaria late sumpta,** 297.
**Annuntiationis B. M. V. festum,** an in ecclesiis ubi est Titulus vel ex privilegio celebratur cum octava etiam in Quadragesima, sit cum octava recolendum, quotiescumque transfertur in feriam II post Dom. in Albis, 50.
**Antiphonae.** Expositio rubricarum de antiphonis, 403, 475.
**Aquae benedictio,** V. *Benedictio aquae.*

## B

**Baculus pastoralis,** V. *Episcopus extraneus, Protonotarii Apost.*
**Benedictio aquae in Missa,** Episcopus Missae solemni assistens ad benedictionem aquae tantum dicere debet « *In nomine Patris* etc. », 242.
**Benedictio cum SS. Sacramento,** V. *Benedictus, Sanctus Deus, Stola.*
**Benedictio in articulo mortis** et officium divinum in lingua vernacula recitari nequeunt, S. R. C. decr., 65.
**Benedictus,** de cantu « *Benedictus etc.* » in Missa solemni et de cantibus in lingua vernacula ad benedict. cum SS. Sacr., 423 V. *Incensatio.*
**Biretum,** V. *Caputium.*
**Brev. Romanum,** V. *Rubricae Brev. Rom.*

Digitized by Google

# C

**Caeremoniale Episcoporum**, V. *Liturgia S.*

**Calendarium**, calendarii univers. Eccl. specimen pro anno D. 1907, 245. — V. *Officium ad libitum, Tertiarii Regulares.*

**Calendarium**, de variationibus in Calendario Cisterciensi peragendis, 641.

**Caligae**, V. *Protonotarii.*

**Calix**, V. *Purificatio calicis.*

**Campanae**, de campanarum sonitu, 217.

**Canonici honorarii**, de Canonicis hon. quoad usum insignium, decr. S. R. C., 577.

**Candelae**, V. *Ordinati.*

**Canticum**. Quid — Quando dicenda Cantica, 728.

**Cantus**, V. *Benedictus.*

**Canutus (S.)**, V. *Officia ad libitum.*

**Cantus liturgicus**, declaratio S. R. C. circa editionem et approbationem librorum cantum lit. greg. continentium, 132 — V. *Kyriale.*

**Capellani Confraternitatum**, de iuribus Capellanorum ... quoad Missas cantatas, funera defunctorum, triduanas ac novendiales preces, decr. S. C. C., 452.

**Cappellanus**, V. *Clericus.*

**Caputium**, de caputio pro Bireto in Regularibus, 543.

**Causae**, V. *S. C. C.*

**Chirothecae**, V. *Protonotarii.*

**Chorus**, de modo in chorum eundi et redeundi in Missa et Vesp. pontificalibus, 141 etc.

**Cistercienses**, V. *Calendarium.*

**Clericus**, de Clerico loco Subdiaconi vel Cappellani in Missa inserviente, 262 — Novae animadversiones in S. R. C. decr. d. d. 14 martii 1906, 336.

**Coadiutor et Coadiutus**, de eorum muniis in choro, 363.

**Collectae**, de collectis ab Ordinario imperatis, 199.

**Collectae pro defunctis**, 489.

**Color**, V. *Stola.*

**Commemoratio**, V. *Missa votiva solemnis.*

**Commemoratio omnium Def. Ordinis Benedictini**, in hac Commem. omnes Missae privatae de requie dici possunt, etiamsi occurrat festum duplex minus, 420.

Digitized by Google

**Commem. Pass. D. N. I. C.**, V. *Vesperae.*

**Communio Ordinatorum**, Ordinati privatim communionem sumant ex particulis praeconsecratis, si ex oblivione in Ordinationis Missa particulae consecratae non fuerint, 111.

**Communio Sacra** administrari nequit a Sacerdote celebrante ante vel post Missam cantatam vel Conventualem, 200.

**Computus ecclesiasticus**, V. *Liturgia Sacra.*

**Concede nos**, de oratione *Concede nos* in Missa Rogationum quando post processionem canitur, 301.

**Conceptio Immac.**, V. *Missa votiva.*

**Concurrentia**, V. *Vesperae.*

**Confraternitas**, V. *Capellani Confraternit., Laici.*

**Confraternitas B. M. V. de Monte Carmelo**, sanantur receptiones hucusque invalide peractae ad Confr. B. M. V. de Monte Carmelo, S. I. C. decr., 18.

**Congregatio (S.) Concilii**, de norma servanda in Causis quae apud S. C. Concilii agitantur, 123.

**Corona Septem Gaudiorum B. M. V.**, 642.

**Credo**, V. *Rorate.*

**Crux pectoralis**, V. *Protonotarii.*

## D

**Deus qui humanae substantiae**, V. *Benedictio aquae in Missa.*

**Dies infra Octavam**, V. *Simplex* — de commem. diei infra oct., 490 etc.

**Doxologia hymnorum**, 42 — V. *Hymni.* —

**Doxologia Psalmorum**. Quid — Quando dicenda, 724.

**Duplex**, V. *Translatio festorum* — de influxu duplicis vel semid. integrum Officium habentis atque in Missis quibuslibet votivis commemorati, 157, 687.

## E

**Eleemosynae Missarum**, decr. S. C. C., 508.

**Episcopus**, V. *Benedictio aquae, Funus, Missa privata Episcopi, Quarta funeraria.*

**Episcopus extraneus**, nequit pastorali baculo uti in administrationi Baptismi, Confirmationis et Matrimonii, 736.

**Eucharistia Sacra**, de quotidiana SS. Eucharistiae sumptione, decr. S. C. C., 183.

Digitized by Google

**Exaltatio S. Crucis**, V. *Transfiguratio D. N. I. C*
**Examen**, V. *Regulares.*
**Exequiae defunctorum**, V. *Festum.*
**Expositio**, V. *Pyxis, SS. Sacramentum.*
**Extrema Unctio**, brevis forma determinatur pro administranda Extr. Unctione in casu necessitatis, 449.

## F

**Familia Sacra**, de Off. S. Fam. atque Lect. I Noct. iuxta ritum Carmelitarum, S. R. C. decr., 70.
**Feretrum aspergitur et incensatur** ter a parte dextera et ter a sinistra, 47.
**Festum**, de festis defunctorum exequias impedientibus, S. R. C. decr., 68 · V. *Annunt. B. M. V., Occurrentia, Patronus, Translatio festorum.*
**Forma**, V. *Extrema Unctio.*
**Fuga D. N. I. C. in Aegyptum**, V. *Vesperae.*
**Funalia** quatuor, sex, aut ad summum octo deferuntur in Missis pontificalibus, in Missis non pontificalibus duo saltem intorticia accenduntur, 49.
**Funus**, taxam funeralem Episcopus determinare potest pro etiam funeribus in Regularium Ecclesiis peragendis, 560 — V. *Capellani Confraternitatum, Ius.*

## G

**Gaudia B. M. V.**, V. *Officium.*
**Gloria**, V. *Rorate.*
**Gloria Patri**, V. *Doxologia.*
**Gremiale**, V. *Protonotarii.*

## H

**Horae**, de hora Tertia vel Nona ante Missam in Beatificationibus, 469 — V. *Missa Vot. Pontif.*
**Hymni**, de mutatione doxologiae, V. *Doxologia* — de hymnis in officio, quando dicendi, 106 — de Sacra hymnographia Christiana, 149 — de hymnorum reformatione ab Urbano VIII peracta, 151 — continuatio,

Digitized by Google

230 — Nomina auctorum cuiusque hymni in Breviario inclusis, 232 — ad quasnam horas quando et in quibus horis dicuntur hymni, 291 — de doxologiae mutatione in festis, 348 — conditiones requisitae ut doxologia aliqua dici possit et debeat per omnes horas alicuius festi, vel per aliquam oct., vel per aliquod anni tempus, 354.

## I

**Ieiunium**, de ieiunii et abstinentiae lege in Italia reformanda, S. C. S. R. et U. Inquis., 635.

**Immac. Conc**, V. *Missa votiva.*

**Incensatio**, V. *Feretrum*, de incens. imaginis Div. Infantis, Reliquiae S. Crucis etc. in Missis et Vesp., 563 — incensatio altaris fieri debet etiamsi Laudes et Vesp. solemniter canantur cum Celebrante parato sine ministris, 562

**Inclinatio capitis** facienda est in festis Sanctorum tantum, quoties nomen eorum, de quibus celebratur Missa vel fit commemoratio exprimitur, 489.

**Indulgentiae**, de indulgentiis pluries lucrandis et de ecclesia parochiali visitanda, S. C. I. decr., 74 — V. *Confr. B. M. V. de Monte Carm., Praeservatio fidei.*

**Indulgentiae** conceduntur recitantibus quandam precem in fine divini Officii vel Officii B. M. V., S. C. I. decr., 75 — V. *Portiuncula.*

**Indulgentiarum concessio...**, 212, 275, 329, 394, 457, 514, 579.

**Insignia canonicalia**, V. *Canonici honorarii.*

**Intorticia**, V. *Funalia.*

**Invitatorium**, 99 — quando non dicitur, 102.

**Ius**, de iure funerandi, 558 — V. *Capellani Confr., Liturgia Sacra.*

## K

**Kyriale**, Epistola E.mi Domini Cardinalis a publicis negotiis Secretarii de Kyrialis gregoriani Vaticana editione, 172.

## L

**Laici** aliquo catholico signo exornati in processionibus ante sodales Confr. sacco indutos vel post sacras imagines incedere debent, S. R. C. decr., 578.

Digitized by Google

**Laudes**, V. *Incensatio.*

**Lectiones**, V. *S. Familia.*

**Legatum pium** servandum, S. R. C. decr., 326.

**Libri liturgici cantus gregoriani**, V. *Cantus lit.*

**Lingua vernacula**, V. *Bened. in art. mortis, Benedictus.*

**Litaniae Lauretanae**, versiculus, responsorium, et oratio post dictas Litanias mutari possunt pro temporis diversitate, 48.

**Litaniae Sanctorum**, V. *Reliquiae.*

**Liturgia Sacra**, de duplici obiecto S. Lit, 112 — de obiecto primario, 112 — de obiecto secundario, 113 — de obiecto materiali passivo seu finali, 113 — de obiecto materiali activo seu in ratione medii, 114 — origo et significatio in SS. Ritibus et Caeremoniis, 115 — origo philosophice considerata, 115 — de origine historica, 116 — de significatione reali et mystica, 117 — de obiecto formali S Lit, 120 — S. Lit. divisio, 120 — de Liturgia generali, particulari, theoretica, practica, 121 — de Lit. psalmodica, eucharistica, sacramentali, 122 — Christus Lit S. auctor, 311 — S. L. Ecclesiae potestati credita, 311 — Christi Domini exempla in plurimis liturgicis actibus secuta est Ecclesia, 312 — statim Apostoli etc, 312 — De S. Liturgiae fontibus, 370 — Fontes vivi seu hodierni, 370 — continuatio, 430, 497, 564, 630.

**Lotio pedum**, fer. V in Coena Domini, in omnibus Eccl. fieri potest, 563.

**Luna**, de luna pronuntianda sub littera Martyrologii quando numerus aureus est 1, 153.

## M

**Malachias (S.) Propheta**, de festo S. Mal. Proph. ab Eccl. Rect. instituto, quaestio Ac. Lit. Rom., 24 — quae praxis fuit in Eccl. Or. etc.

**Mandatum**, V. *Lotio pedum.*

**Manipulum.** Sacerdos si immediate celebrare debet post celebrationem Matrimonii, manipulum absoluta Matrimonii celebratione assumere debet, 702.

**Maria (S.) Angelorum**, in Eccl. dicatis sub titulo S. M. Angel., festum Titularis celebrandum est die Assumptionis, in Ecclesiis Seraphici Ordinis die 2ª Aug., 111.

**Maria Virgo de Monte Carm.**, V. *Confr. B. M. V. de Monte Carmelo.*

**Martyrologium**, V. *Liturgia Sacra, Tertiarii Regulares.*

**Martyrologium, in Vig. Nat. Domini**, Sacerdos cantaturus hoc Mar-

Digitized by Google

tyrologium probabiliter incedere potest indutus stola sub pluviali violaceo, saltem ubi viget huiusmodi consuetudo, 46 — additio Martyr. Ord. S. Ben. inserenda V Idus Iulii, S. R. C. decr., 328 — V. *Luna.*

**Matrimonium,** Litt. Apostolicae quibus universa Germania subiicitur Legi Tridentinae de Matrimonii clandestinitate, 440.

**Missa,** de Missa pro vivis et Missa pro defunctis quoad satisfactionem applicationis, 360 — V. *Officium, Patronus, Simplex* — pro Eleem. Miss., V. *Eleem.*

**Missa Conventualis lecta,** S. R. C. decr., 199.

**Missa cum cantu,** de quibusdam abusibus in Missis canendis, S. R. C. decr., 65 — V. *Capellani Confraternitatum.*

**Missa de Vigilia** cuiuscumque festi B. M. V. vel Sanctorum, sub ritu feriali et colore violaceo celebranda est, 489.

**Missa exequialis,** de diebus Missam exequialem impedientibus, S. R. C. decr., 7 — Missa exequialis praes. cad. ad Paroch. de iure spectat, Missae exequiales in diebus 3ª, 7ª, 30ª ad Rectorem Eccl., 561.

**Missa in Beatificationibus,** V. *Horae.*

**Missa pontificalis,** V. *Chorus, Funalia, Protonotarii.*

**Missa privata Episcopi** in solemnibus festis, 282.

**Missa Rogationum,** V. *Concede nos.*

**Missa votiva,** solvuntur plura dubia super celebrandis Missis votivis ac praesertim Imm. Conc. B. M. V., S. R. C. decr., 193 — de Orationum numero in Missis vot., 410 — de privilegio celebrandi Missam vot. Imm. Conc. B. M. V, decr. S. R. C., 513 — V. *Duplex, Rorate.*

**Missa votiva pontificalis** post horam Nonam celebranda est, 621.

**Missa votiva pro gratiarum actione,** 365.

**Missa votiva pro sponsis,** de Orationibus in Missa vot. pro Sp., 489.

**Missa votiva solemnis,** de festo transferendo, si in Dominica celebretur ubi non adsit obligatio Missae convent. addenda non est commem. Dominicae cum eius Evang. in fine, 301.

**Missae privatae de Requie,** V. *Commem. omn. Def. Ord. Benedict.*

**Missae votivae privatae** ex privilegio concessae simul cum solemni Missa de translata solemnitate quomodo ordinandae, 303.

**Missale,** V. *Liturgia Sacra, Tertiarii Regulares.*

**Mitra,** V. *Protonotarii.*

**Moniales,** de dispositione redituum mutanda a Moniali simpliciter professa, 446.

**Motu proprio,** V. *Proton. Apostolici.*

Digitized by Google

## N

**Nona**, V. *Horae, Missa vot. Pont.*
**Normae** pro causis etc, V. *Sacra Congr. Conc.*
**Novemdiales preces**, V. *Capellani Confr.*

## O

**Occurrentia**, de occurrentia festorum eiusdem ritus, 238.
**Octava**, V. *Annunt. B. M. V.*
**Officium**, V. *S. Familia, Titularis* — approbantur propria Officia cum Missis de Mysteriis Viae Dolorosae D. N. I. C. et de septem Gaudiis B. M. V., S. R. C. decr., 271
**Officium**, de partibus officiorum propriis reponendis, 416 — V. *Patronus.*
**Officium ad libitum**, de officiis ad libitum, 305 — Consultius est. Offic. Sancti ad libitum praescribere in Calendario ordinando prae officio votivo, 364 — V. *Regulares.*
**Officium divinum**, V. *Bened. in art. mortis, Indulgentiae.*
**Orationes**, V. *Missa votiva, Missa vot. pro Sponsis, Septuagesima.*
**Ordinandi**, V. *Regulares.*
**Ordinati**, Lecto Offertorio in ordinationis Missa, ordinati offerunt Episcopo candelas accensas, et osculantur annulum, non candelam, 487 — V. *Communio ordinatorum.*

## P

**Palla calicis**, V. *Paramenta.*
**Paramenta**, de paramentis nigris ac palla calicis, S. R. C. decr., 10.
**Passio D. N. I. C.**, V. *Commemoratio.*
**Patena**, de patena pro communione fidelium illiusque abstersione, quaestio Ac. Lit. Rom. etc, 88.
**Patronus, de Patroni festo a Regularibus celebrando**, S. R. C. decr., 5 — de officio et Missa propriis Patroni, pro Regularibus, quaestio Ac. Lit. Rom., 599.
**Pentateuchus**, de Mosaica authentia Pentateuchi, Commissionis biblicae, 509.

Digitized by Google

**Pluviale**, V. *Martyrologium*, de pluvialistarum numero in Vesperis, 49.
**Pontificale Rom**, V. *Liturgia S.*
**Portiuncula**, de processione pro indulgentia portiunculae, S. R. C. decr. ad IV, 200.
**Praefatio**, de praefatione in quadam Missa votiva, quaestio Ac. Lit. Romanae etc., 222.
**Praeservatio fidei**, pium opus a Praeservatione Fidei pluribus indulgentiis ac privilegiis ditatur, Breve Pii Pp. X, 13.
**Preces**, V. *Capellani Confr.*
**Privilegia**, V. *S. Thomas Aquinas.*
**Processio**, V. *Laici, Portiuncula.*
**Protonotarii**, de privilegiis Proton. Apostolicorum ad instar, 588.
**Protonotarii Apostolici**, Commentarium ad Motu proprio, de Protonotariis Apostolicis Supranumerariis, 18 — continuatio, 77 — de Cappa Protonot., 78 — de eorum habitu praelatitio, 80 — de Privil. Oratorii priv., 82 — de privil. conficiendi acta de causis Beatific. et Canoniz. Servorum Dei, 137 — rite eliguntur in Conservatores Ordinum Regularium, in iudices synodales etc., 138 — de usu pontificalium, 218 — de crucis pectoralis gestatione, deque accessu ac receptione Proton. ad fores Ecclesiae, 221 — de usu faldistorii, 276 — de loco pro assumptione vestium, 277 — de ipsorum Caligis et sandalibus, 277 — de tunicella ac dalmatica, 277 — de Chirothecis et annulo, 278 — de Mitra, canone et palmatoria, 279 — de urceo et pelvi, 280 — de gremiali, 281 — de Mitra, Cruce pect. et annulo, pileolo et benedictione in fine Vesp. solemnium, 331 — de usu throni, baculi past. et cappae, de septimo candelabro, Presbytero assistente etc., 331 — de Missa lecta cum aliqua solemnitate per Proton. Supran. celebranda, 395 — quibus ornamentis et quo ritu pontificalia peragenda infra terminos propriae dioecesis, et quomodo extra, 395 — de Proton. Canonicis trium Patriarchalium Urbis, 396 — de privilegiis Proton. Canonicorum coetui collective collatis, 396 — de Mitra adhibenda a Canonicis collegialiter adstantibus functionibus pontificalibus, 397 — de Mitra in Protonotariorum funeribus, 462 — aliae praescriptiones circa Protonotarios, 462 — de Protonotariis Apostolicis ad instar, 466 — Declaratio S. R. C. super Motu proprio de Proton. Apostolicis, 258 — de Prot. Titularibus seu honorariis, 645 — Vicarius generalis est Proton. Titularis natus, 709 — Proton. Titul. est Praelatus, 710 — Habitus eius, 710 — Praecedentia, 712.
**Psalmi**, de psalmis in Officiis de Tempore, 613 — continuatio, 675.
**Pyxis**, de peculiari quadam pyxidis expositione, S. R. C. decr. ad II, 203.
**Purificatio**, de quodam errore in purificatione calicis, 109.

Digitized by Google

# Q

**Quarta funeraria**, Episcopus habet ius exigendi pro se a Regularibus quartam funeralem, 560.

# R

**Redditus**, V. *Moniales.*

**Regulares**, Reg. utriusque sexus e propriis monasteriis civiliter expulsi tenentur ad celebrationem festi Patroni loci in quo degunt, 244, 488 — V. *Patronus, Titularis* — de officiis recitandis a Regularibus, S. R. C. decr., 321 — Motu proprio de examinibus Ordinand. Reg. in Italia et insulis eiusdem dictioni subiectis, 443 — V. *Caputium, Funus, Quarta funeraria.* — Motu proprio de Sacris Congr. super disciplina Regulari et de Regul. Ordinum Statu extinguendis, 445 — V. *Sodalitates.*

**Religiosi**, V. *Sodalitates.*

**Reliquiae**, de reliquiis in altaris sepulcro reponendis, S. R. C. decr. ad III, 204.

**Remigius (S.)**, V. *Officium ad libitum.*

**Rituale Romanum**, V. *Liturgia S.*

**Ritus**, de ritu etc. quaestio Ac. Lit. Rom, 652.

**Rogationes**, V. *Concede nos.*

**Rorate**, de *Credo* et *Gloria* in Missa votiva Rorate, S. R. C. decr. ad I, 203.

**Rubricae Brev. Rom.**, constitutio Greg. Pp. XIII, qua Rubricae Brev. Rom. magnopere illustrantur, 521 — commentarium, 526.

**Rubricae Brev. Rom.**, V. *Antiphonae, Canticum, Hymni, Horae, Invitatorium, Psalmi.*

# S

**Sanctus Deus** etc. dici nequit post Orationem *Deus qui nobis* et ante benedictionem cum SS. Sacr., 702.

**Scapulare B. M. V. de Monte Carmelo**, Sacerdotibus Congr. Missionis privilegium conceditur quoad impositionem huius Scapularis, S. C. I. decr., 393.

Digitized by Google

**SS. Sacramentum**, ritus servandi in Expositione SS. Sacr., S. R. C. decr., 206.

**Scriptura Sacra**, Litterae Apostolicae de ratione studiorum S. Scripturae in Seminariis Clericorum servanda, 377.

**Semiduplex**, V. *Duplex, Simplex.*

**Seminarium**, de Seminariorum alumnis, S. C. C. decr, 188.

**Septem gaudia B. M. V.**, V. *Corona Septem, Officium* etc.

**Septuagesima**, de Orationibus in Missa Septuag. si veniat ante festum Purificationis, 488.

**Sepulcrum**, de altaris sepulcro, 622 — normae servandae in electione Altaris sepulcri, 622 — de ornatu istius altaris, 625.

**Sigisbertus (S.) Hibernus**, V. *Martyrologium.*

**Simplex**, de Missa Simplicis occurrentis etc. quaestio Ac. Lit. Rom. etc. 339.

**Sodalitates**, Motu proprio SS. D. N. Pii Pp. X de Novis Religiosorum sodalitatibus instituendis, 573.

**Stola**, de Stolae usu, 46 — Celebrans, si immediate post Vesp. solemnes benedictionem cum SS. Sacr. impertiri velit, sub pluviali stolam eiusdem coloris assumere debet, 49 — in absolutione generali impertienda stola coloris violacei praescribitur, S. R. C. decr., 257.

**Subdiaconus**, V. *Clericus.*

**Suffragium**, V. *Titularis.*

## T

**Taxa funeraria**, V. *Funus.*

**Tertia**, V. *Horae.*

**Tertiarii Regulares**, Tertiariis Regul. Ordini Min. Capucc. adhaerentibus conceditur usus Calendarii, Missalis ac Martyrologii Cap., 385.

**Thoma (S.) Aquinas**, Privilegia conceduntur Collegio S. Thomae Aquinatis de Urbe, decr. S. C. S., 381.

**Titularis**, de officiis et suffragiis Titularium recitandis a Regularibus dispersis, decr. S. R. C., 129 — V. *S. M. Angelorum* — de plurium Titularium officio, 173.

**Transfiguratio D. N. I. C.**, concurrente festo translato Transf. D. N. I. C. cum festo Exaltationis S. Crucis, Vesperae integrae dicuntur de praecedenti festo cum commem. seq., 701.

Digitized by Google

**Translatio festorum**, indultum quoad translationem festorum dupl. I vel II cl, S. C. R. decr. Ordinis S. Benedicti, 130.
**Triduanae preces**, V. *Capellani Confraternitatum.*
**Tumulus**, V. *Feretrum.*

## U

**Unctio extrema**, V. *Extrema Unctio.*
**Urceus**, V. *Protonotarii Apostolici.*

## V

**Versurae publicae**, de alienatione publicarum versurarum, 507.
**Vesperae**, concurrente festo Fugae D. N. I. C. cum primis Vesp. Commem. Passionis, Vesperae dividendae videntur, 364.
**Vesperae pontificales**, V. *Chorus, Protonotarii.*
**Via dolorosa D. N. I. C.**, V. *Officium.*
**Vicarius Generalis**, V. *Protonotarii.*

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR.
Fr. Albertus Lepidi O. P., S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR.
† Iosephus Ceppetelli Patr. Constant., Vicesgerens.

Augustus Zucconi, Director Domus editricis Desclée, Lefebvre et Soc. Romae, *Sponsor.*

Ex Off. typ. Soc. S. Ioannis Ev. - Tornaci in Belgio.

Digitized by Google

Digitized by Google

32101 076460763

Digitized by Google

Digitized by Google